DISPVTATIONES PRACTICÆ,

nempe

ETHICÆ,
OECONOMICÆ,
POLITICÆ.

In Gymnasio Dantiscano intra biennium ad
Lectionum Philosophicarum
Cursum habitæ,
sub præsidio

BARTHOLOMÆI KECKERMANNI,
Philosophiæ ibidem Professoris.

Ita scriptæ, vt totius PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ breuia ac methodica SYSTEMATA, simul & præcipuarum materiarum CONTROVERSIAS ac PROBLEMATA contineant.

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCVIII.
Cum gratia & priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

Pl. Erhard Cametto in Insula Vigrensi

Bien. F. II. 11 (a)

BARTHOL. KECKERMANNUS LECTORI S.

NON solam Rationem, siue Intellectum DEUS homini dedit; sed & Voluntatem, sed & affectus. Et quamuis Ratio Voluntate prior sit, si agendi ordinem spectes; si tamen id consideres ad quod vtraque ducit, nihil videtur concedere Rationi Voluntas. Ratio circa Verum occupata est; circa Bonum, voluntas. Verum autem & Bonum, si in contentionem dignitatis vocentur, cedet fortassis neutrum neutri. Sanè non minus iuuatur humanum ingenium Bono, quam Vero. Vt magnoperè mirandum æquè ac dolendũ sit, Disciplinas Boni vilius ac neglectas habitas quam Veri. Causa ea est calamitatum, propè dixerim, omniũ quæ grassantur per Ecclesiam, Rempublicam, Scholas, Oeconomias. De quo alibi locus erit opportunior & quærendi & conquerendi. Nunc id saltem profiteor, quandiu

misericors DEVS *vitam cum mediocri valetudine indulserit, pari mihi curæ ac cordi fore* Practicarum *&* Theoreticarum Disciplinarum *culturam. Idq; vt testarer,* Apparatum *nuper edidi, siue* Methodū plenā *aut* Ideam totius Practicæ Philosophiæ. *Addo nunc &* Practicas has Disputationes. *Vbi,* Thesibus *breuibus ac methodicis cōcinnata triū Disciplinarum practicarū compendia, vt ii qui ad has Doctrinas recēter veniunt, primā earum comprehensionem dextrè in animis efformēt. Thesibus autē adiūcta perpetuò* Problemata *ac* Controuersiæ *grauium & vtilium vniuersæ Philosophiæ Practicæ materiarum. In quibus colligendis, & ductu nostro tractandis, Respondentium diligentia atque industria fuit digna præconio publico; & tuo, Lector beneuole, fauore. De quo quidem nullus dubitarim; quādo præsertim fructus tibi aliquis ex his nostris* Disputationib. *nascetur, quod cū bona quādā spe Deum cōprecabor. Dantisci ex Gymn. Reip. ipso Æquin. Vern. An.* 1608.

BARTHOL. KECKERMANNVS.

INDEX OMNIVM PROBLEMATVM IN HISCE DISPVTATIONIBVS PRACTICIS contentorum.

DISPVTATIO XXI.

De felicitate ciuili, seu morali; & de virtute in genere.

Respond. GEORGIO PAVLI DANTISCANO.

PROBLEMATA.

DISPVTATIO XXII.

De Prudentia.

Resp. PETRO BERGMANNO Dantiscano.

PROBLEMATA.

20 Si

DISPVTATIO XXIII.

De Iustitia vniuersali.

Resp. LAVRENTIO TREBNITZIO.

DISPVTATIO XXIV.

De virtutibus moralibus, quæ referuntur ad nos ipsos.

Resp. ADAMO RASSIO Polono.

DISPVTATIO XXV.

De virtutibus moralibus ad alium relatis.

Resp. ADAMO RVBACO Cuslinensi Pomerano.

DISPVTATIO XXVI.

De virtutibus moralibus, quæ partim nos ipsos spectant, partim alios.

Resp. IOH. GEORGIO SCHWABEN Dantiscano.

DISPVTATIO XXVII.

De virtute morali per analogiam dicta; deq; virtute excellenti, siue heroica, & denique de Amicitia.

Resp. MICHAELE BLANCKIO Dantiscano.

DISPVTATIO XXVIII.

Continens Synopsin disciplinæ OECONOMICÆ. Respond. PETRO IANICHIO Colbergense, Pomerano.

18 Cur

DE POSSESSIONE.

DISPVTATIO XXIX.

De Politica in genere; & de caussis status Monarchici, siue Principatus.

Resp. PETRO BERGMANNO Dantiscano.

DISPVTATIO XXX.

De gubernatione principis in genere; atque adeo de eius caussis ac partitione.

Resp. MICHAELE HERWIRT Colbergensi Pomer.

Discursus Politici primi de Consilio Problemata.

De Consiliario Discursus II. PROBLEMATA.

De Concilio seu Consultatione, Discursus III. PROBLEMATA.

DISPVTATIO XXI.

De gubernatione subditorum, in specie; deque certis eorum statibus & ordinibus; simulq; adeo de cura rerum extra hominem positarum.

Resp. DANIELE BRESLERO Borusso.

DISPVTATIO XXXII.

De iudiciis, deq; cura Principis orta in defendendo, exornando & amplificando principatu.

Resp. PETRO PETRI Dantiscano.

8 An

DISPUTATIO XXXIII.

De cura Principis externa; atq; adeò de *Peregrinis, Legationibus* & *Legatis*, deq; *Fœderibus*.

Resp. DAVIDE SCHUMANNO Dantiscano.

DISPVTATIO XXXIV.

De aula Principis; deq; eiusdem reditibus; de cura principis circa mortem; deniq; de officio subditorum.

Respond. SIMONE CLVGIO Dantiscano.

DISPVTATIO XXXV.

De statu publico, siue principatu affecto ac turbato, deq; Principatu eminenti; & deniq; de principatus imperfectioris distinctione.

Resp. IOHANNE BERGIO Stetin. Pomer.

DISPVTATIO XXXVI.

De Polyarchia, deq; Politica speciali.

Respondente NICOLAO SIENNICKI de Siennica.

FINIS.

EPIMETRA

DISPVTAT. XXI.

EPIMETRA METAPHYSICA.

DISPVTAT. XXII.

De affectionibus entis in genere; & in ſpecie de vnitate.

DISPVTAT. XXIII.

EPIMETRA MATHEMATICA.

DISPVTAT. XXIV.

EPIMETRA METAPHYSICA.

DISPVTAT. XXIV.

EPIMETRA OPTICA.

DISPVTAT. XXV.

CVRSVS

CVRSVS PHILOSOPHICI

Diſputatio XXI.

Quæ eſt Ethica prima,

DE FELICITATE CIVILI, SEV MORALI, ET DE VIRTVTE IN GENERE.

INSTITVTA IN GYMNASIO DANTISCANO
25. Febr. Anno 1606.

Reſpondente

GEORGIO PAVLO
Dantiſcano.

Virtute ac Genere
Nobilibus,

Dn. CASPARO CZIRENBERGIO
Dn. JOHANNI BRANDESIO

Patriciis Reipub. Dantiscanæ
Florentissimis,

Dominis & Fautoribus colendis

officiosè
D.D.

Georgius Paulus Resp.

POST Logicarum & Physicarum Disputationum *curriculum*, *diuinâ gratiâ*, *exactum*, *progredimur ad* Ethicas, OEconomicas, & Politicas, *atque adeò* Practicæ totius Philosophiç Exercitationes; *in propinquo vitæ humanæ profuturas.*

THESES ETHICÆ,

De Felicitate & Virtute morali in genere.

1 SICVT Philosophia Theoretica est compages scientiarum, siue earum Disciplinarum quæ hominis intellectum informant ad notitiam veri; ita Philosophia Practica est compages Prudentiarum, id est, earum disciplinarum, quæ hominis voluntatem & appetitum componunt ad studium & acquisitionem Boni, nempe moralis siue ciuilis.

2 Prudentia autem ista Boni moralis siue ciuilis spectatur vel absolutè & separatim, vnde dicitur *Ethica*: vel magis restrictè, & oritur *OEconomica* & *Politica*.

3 Ethica ergo est Prudentia, quâ voluntas

& appetitus siue mores componuntur ad felicitatem ciuilem, seu bonum morale & honestum absolutè spectatum.

4 Quare vt in omnibus aliis disciplinis operatricibus, ita in Ethica quoque tria sunt consideranda: *Finis*, *Obiectum* & *Media*, ad finem ducentia.

5 Finis est Bonum ciuile seu morale: Sunt enim magno omnium doctorum virorum consensu tria Bonorum genera siue gradus, nempe *Bonum naturale, morale, spirituale*; ex quibus postremum hoc consummatè bonum est, & quod reliqua duo includit quidem; sed non excludit tamen, aut tollit.

6 Bonum autem istud morale seu ciuile dicitur Felicitas ciuilis, εὐδαιμονία, quæ est vel primariò & principaliter; vel secundariò & instrumentaliter dicta.

7 Primariò dicta est expedita & plena operatio siue exercitatio virtutum moralium.

8 Minus principalis & secundariò dicta Felicitas, siue Bonum ciuile, est perpetuata Sanitas, Libertas, Diuitiæ, Honor & Gloria.

9 Felicitatis effectus immediatus, est Voluptas, siue Lætitia animi; eaque etiam vel principalis ex felicitate primariò dicta; vel minus princeps, ex felicitate secundariò sic appellata.

10 Obiectum Ethicæ partim internum est; partim externum.

11 Internum dico, quod est in homine, nempe Voluntas, Cupiditas, Affectus, Locomotiua, Sensus, Sermo.

12 Exter-

12 Externum obiectum voco, quod est extra hominem; nempe omnes eæ personæ & res circa quas virtutum actiones occupantur, vt in liberalitate opes, *&c.*

13 Vidimus Finem & Obiectum; restat Medium Ethicum, quod est vel virtus moralis; vel vnio in virtute, quæ dicitur *Amicitia moralis.*

14 Virtus moralis est facultas honestè agendi seu viuendi.

15 Spectatur autem Virtus moralis vel absolutè, vel cum gradu sublimitatis, & sic dicitur *Heroica*; de qua suo loco.

16 Absolutè spectata virtus moralis est vel propriè & perfectè dicta; vel imperfectè, & per analogiam sic vocata.

17 Virtus moralis propriè dicta est habitus practicus ex honestis actionibus ortus, quo vires hominis practicæ, nempe Voluntas, Appetitus, Locomotiua, *&c.* ad Rectitudinem seu Mediocritatem diriguntur & componuntur.

17 Rectitudo autem seu Mediocritas est inter duo extrema, nempe inter excessum & defectum; ideò virtuti morali gemina irrectitudo seu vitium opponitur; vnum in excessu, alterum in defectu; quod in speciali virtutum moralium doctrina clarius posthac patebit.

PROBLEMATA ETHICA.

1 *An Felicitas Ciuilis in habitu, an in operatione virtutis consistat?*

DE SVMMO BONO, siue Felicitate hominis tam multa & varia veterum Philosophorum dissidia fuerunt, vt M. Varro scribat, iam suo tempore Philosophorum diuersas de summo Bono opiniones numeratas esse 288: id quod Philosophis grauiter etiam exprobrat August. lib. 19. de Ciuit. Dei. Cedentibus autem reliquis, duę de Principatu contendere cœperunt; Vna Peripateticorum; altera Stoicorum; quæ hactenus quidem consentiunt, quod in *virtute* summum Bonum consistat; At verò an in Habitu, an in Actione virtutis, de eo adhuc contendunt. Stoici Habitum, non Actionem virtutis vltimum finem hominis & summum eius Bonum statuerunt: Actio enim virtutis varia recipit impedimenta, nec à solâ nostra voluntate pendet, sed partim à nobis, partim ab instrumentis externis. Summum autem Bonum debet esse stabile & immutabile, debet esse absolutè in nostra potestate positum. Hinc Seneca De vita beat. cap. 9. *Summum Bonum*, inquit, *in Iudicio est &* HABITV *optimæ mentis*. Cui contrarium planè est illud Arist. 1. Ethic. Nicomach. c. 8. & alibi: ἡ εὐδαιμονία οὐκ ἐν κτήσει, ἀλλὰ χρήσει ἀρετῆς· οὐκ ἐν ἕξει, ἀλλ' ἐνεργείᾳ ἐστί. *Felicitas non in possessione, sed vsu virtutis, neque in habitu, sed actione est.* Et sanè summum Bonum est finis postremus, in quo desinit & terminatur appetitus & operatio agentis. Sed in solo virtutis habitu non acquiescit vir bonus, sed eum refert ad actionem; virtutem enim discimus vt exerceamus, sicut artem, vt secundum eam operemur. Quid quod & dormientes, quod & mentis impotes possint habere virtutis habitum;

tum; quos quis nisi ipse mentis impos beatos pronunciare ausit? Stoici quidem vt errores suos possint tueri, liquido id affirmant, vt videre est ex lib. 3. Manud. Lipſ. diſs. 18. vbi Stoicorum Paradoxum affert; *Beatitudinem ne quidem per* INSANIAM *amitti.* Sed cui cordatiori huius sui dicti rationem probent! Quæ enim iſta beatitudo eſt, in qua ipſa MENS, præſtantiſſ. hominis pars affecta laborat, & à ſtatu ſuo deiecta variis errorum ſpectris exagitatur? Summum bonum tranquillitatem ſecum affert, affert gaudium & voluptatem inæſtimabilem. At hanc tantum abeſt vt percipiat homo inſanus, vt neſcio quibus non inquietetur Furiis. Nec ſequitur; Actio virtutis non à nuda Hominis voluntate pendet. Ergo Actio non eſt finis Ethicæ, ſicut nec ſequitur; *Non eſt in Medico, ſemper releuetur vt æger*: Ergo releuatio ſiue curatio ægri non eſt finis artis Medicæ. Quare concludimus cum Ariſtotele; Quemadmodum in ludis Olympicis coronabantur, non qui habitu corporis pulcherrimo & viribus robuſtiſſimis præditi erant, ſed qui fortiter pugnando vincebant: Ita quoque in hac arena, non ſolo habitu præditi ſummi boni coronâ honeſtantur, ſed qui præclara virtutum munera obeunt. 1. Eth. 8.

2 *An in hominem cadat Felicitas Ciuilis, ſiue perfectum omnium virtutum Ethicarum exercitium?*

AD difficillimam hanc quæſtionem, non tam meis verbis placet reſpondere quàm Clariſſimi illius *Iuſti Lipſii*, qui libro 2. Manuductionis ad Philoſophiam Stoicam ita inquit: Virum perfectè bonum non eſſe niſi in deſcriptione, re illum nunquam (intellige poſt lapſum) fuiſſe. Seneca etſi virum bonum nigro cygno rariorem ſtatuat (Neque enim, inquit, magna & excedentia ſolitum ac vulgarem in modum naſcuntur) aliquando tamen magniſque ætatum interuallis, tanquam præclarum aliquod ſidus, orbi innoteſcere ait, ſemel ſcilicet anno quingenteſimo inſtar Phœnicis alicuius. Hæc enim eius verba Epiſt. 42. Alibi adhuc præſumptuoſius; Non eſt, inquit, quod dicas, ita vt ſoles; Hunc ſapientem non inueniri. Non fingimus iſtud humani

„ ingenii vanum decus, nec ingentem imaginem falsæ
„ rei concipimus, sed quem conformamus EXHIBVI-
„ MVS & EXHIBEBIMVS. Magnifica verò verba, sed verba tantum, Sanè quod in alio præstare voluit Seneca, in se ipso effectum dare minimè potuit. Autor enim est in Nerone Dion, quod Iuliæ Germanici filiæ, in matrimonio Vicinii agentis, turpissimo concubitu se polluerit; quod diuitiarum cupiditate supra modum flagrarit, ac ditium locupletatus calumniis ingentes congesserit opes, ac cedrinæ materiæ tripodas habuerit quingentos ἐλεφαντόποδας, id est, eburneis pedibus, super quibus vesci sit solitus. Quin & in matris necem Neronē creditur adhortatus, & Tyrannos lacerans ipse Tyranno didascalum se præstabat, *&c.* Ita nimirum *vitiis nemo caret, optimus ille Qui minimis vrgetur.* Neque tamen propterea sine fructu talis describitur vir bonus, quem esse Natura nunc post lapsum corrupta non sinit. Species enim quædam & Idea illius summi Boni proponenda est, quò connitamur non pertingere, sed accedere, neque assequi, sed æmulari. Sicut Oratorem Cicero & Fabius formant, non qui est, fuit, aut erit; sed perfectio illa exprimenda est; sic Ethici virum bonum. Memorabile est dictum Lipsii, quod extat libro
„ primo Manud. dissert. 16. *Vt is qui exemplar sibi proponit,*
„ *emendatis. cupit, etsi infra illud consistet; tale hic est, audia-*
„ *mus optima, aueamus optima, etsi imbecillitate hac insitâ*
„ *retrahamur.*

Horat. Saty. 3.

3 *An Voluptas, quæ ex Virtutum actione proficiscitur, sit pars summi Boni?*

ACtionē virtutis seu summum Bonū ciuile sequitur voluptas quædam inæstimabilis & gaudiū seu conscientia rectè factorum ortum, quæ voluptas, quia indiuiduo contubernio cum felicitate coniuncta est; ideo Ethici nonnulli tam veteres quam recentes voluptatem hāc faciunt Summi Boni seu Beatitudinis partem. Nec desunt, qui de hac ipsa voluptate Epicurum locutum esse opinentur, cum summum bonum in voluptate constitutum esse contenderet. Sane non improbabiliter, si ex vitâ & moribus aliquid de rebus statuere licet; Scribit enim

bit enim Laërtius Epicurum, quantus quantus fuerit, contemplationibus fuisse deditum; & victu frugali & modesto contentum solâ aquâ & polentâ aut pane hordeaceo vitam sustentasse. Tametsi id quoque non propterea ab ipso factum existimant Alexand. ab Alexand. lib.3.c.11. & Volater.lib.15. Antrop. quasi animo à voluptatibus corporeis esset alieno & auerso; sed quod in tenui & frugali victu plus se voluptatis experiri diceret. Ad illud nescio quid responderi possit, quod ex eodem Laërtio Seneca quoque refert Epist. 92. *Epicurum morti iam vicinum Epistolam ad amicos scripsisse, quâ testatur se vitæ laudabiliter exactæ, & rationum subtiliter à se inuentarum memoria in singularem animi lætitiam erigi, licèt hinc vrinæ difficultate torqueatur, hinc insanabilem exulcerati ventris dolorem sentiat.* Vt vt sit de Epicuro; neque enim odiosissimi hominis & nominis patrocinium vnquam suscipiemus, id omnino statuimus; ne in honesta quidem voluptate vltimum hominis Bonum ponendum esse. Est voluptas affectus animi in homine à Summo bono productus: est & illecebra & inuitamentum, quo homines ad summum bonum quærendum alliciuntur; ipsum summum Bonum neutiquam est. Summum bonum enim est obiectum animæ rationalis siue voluntatis humanæ, vt Verum est Obiectum Intellectus; At voluptas non est Obiectum, sed affectus animi. A Summo Bono denominamur boni; A voluptate vero neutiquã. Itaq; notatu digna est sententia Alexandri 4.nat. quæst. c.26. *Non honestum in gratiam voluptatis, sed voluptas in gratiam honesti est optanda, & ab honesto voluptas recipit perfectionem; non contra Honestum à voluptate.* Itaque qui voluptatem sibi finem præstituunt, conditionem & ordinem rerum peruertunt. Vide Piccolom. gradu 9. Ph. Moralis. c.17.& seq. Et Lips. Lib.3. Manud. Diss.5. *Sapientem in gaudio semper esse.*

4 *An Vita, Sanitas, Diuitiæ, Honores, &c. in bonorum censum referenda sint, Mors, Morbus, Paupertas, Ignominia Malis accensenda?*

HIc iterum confligunt & gradum conferunt Peripatetici cum Stoicis. Nam Peripateticis etiam ista externa, quæ vocant, *fortunæ* & *naturæ munera* bonorum nomine veniunt; & quæ sunt contraria, morbos, dolores, paupertatem, &c. malis accensent; Stoici autem anguste admodum bonorum & malorum fines circumscribentes solam Virtutem in bonis, solum Vitium in malis habent. Reliqua medio ab ipsis loco statuuntur, & nec bona, nec mala appellantur, sed sine discrimine neutra & indifferentia. Vnde deinde per consectarium sua conficiunt Paradoxa; Morbum, Dolores, Paupertatem, &c. reapse non magis mala esse, quam Sanitatem, Diuitias & Opes: *Ad sapientem nullam posse redundare iniuriam, malum nullum: Neminem nisi à seipso lædi*, &c. Hinc Possidonius haud postremi inter Stoicos nominis grauiter ex Podagra æger apud Cic. 2. Tuscul. in ipso dolore exclamat; *Nihil agis dolor, quantumuis sis molestus, nunquam confitebor te malum esse.* Etsi autem vltro fateamur, bonum primario sic dictum in sola virtute consistere, prout malum principale in solo vitio; tamen & externa ista fortunæ & naturæ munera rectè *Bona* dicuntur, iisq; contrariæ Calamitates *malæ*. Diuitiæ enim, Honores, &c. suâ naturâ subseruiunt virtuti tanquam instrumenta suo fini, & ad eius actiones nos promptos & expeditos reddunt, quæ in vitâ misera & calamitosa velut nube quadam obductæ obscuræ latitant, & ad publicam vtilitatem vix sese efferunt. Itaq; Scriptura etiam passim opes, honores, &c. appellat Dei dona, & tanquam singularia pietatis præmia iustis pollicetur. Afflictiones autem vt pœnas ex maledictione diuina humano generi propter peccatum debitas, cauere iubet: aliter, quam Stoici, qui sine discrimine eodem hæc loco habenda esse contendunt. Quod cum ita disputarunt, malunt nihilominus liberâ optione propositâ vitam dolorum expertem agere; malunt magnis fulgere honoribus, frui diuitiis & opibus, quam omnibus despicatui esse, continuis conflictari cum morbis, perpetua paupertate premi. ita vt merito in ipsos vsurpare possimus hoc dicterium, quo non nemo insectabatur aliquem huius sectæ Philosophum, cum ex eo de hac ipsa materia disserente,

rente,

rente, & mortem quoque indifferentem pronunciante quæreret; *Cur ergò non moreris*? Sanè prælectio libera, non est nisi boni; fuga non nisi mali; Si ergo concedunt, vt concedunt, sanitatem, opes, libertatem, esse eligendam, morbum, paupertatem, dolorem declinandum, concedunt hæc mala, ista bona esse. August. de eo contra Stoicos vrgenter disputat, inquiens: *Quæ Mala, Stoici miror qua fronte mala non esse contendant, quibus fatentur, si tanta fuerint, vt sapiens ea vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibi inferre, atq; ex hac vita emigrare.* Hæc Augustinus. Ex quibus omnibus apparet verissimum esse id quod ex Cic. commemorat P. Victor. lib. 7. Var. lect. c. 7. & Volaterr. lib. 14. cap. 1. Stoicos maximam suæ Philosophiæ partem à Peripateticis mutuatos verbis solummodo & phrasibus immutatis, atq; adeo sæpè magis verbis quam re ab Arist. dissentire.

Lib. 19. de ciuit. c. 4. Propter certas calamitates posse sapientẽ interdum mortem oppetere multis ex Stoicorum sensu disput. Lips. lib. 3. Manud.

5 *An ergo Felicitas requirat bona externa?*

VIdetur, inquit Arist. 1. Eth. *Felicitas bonis externis indigere.* Id sarcasticè ridet & carpit Lucianus, & Alexand. Mag. inducit apud inferos asserentem Aristotelẽ versutum & callidum nixum fuisse ei persuadere, munera fortunæ necessaria esse pro summo Hominis bono, vt auderet ea ab ipso petere ac bona fronte recipere. Luciano astipulatur tota Stoicorum Porticus, quæ hic iterum contra nos insurgens, felicitatem hanc nostram externa bona requirentem effæminatam & mollem appellat, appellat inconstantem & fluxam, ac Chamæleontis instar mutabilem. Ipsi autem omne felicitatis momentum in virtute collocant; quâ vnâ & solâ beatissimam vitam contineri sentiunt. Hinc ipsorum effata; Virum bonum & sapientem sibi ipsi per omnia sufficere; nihil ipsi deesse, etiam cũ omnia desunt; non pendere ab homine alio, non à rebus externis; Nullis quati molestiis, nullis permoueri calamitatibus, multo minus à felicitatis statu deturbari; In ipsis tormentis non minus esse beatum, quàm si fortunam ex voto fluentem haberet. Et quæ eiusmodi Paradoxa alia; de quibus ex Stoicorum sensu magnificè disp. Lips. in Manuduct. Omnibus ad pompam magis & animi elationem, quam

veritatem rerum compositis. Quis enim felicem & ex omni parte beatum inter homines iudicarit illum, qui necessariis egeat, qui naturam in ortu non matrem sed nouercam habuerit, fortunam semper inspexerit aduersam, ita vt nulla ei dies serena effulserit, nulla molestiâ caruerit hora? Summum bonum totum hominem perficere debet: Cum ergo homo animâ & corpore constet, & ratione corporis actionumque animi multis egeat, vt optime se habeat, summoque huius vitæ bono, cumulatè fruatur; necesse est, vt felici conspiratione in eo omnia connectantur, quæ splendori & perfectioni vitæ humanæ conducere valent. Propterea rectè iterum Alexander in 2. de Anim. cap. 33. dicit; Virtutem esse perinde ac opificem felicitatis; & quia omnis artifex necessario eget instrumentis suis, nec sibi soli est satis, ideo ea quoque suis instrumentis egebit, cuiusmodi sunt naturæ & fortunæ munera. Ideo, quicquid dicant Stoici, externa ista bona à felicitate excludenda non sunt; sed ad eius integritatem planè sunt necessaria; necessaria, inquam, tum ob obiectum nostrarum actionum bonarum; (hæ enim circa quædam versantur, quæ absque externis bonis prestari non possunt) tum ad materiam in qua noster animus est, nimirum ob corpus ad quod fouendum externa quædam bona exiguntur. Ita vt alienissimum planè sit à diuina felicitate, quę bonis externis non indiget, ad humanam argumentando procedere, quod Stoici faciunt, vt apparet ex Lips. lib. 2. diss. 20.

6 *Num minus sit malum semper caruisse fortunâ prosperâ, quam ab ea semel totum mox destitui & relinqui?*

COmmuni consensu asseritur primum esse minus malum; Ideo Seneca in lib. de Anim. Tranquil. *Laetiores*, inquit, *relinquit fortuna, quos nunquam respexit, quà quos deseruit.* Et Boetius de Consol. lib. 2. inquit; *In omni aduersitate fortunæ infelicissimum genus infortunii est, fuisse felicem.* Nec sine ratione quidem; Possessio enim parit exactiorem cognitionem boni; Quod autem exactius cognoscimus, id magis appetimus; quod magis appeti-

appetimus, id non adepti magis dolemus. Quin & vnum oppositum alterius cognitionem iuuat: itaque vt myrrha post saccharum assumpta, longè videtur amarior; sic quæ fortunam secundam excipiunt calamitates longe putantur acerbiores. Ideo Cæsar 1. Comm. bel. Gal. *Consuesse Deos, inquit, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci velint, his secundiores interdum res concedere.* Hæc tamen sententia admodum dubia videtur; Cum enim munera Fortunæ bona sint, si priuari bono est malum; priuari eo diutius est deterius; quare priuari per totam vitam censeri debet deterrimum. Et si melius est nunquam possedisse opes, quam semel possessas iterum amittere; pariter quoque melius esset nunquam fuisse quam esse cum hac conditione & lege, vt moriaris; melius esset per omnem vitam oculorum lumine captum fuisse, quam à natiuitate incorruptam obtinuisse oculorum aciem, & postea progressu temporis ea orbari. At quis non mauult ad tempus, licèt illud breue, esse, quam planè non esse? quis non paucarum horarum visione frui mauult, quam planè videndi munere destitui? Hac sanè parte longè beatiores sunt, qui oculorum sensu à natura præditi eum postea casu aliquo amiserunt, quam qui cæci nati sunt: quod illi sciant quid sit videre, & scientiam de coloribus habeant, per phantasmata seruatam, quâ hi destituuntur. Adeo vt ea communis sententia si non planè falsa, saltem apprime dubia videri possit; Quam tamen vt ab errore vindicemus, sciendum est, aliquid posse esse minus malum, vel absolutè, vel certi temporis respectu. Absolutè minus mala est priuatio in parte, quam in toto tempore; quia priuatio mala est, possessio boni est bona; quare absolutè loquendo priuatio quô est diuturnior & maior, eô est deterior. Verum eo tẽpore, quo homo priuatus est bonis externis, ea priuatio per se est molestior quæ magis nos afficit: nam maior cognitio & assuetudo maiorem parit appetitionem, & talis est priuatio in parte temporis. Quo illud pertinet commune velut adagium; *ab assuetis non fit passio.*

7 *An vir bonus debeat esse appetens honoris?*

SI honor accipiatur pro merito honoris, siue pro virtute, qua nos honore dignos præstamus, liquida res est, nihil honore nobis debere esse prius, nihil antiquius. Quid si autem sumatur pro externo signo & testimonio quo alii nos prosequuntur & ornant propter virtutẽ, quæritur, an huius debeamus esse cupidi? Certè negligere omninò non debemus; sed moderatè operam dabimus, vt probitas nostra omnibus elucescat, & virtutem sua consequantur præmia. Itaq; si honos noster periclitetur, & nos iniustè aliorum calumniis petamur, in eo erimus, vt omnem sinistram de nobis suspicionem animis hominum eximamus, & innocentiam nostram, quantum fieri potest, testatam faciamus. Verum intra certos ista honoris cupiditas se debet continere terminos, ne dum nimium affectamus honores, illis indigni habeamur. Qui enim honorem nimium appetunt, videntur illum primo loco & gratiâ sui, non vt signum alterius appetere. Qui autem honorem propter se appetunt, & reliqua propter honorem, illi se viros bonos nõ esse ostendunt. Tametsi enim benè agant, tamen non ex amore virtutis, sed propter caussam aliquam ipsa virtute indigniorem, nempe honorem, ita agunt, malè etiam acturi, si aliquod incrementum honoris inde sperari posset. Ad quod nullo modo adduci potest vir bonus; quem vt non gloriolæ spes primò & principaliter ad virtutem excitat, ita nec infamiæ metus à benè agẽdi proposito auocat. Sed mauult benè agendo *esse*, quã malè agendo *haberi* honoratus. Etsi enim honor externus illi subtrahatur, non tamen propterea minus est honoratus. Virtus enim quæ nos propriè honoratos efficit, & per quam alius alio est dignior, nullâ hominum iniuriâ ipsi præripi potest. Vnde simul apparet, Virum bonum magis de tribuendo, quam recipiendo honore esse solicitum. Etsi enim ab aliis non honoretur, non propterea meritis honoris priuatur: verum si eos, qui honore digni sunt, non honoret, reddit semetipsum vt minus iustum, ita indignum honore.

8 Honor

8 *Honor sitne honorantis, an honorati?*

HOnor, inquit Arist. 1. Eth. 5. *non est in honorato, sed honorante.* Hæc sententia cautè accipienda est, ne in errorem inducamur. Sanè si ipsum fundamentum honoris spectes, siue virtutem, quæ vt efficiens impellens seu mouens homines incitat ad benè de nobis sentiendum, illa est non in honorantis potestate, sed honorati. Ideo Aloardus Gualãdinus Honorem dicit esse naturalem quandam à bonis aliorum actionibus visu audituve perceptis in animis nostris necessario factam impressionem. Neq; enim fieri potest, vt virtutem visam & agnitam non reuereantur & colant etiam scelestissimi quiq;, etiam facinorosissimi. Hinc Seneca Epist. 14. ait; *Nunquam in tantum conualescet hominum nequitia, nunquam sic contra virtutes coniurabitur, vt non Sapientiæ nomen venerabile & sacrum maneat.* Quare cum Arist. dicit, *Honorem esse in potestate honorantis, non honorati*, absque dubio externam tantum significationem eius affectus, quo virtutem alicuius personæ prosequimur innuit, quam ab honorantis arbitrio pendere nos quoq; concedimus. Sæpè enim fit, vt quamuis homines interiori affectu virtutem alicuius personæ colant, tamen vel inuidia, vel periculo impediti interioris sui affectus signũ dare vel nolint, vel non audeant; quod cum fit, vtiq; is qui honore dignus est, impeditur, quo minus id, quod virtuti suæ debetur, audeat postulare.

9 *Cur reuerentiæ cultum alicui exhibituri caput aperimus?*

PLinius lib. 38. Natur. hist. c. 6. *Capita aperiri Magistratus*, inquit, *non venerationis causa iusserunt, sed valetudinis, vt firmiora ea consuetudine fierent.* Pro cuius caussæ cõfirmatione facere posset id, quod Herodotus in Thalia tradit; Persarũ capita adeò fragilia esse, vt si velis ferire vel solo calculo perforare possis; Ægyptiorum autẽ ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas. Hoc autem ideo accidere, quod Persæ a pueris caput operiant, & pileos atq; tiaras gestitent; Ægyptii semper nudo & raso capite incedant, vnde deinde ad Solem os capitis reddatur compactius. Quin & Ranzouius propter hanc ipsam

caussam lotionem capitis per aquam frigidam præferat illi quæ administratur per aquam calidam. Et Arist. in Probl. autor est, caput sæpius ablutum aquâ calidâ citius canescere, quam si frigida aspergatur & mundetur. Verum ea res varias patitur exceptiones locorum, temporum & personarum; ideo vix hoc in apertione capitis communi consensu gentes spectasse crediderim. Plutar. Problem. 11. ait propterea honoraturos detegere capita, quia honor & gloria sunt splendidum quiddam, illustre & apertum. Piccolom. cap. 31. Grad. 8. dicit propterea id fieri; quia honor est indicium & signum virtutis; iudicamus capite proximè vt instrumento. A quo non multum discrepans Cœlius Rhodig. in hanc sententiã scribit lib. 20. cap. 12. Diuinissimo in nobis membro diuinitus enitescentem in aliquo præstantiam reuerenter & religiosâ quadam obseruantiâ excipere congruentissimum fuisse arbitror; quando non corporeâ, non fluxâ & instabili nostri parte cœleste donum honore prosequimur, sed mente, quæ (vt Lactantius scribit ac prius docuerat Plato) in summo capite collocata tanquam in arce sublimis speculatur omnia & contuetur. Hæc Rhod.

10 *Vnde mos exosculandi manus originem traxerit?*

DEosculatio venerationis signum fuit, idolis & aris primo aliisque rebus sacris magna quadam Religione ab Ethnicis tributum; Postea ad homines quoq; cultus hic est translatus, sicut qui pro aris & focis fortiter pugnando laudatam patriæ nauasset operam, eius manus (cuius nimirum vi & robore res tam præclaras gesserat) certatim aliorum osculis appeteretur. Hinc Catone de Prouincia digrediente Plutarchus scribit milites manus eius reuerenter fuisse exosculatos. Itaque cum postea passim Reges & Principes pro subditorũ salute bella gererent, inoleuit consuetudo, vt subditi ipsorum manus in venerationis testimonium exoscularentur. Sed progressu tẽporis inciuilius id iudicatũ est, quélibet ore suo contingere manũ ipsius Principis; ideo consuetudine hac sublatâ vel saltem minus frequenter vsurpatâ

vſurpatâ ad propriarum manuum oſcula peruentum eſt. *Muretus lib. 10. variar. lect. cap. 1.* ita de hac ceremonia diſſerit; Quod hodiè in conſuetudine poſitum eſt, vt in ſalutandis potentibus, aut in honore eis habendo noſtram ipſi manum ori admouere ſoleamus: Id quæſitum eſt à me, num à veteribus quoque factitatum eſſet, an vt alia plæraque ita hoc quoque ineptè adulandi genus ſeruilia aulicorum recentium ingenia excogitaſſent. Reſpondi eum morem vſq; ab impia illa & ridicula veterum, qui multos Deos colebant, ſuperſtitione ductũ ac propagatum videri. Solebant enim & illi cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum lapidemve aliquẽ aſpicerent in quo diuinitatis aliquid eſſe opinarentur, (neq; enim vilior illis temporibus vllius rei quam Deorum annona erat) manum ad os referre, & tenui murmure illos ligneos & lapideos Deos, vt ſibi fauerent precari. Ouidius:

Ecce lacu medio ſacrorum nigra fauillâ
Ara vetus ſtabat, tremulis circumdata caunis.
Reſtitit & pauido: faueas mihi, murmure dixit
Dux meus; & ſimili, faueas mihi, murmure dixit.

Phil. Melãchton in 2. Pſal. Explicatione.

Apuleius Apologiâ 1. Nam vt audio, percenſentibus iis qui iſtum nouere nulli Deo ad hoc æui ſupplicauit; nullum templum frequentauit; ſi fanum aliquod prætereat, nefas habeat adorandi gratia manum labris admouere. Minutius Felix in Octauio; Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato, vt vulgus ſuperſtitioſum ſolet, manum ori admouens oſculum labiis preſſit. Quo igitur geſtu illi Diis ſuis honorem exhibebant, eodem nos hodie in potentibus & fortunatis hominibus colendis vtimur. Hæc Muretus. Quibus admodum conſentaneum eſt, quod Iobus cap. 31. negat ſe oriente Sole & Luna pulchrè curſu ſuo incedente manum extendiſſe, aut exoſculatum eſſe. Quæ verba citans in Explicatione v. 12. Pſalm. 2. doctiſſim. Interpres H. Mollerus; *Erat*, addit, *id genus Idololatriæ; Nam cum homines ore ſuo non valerent Solem aut Lunam attingere, manum ad ea ſidera extendebant, eam deinde ori admouentes oſculabantur.*

11 *An Nobilitas sit purum putum hominum inuentum, an verò in natura fundamentum suum habeat, ita vt qui ex parentibus & maioribus præstantioribus sint nati, indolem quoque obtineant præstantiorem.*

NObilitatem passim scriptis suis perstrinxerunt Philosophi & Poëtæ tanquam rem vanam & fictã, quæ reuera nihil sit, sed in sola hominum opinione posita, à magno erroris magistro populo alatur. Olim enim aiunt, cum primum nati sumus, naturam omnibus consimilem dedisse faciem, peculiare nihil, vnam eandemq; generis originem haberi, ex vnius semine omnes ortum ducere, nullum esse qui multos auos suos retro numerare nequeat. Frumentum optimum iudicari, non quod in pulcherrimo agro natum sit, sed quod commodè nutriat. Sæpè humili genere natos homines ad virtutem aptiores propensioresque videri illis qui generis sui nobilitatem iactitent, quos sæpè praua animi lubido præcipites ad omne scelus agat. His & aliis efficere volunt, lege potius & stultâ opinione hominum, quam natura nobilium & ignobilium discrimen esse positum. Quorum quidem errorem Natura ipsa, si attendant, facilè coarguet. Quodsi enim ad fructus plures, maiores, suauiores, elegantioresque edendos multum interest ex quali arbore surculus euellatur; Quodsi etiam ad indagandam fallendamque feram, vel ad eandem persequendam prosternendamque non parum facit, ex quali genere canis suscipiatur; Quanto magis ad vitam rectè atque ex virtute agendam, referet ex quibus parentibus sis procreatus; an ex iis qui nunquam actionem aliquam laude dignam ex se ediderũt, an his, quos ardens prouexit ad æthera virtus? Hominum studia quædam certa & mores quosdam inuariabiles pro locorum & regionum varia natura ád successionem perpetua hæreditate traduci videmus; Verisimilius itaq; est parentes ipsos, quorum pars quædam ipsi sumus, ad eam rem aliquid, imo multum conferre, nec tantundem valere,

valere, siue barbara sit, siue Græca origo. Corporis certè accidentia à parentibus in sobolem transferri videmus, videmus deriuari temperamenta, propagari morbos, quidni ergo & animorum propensiones, quæ magnâ parte temperamentum corporis sequuntur, communicari queant? Eandem omnibus primam originem fuisse nemo negat; Sed non eadem tamen à prima omnium origine successio secuta est. Ob regionum enim, consuetudinum, generum vitæ, alimentorum, affectionum animi; & similium varietatem variæ redditæ sunt causæ proximæ; & propterea varia ex iis prodierunt effecta. Quod si nonnunquam secus accidit, si vir probus improbos vel ad improbitatem propensos parit filios, si ex vili etiam casula prodit vir magnus, id nihil refert, quoniam nos id, quod communiter & ordinariè euenit, considerare debemus, non quod raro. natura enim vt plurimum suas leges seruare consueuit, secundum quas

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

12 *Si boni ex bonis nascuntur, cur multi ex parentibus virtute claris orti degenerant?*

NEc degenerant tantum, & alios induunt mores à moribus paternis, sed peiores etiam iis, qui ex ignobilibus nati improbitati se dediderunt, euadunt. Sanè id iam pridem venerandæ Nobilitati labem & infamiam inussit, & eam doctorum etiam virorum calumniis & obtrectationibus exposuit, ita vt *Heroum filii* passim *noxæ* audiant. Caussæ itaq; istius rei nunc explicandæ sunt. Non solâ naturâ bonos homines effici omnium scriptorum consensu receptum est. Habilem natura facit, non dat habitum, inclinat, non cogit, cui nisi doctrina & præcepta magistræ morũ Philosophiæ præsto sint, quid mirum, si plerunq; præceps ad malum agatur? Permagni illud interest, de quo Aristot. 7. Polit. cap. 15. verba fecit: Vt corpus hominis prius gignitur, quam " anima, & pars animæ rationis expers, vel appetitus, "

" prius quam mens & ratio; sic primis illis temporibus ætatis, sensu duntaxat viuimus, mens & ratio ipsa per se non expergiscitur, nisi externus qui clamet præceptor adsit. Vtut autem appetitus benè propensus atq; affectus à patre fluxerit, appetitus tamen est, atq; rebus caducis & corporeis, quæ naturæ suæ conueniunt, facilè mouetur. Quid mirum igitur, si tenerior illa ætas nullis suffulta adminiculis in contrariam naturæ suæ partem flectatur? si appetitus consuetudine ad malum conuersus (ita enim est à natura factus vt ad vtramque partem se conuertendi facultatem habeat) proba institutione, atque educatione non cohibitus tantas postea vires sumat, vt adultus etiam atq; exorto rationis lumine, ipse tamen adhuc sibi vendicet principatum? Prima igitur hæc & potissima tanti mali caussa est. Sequitur altera, de qua verba fecit Plutarchus ex Xenophonte: quod homines qui alioqui sunt nobiles & virtuosi, aliquando vel opum ac diuitiarum vel pulchritudinis gratia (sunt enim homines quantumuis sapientes) ignobilem & non benè moratam vxorem sibi adiungant, quæ vt coniunctissimum quoddam est in generatione filiorum principium, ita validissimum est ad naturam eorundem deprauandam si sit mala. Neq; parum momenti ad prolis naturam affert, quo loco & quâ ætate maritalis coniunctio nobilium fiat; Non omnis enim ætas generationi apta est, saltem perfectæ: Adolescentium fœtus immutati sunt vt corpore, ita & mente; Extrema quoque senectus ad procreationem minus est idonea, sed illa ætas, in qua corpus & mens maximè vigent, est accommodatissima. Illud postremo obseruarunt Medici, quod ad ipsum generationis actum pertinet: Sunt qui languidè & oscitanter, sunt qui ebrii, sunt qui non adeò intenta in rem ipsam mente actum hunc exerceant; Quorum fœtus à parentum natura generositateq; desciscere verisimile est. At qui ardentius attentiusque & cum voluptate rem agunt, similis propemodum indolis & conditionis prolem suscipere solent. Sic igitur si ingenium illud acutum & solidum maiorum vel tantillum ob vnâ ex hisce causis, flaccescere incipiat, paulatim incremento in posteris accepto in insanum ac stoli-

In opusc. pro Nobil.

Vide Piccolh. P. M. Grad. 8. c. 20.

Leuin. Lemn. de occult. nat. mirac.

ſtolidum, hebesque tandem conuertitur. Quod autem peioribus etiam moribus Nobiles eſſe, quam alii ſoleant; cauſſa illa generalis eſt, quod naturam habeant ad omnia paratiorem, plurimumque ingenio valeant cogitationeque (idem affert pro cauſſa Philoſophus ſect. 29. Probl. 7. in re ſimili, *Cur homo qui adeò eruditione præditus eſt, animantium omnium ſit iniuſtiſſimus? An*, inquit, *quia plurimum rationis habeat? Voluptates itaq; atq; felicitatem quærit & affectat maximè: quod ſine iniuria fieri nequit.*) Quapropter cum virtutibus moralibus careant, naturalibus autem perfectius inſtructi & armati ſint, quam ignobiles eſſe ſoleant, mente cogitante, ſuggerenteque, importuniſſimi omnium immaniſſimique fiunt, in venerem, gulamque turpiſſimi. Multæ prætereà nobilibus cum in tanta exiſtimatione, autoritate, fide, vbique præ cæteris habeantur, diuitiisque affluant, ſeſe offerunt occaſiones, quibus adiuti plus malè agendo præſtare, quàm alii valeant. Quo etiam reſpectu nobiliſſimos ac ditiſſimos quosque μεγαλοπονήρους μᾶλλον, & contra pauperrimos μικροπονήρους λίαν eſſe ſolere in Politic. libr. 4. c. 18. ſcriptum eſt. Hæ ac tot cauſſæ poſſunt à nobis afferri, quo minus nobilis proles naturam parentum moribus ingenioque ſemper exprimat, imò & ipſos ignobiles malè agendo plerumque vincat. Vbi & hoc ſimul conſiderandum, vt omnium rerum, ita quoq; proſapiarum eſſe viciſſitudinem in hoc mundo, nec velle Deum, vt ſemper vna vel altera familia emineat, reliquæ puluere quaſi obſitæ in obſcuro ſemper latitent. Ideo familiæ alicuius ſplendorem obliteraturus, & eam ad viliorem conditionem redacturus, heroicos illos ſpiritus ipſi adimit, vnde paulatim ipſam inclinare & in peius ruere neceſſe eſt: Aliam contra nouâ aliquâ luce irradiaturus nouis ſimul dotibus ornat, vt præclaras concipiat virtutum flammas, quib. ad magnos honores poſteritati eius aditus paratur. Itaque S. Simonius in Tract. de Nobilit. cum prolixam hac de re quęſtionem inſtituens, has ipſas, quas modò dedimus, cauſſas diligenter pertractaſſet, Problema iſtud concludens ſic ſcribit; *Alias cauſas non facilè ſcire poſſumus, neque vt ſciamus laborare debemus. Sapientia non mi-*

" *nima pars est, nolle nimis sapere. Sic ille voluit, qui potuit o-*
" *mnia, vt omnium rerum esset vicissitudo, vt in ista orbiculari*
" *rerum omnium conuersione non minus colere iustitiam eius,*
" *quam admirari potentiam deberemus.* Et Plato propterea solitus fuit dicere, omnes Reges ab Agricolis, & omnes Agricolas à Regibus originem ducere. Cognata est quæstio: *An qui propria virtute laudem & gloriam sibi iuit quæsitum, præferendus sit illi qui gloriam à maioribus partam accepit?* Facilis est responsio; Magni fit atque honoratur Nobilitas propter virtutis opinionem. Virtus igitur omni nobilitate præstantior est; ἥπερ κρεῖσσον τῆς εὐγενείας τὸ καλῶς πράσσειν; inquit Euripides. *Nimirum benè agere Nobilitati præstat.* Qui ergo nobilis virtute propriâ caret, & maiorum duntaxat suorum meritis commendari vult, is etsi seriei & familiæ nomine ac splendore ornatior sit plebeio, tamen virtutis immediatum in se fructum atq; effectum propterea non obtinebit. Idcirco notatu dignum est Poëtæ Carmen;

> *Hinc tua me virtus rapit & miranda per omnes*
> *Vita modos, quæ si deesset tibi fortè creato*
> *Nobilitas, eadem pro nobilitate fuisset.*
> *Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis*
> *Atria, quid pleni numeroso Consule fasti*
> *Profuerint, si vita labat? Perit omnis in illo*
> *Gentis honos, cuius laus est in origine sola.*

At si nobilem propria virtus comitetur, eritne is propriâ duntaxat virtute claro præferendus? Plato statuit eos, qui obscuro loco nati virtutibus præstant, ordine superiores esse debere, quam qui clarâ stirpe creati iisdem virtutibus excellant; Idque propterea, quia Homo nouus nullis exemplis incitatus, non multis adiumentis fultus sine vlla necessitate (licebat enim ipsi cum aliis suis maioribus in obscuro delitescere) solâ virtute propriâ summum honoris gradum assecutus, non seipsum duntaxat, sed totum genus suum illustrat, ac principium posteris dat nobilitatis. Nobilis contra se habet per omnia, neque tamen tot tantaque præstat. Sed merito hæc sententia absurda videtur Bod. libr. 3. de

Repub.

Repub.c.8.In illo enim qui virtute ſimul & auorum claritate commendatur,non modo propria elucent facta, ſed maiorum quoque, quoties vnus ex eis præclarè aliquid geſſit;& quot fuerunt ex iis illuſtres & clari, toties ac tot acceſſionibus aucta gloria illius eſt. Vnius itaque merita cum tanto cumulo non ſunt comparanda. Præterea,quę magna ſunt,non conſeruare modo, ſed etiam augere,maius quippiam eſt quam minima ſibi comparare.Noui homines & qui maiores habuerunt obſcuros ſolâ collatione illuſtres iudicantur. Nobili vero propriâ ſuâ virtute claro; maiorum quoque nobilitate collatâ nō parum ex propria virtute accedit.Nec magni momenti iudicanda eſt ratio pro Platone allata; Gloriâ enim parentum non tam excitantur, quam ſegnes redduntur poſteri,vt quaſi ea contenti in ea manere neque vltra pergere velint. Nouis autem hominibus verius acceſſit ſtimulus, qui cum antea carerent honoribus,atque in obſcuro laterent,non tam ſponte,quam nimio pudore coacti ad virtutes & honores omni ſtudio contenderunt.Nec tamen ſua, quantumuis ampla dignitate tantum quantum nobiles præſtant. Dant ipſi poſteris principium nobilitatis:At hi principium ſimul atq; incrementum ſuis hæredibus largiuntur.

13 *An mores animi ſequantur temperamentum corporis?*

ITA viſum eſt Galeno, qui Medicos propterea affirmat eſſe optimos morum moderatores. Illi enim cū circa multiplices herbarum vires verſentur,omnium optimè norunt, quid temperamentum humanum perficiat,quid euertat & deſtruat. Verùm hæc opinio ſi neceſſariò mores animi ſequi corporis conſtitutionem ſtatuit, & ſequi proximè ac vt cauſſam adæquatam, à nobis admittenda non eſt. Alias enim mores non eſſent mores, cum mores propterea ſint & nuncupentur, quia more & aſſuefactione nobis competunt. At ſi temperamentum ſequuntur,iam nō more,ſed naturâ formabūtur.Nec erunt in noſtra poteſtate,ſed à corporū tēperamento pēdebunt, quod ſi ad bona te pelliciet,

necessariò bonum sectaberis; si ad malum stimulabit, ad malum torrentis instar rapieris, frustra reclamantibus, & aliò te retrahere satagentibus Legumlatoribus. Vnde iam nec præmii nec pœnæ locus superfuturus est; quicquid enim fuerit vel vitii vel virtutis commissum, ex necessitate naturæ erit, non ex propositi voluntate. Quare neque Ethica amplius opus erit ad mores probè componendos, sed Medico totum id negotium erit relinquendum. Quæ quàm absurda sint, quilibet facilè videt. Interim non negamus, magnum ad mores formandos momentum habere Naturam & corporis temperamentum, atque ex isto temperamento ortas propensiones. Nec omnem eripimus fidem Physiognomiæ, quæ ex corporis signis animi & morum argumenta elicit. Si non semper, saltem frequenter mores animi sequuntur temperamentum corporis, & si non omnes, plerique saltem eò animis & cupiditate feruntur, quò Natura & temperamentum inclinat. Longè maiori certè cum promptitudine & dexteritate agunt, quando reliqua non deficiunt, qui Naturam habent bonam, qui temperamentum benignum, quàm quibus illa est deprauata, hoc vitiosum. Melanchthonis sententia memorabilis est; *Vbi desunt naturales impetus, etsi vtcunque assuefieri talia ingenia possunt, tamen habitus imperfectiores redduntur.* In corporalibus idem euenit; cures quantumuis diligenter, valetudinem quidem conseruabis, vel recuperabis aliquando, nunquam tamen præstabis, vt optimè omnium valeas, nisi optimũ corporis temperamentum tibi contigerit. Eodem pacto ad excellentem virtutem optimè constituta Natura exigitur.

14 *An peccata & vitia omnia paria?*

NObile hoc est Stoicorum Paradoxum, de quo Cicer. pro Muren. *Placet Stoicis omnia peccata esse paria, omne delictum scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum qui gallum gallinaceum cum opus non fuerit, quàm qui patrem suffocauerit.* Laërtius in Zenone caussam
» addit; Vt enim, ait, verum vero magis tale non est,
» neque falsum falso; ita nec fraus fraude, nec peccatum

pecca-

peccato. Nam & qui centum stadiis Canopo abest, & qui vno, pariter non sunt in Canopo; sic qui paruum vel magnum delinquit, pariter abest à recto. Apud Ciceronem alia est similitudo. 4. de Fin. Nihil adiuuat procedere, inquit, & progredi in virtute, quò minus miserrimus sit, antequam ad eam peruenerit: quoniam in aqua nihilo magis respirant, qui iam ad summam eam appropinquant, quam qui sunt in profundo; & quoniam catuli qui iam despecturi sunt, cœci æquè, vt ii qui modò nati. Platonem quoque necesse est, quoniam nondum videbat, æquè cæcum animo, ac Phalarim fuisse. Hæc ex Stoicorum sensu Cicero & Laertius, & non sine colore; quem tamen facilè diluemus; Etsi enim vitium vniuersè sumptum, positum absolutè sit in recessu & declinatione, tamen vitium, vt maius vel minus, positum est in maiori vel minori declinatione. Licèt itaque omnes, qui in vitiis sunt, à medio recedant, tamen non eodem modo omnes, & qui pauxillo à metâ absunt, facilius ad eam accedunt, quàm qui longinquo, qui progressum fecere facilius emergunt, quam qui in fundo. Adeò vt vitia imparia sint, non tantum ob materiæ siue obiecti, circa quod vitiosorum actiones versantur, externi inæqualitatem (id quod Stoici etiam ipsi concèdunt) verum insuper etiam ipsorum patrantium ratione, & animi non in omnibus æquè malitiosi. Ideo Iuriscõsulti sibi vendicantes quod Ethicæ erat proprium, in peccatis diligenter distinguunt inter dolum & culpam, & ipsius culpæ quoque varios constituunt gradus, ita vt aliam dicant latam, aliam leuem, aliam leuissimam. Sed & ipsi Stoici, inquit Plutarchus in libello de profectu in virtute, dũ clamant parem iniustitiam esse Aristidis & Phalaridis, improbitatem Meliti & Platonis in vitâ tamen & rerum vsu illos declinant, his adhærent, & audiunt & fidem habent. Vide Lips. Manuduct. lib. 3. diss. penult.

Lips. Æqualis vbique malitia, etsi in materiâ inæquali.

15 *An Ignorantia excuset, vel saltem minuat peccatum?*

Distinguendum inter varias Ignorantiæ species: Est enim *Ignorantia* vel *Iuris*, quando ignoratur, an ali-

quid rectè siue iustè aut iniustè fiat; vel *Facti*, quando ipsum factum ignoratur. Ignorantia Iuris non excusari peccatum, communi ferè consensu ab Ethicis statuitur. sed certè nimis generaliter; Etenim Ignorantia Iuris particularis, quâ speciale aliquod & extraordinarium Principis aut Magistratus alicuius edictum aut mandatum, ignoratur, omninò ad tempus excusat peccatum, vt præclarè monet P.Martyr ad c.13.lib.1. Samuel. vbi ex hoc fundamento Ionathanem excusat comedentē mel eo die, quo Rex præceperat publico edicto, ab omni cibo & potu abstinendum esse. *Scribitur enim*, inquit, *in Authenticis quædam decreta ante certum tempus vim suam non obtinere.* Ignorantia autem, addit ibidem Martyr, Iuris communis, (quâ ignorantur præcepta communia iusti & iniusti, atque adeo talia, quæ omnes homines scire poterant & debebant) etsi non excusat in totum peccatum, (causa enim peccati ex tali ignorantia commissi non tam est ipsa ignorantia quam voluntatis vel potius volentis peruersitas, qui noluit ea scire quæ scire potuisset) tamen excusat ex parte. Ideo Petrus Apostolus in Actis inquit: *Scio, fratres, vos ista per ignorantiam fecisse*, &c. Quam determinationem doctissimi viri putamus sufficere ad soluendas omnes quæstiones, quæ circa hanc materiam de Ignorantia iuris moueri solent. De Ignorantiâ facti consentimus cum Philosopho 3. Ethic.c.1. eam mereri excusationem, si dolo careat, si dolorem & pœnitentiam comites habeat, si denique non sit accersita, non affectata.

16 *An Casus fortuitus semper excuset factum?*

NOn semper; Non si id ex quo casus iste ortus fuit vel planè elicitum fuit, vel ludicrum & otiosum, ita vt omitti rectius & honestius potuerit; Non si propositum malè agendi adfuerit, etiamsi fortè executio facta sit in alio subiecto; Nō denique, si Causa, Casus & Euentus mali in agente fuerit aliqua, licèt non fuerit totalis & plena. Sic ergo non excusatur qui otiosus in præcipitio montis sedens, lapides fallendi temporis ergò deiiciens, hominem in subiecta valle ambulantem lædit; Non excusatur qui ioculari certamine cum al-

tero congrediens, ei oculum effodit; quia occupatio ludicra est. Non crimine liberatur qui occidendi Titii propositum habens Caium ad dirimendam pugnam fortè interuenientem saluo Titio perimit, quia malè agendi propositum adfuit; non denique culpâ vacat, qui leuiter tantum aliquem verberare animo constitutum habebat, re interim sic cadente, vt alter ex istius plagæ inflictione moriatur, quia agens si non totalem, saltem aliquam tribuit homicidio causam. Quæritur autem hic, *an is possit excusari casu fortuito, qui domi suæ ob necessariam causam stipulam aut sarmenta incendit, ita vt ignis vlterius grassatus vicinas ædes succendat?* Respondemus, si tempore & loco eiusmodi, quæ ipse periculosa esse scire potuit & debuit, id fecerit, culpæ reus est. Sin autem omnia quæ debuit obseruauit, & tamen subita vis venti ignem longius propulerit, excusatur casu fortuito.

EPIMETRA METAPHYSICA.

I *An Metaphysicæ aliqua sit vtilitas?*

Metaphysicæ vt summa est dignitas, ita maxima ad reliquas disciplinas vtilitas. 1, quia Res omnes in reliquis disciplinis pertractatæ subiiciuntur & subordinantur Enti Metaphysico, tanquam species suo generi; sine genere autem species rectè intelligi nequeunt. 2, quia generalissima illa & communissima omnium disciplinarum principia, sine quibus disciplina nulla rectè conformari, aut disci potest, plæraque omnia sunt Metaphysica; qualia, exempli gratia, sunt illa; *Quodlibet est, vel non est*; *Duo Contradictoria non possunt simul esse vera*, &c. 3, quia omnes disputationes & quæstiones aliarum disciplinarum resoluũtur & reducuntur ad aliquem terminum scientiæ Metaphysicæ; Omne enim subiectum, de quo disputatio aliqua instituitur, rectissime probatur aut refutatur per sua genera tum subalterna, tum generalissima.

2 *An subiectum Metaphysicæ sit Ens in genere?*

Subiectum Metaphysicæ est Ens; sed illud subiectum est imperfectum & ambiguitati obnoxium, siue, vt Logici vocant πρὸς ἕν. In generibus autem πρὸς ἕν primaria species sibi vendicat proprietates generis, id est tota explicatio generis πρὸς ἕν pendet ab explicatione primariæ speciei. Itaque proprium & perfectum subiectum Metaphysicæ est Ens perfectè ac propriè dictum, nempe substantia.

3 *An sit Diuisio generis in species, cum Ens aliud dicitur esse Reale, aliud Rationis?*

Quando Ens aliud dicitur esse **Reale**, aliud **Rationis**, non est ista diuisio generis in suas species; sed distinctio vocabuli ambigui in sua varia significata, sicut quando homo dicitur esse vel verus vel pictus aut fictus.

4 *An Metaphysica tractet de notionibus secundis?*

Sicut Metaphysica in genere quidem explicat, quid sit Substantia, quid Quantitas, quid Relatio, Actio, Passio, species autem Substantiarum, Quantitatis, Relationis, &c. aliis disciplinis trutinandas relinquit: Ita eadem Metaphysica absolutè quidem & in genere tradit quid sit notio secunda, & quæ eius proprietates; Genus autem, Speciem, Differentiam, Causam, Effectum, Subiectum, Totum, Definitionem, Diuisionem & alias species secundarum notionum, arti Logicæ explicandas commendat. Quod si fortè ipsa quoque tractationẽ suscipiat de Causa, Causato, Toto, Parte, Identitate. Distinctione, Oppositione, alia longè & significatione & consideratione id facit, quatenus nimirum ista omnia sunt imagines primæ & affectiones Entis reuera extra mentem hominis positæ, non quatenus sunt imagines secundæ & instrumenta siue modi τῆς παιδείας.

MATHE-

MATHEMATICA; ET IN SPECIE GEOMETRICA.

1 *An in Mathematicis dentur Demonstrationes omnium euidentissimæ?*

DEmonstrationis vocabulum est ambiguum, vt ex Logica constat; interdum enim sumitur pro necessaria quauis probatione in genere; interdum verò pro tali probatione necessaria, in qua medius terminus est causa efficiens proxima, vel etiam finis. Etsi autem certum est, quod in Mathematicis sint probationes penitus necessariæ & omni exceptione maiores; tamen paucæ sunt in iis Demonstrationes strictè & specialiter appellatæ; quia in Quantitate causæ efficientes & finales non ita dominantur, vt in Qualitatibus & Actionibus. Alioquin, vt dixi, quod attinet probationem necessariam eam quæ in Logicis *Syllogismus Dicticus* appellatur, omninò Mathematicæ disciplinæ cæteras omnes Philosophicas superant. Id quod non puris tantum & abstractis disciplinis Mathematicis, sed mixtis etiam tribuitur à plerisque. Nec obstat quod Mechanici peritissimi operationum multarum diagrammata & demōstrationes exhibeant, & nihilominus tamen demonstrata opere ipso præstare & exhibere sæpissimè nō possint, quantumuis sedulo moliantur. Nimirum impedimenta varia artifici, vtut firmis demonstrationibus instructo, oriuntur inter operandum, vel à materia in quam agit, vel ab instrumentis aut causis sociis per quas operatur: Quæ impedimenta & defectus tamen non ipsi disciplinæ aut eius demonstrationibus debent imputari.

2 *An in doctrina Geometrica de figuris primum merito locum occupet tractatio Circuli?*

Omnino: Circulus enim est omnium figurarum nobilissima & perfectissima, quæ ex omni parte sibi conformis & æqualis, per se omni principio & fine caret; etsi imbecillitate pingentis principium & finem habere

censeatur. Iam verò quod in quoque genere est perfe-ctissimum, id quoque in eodem rerum genere est primum. Prima autem primo loco tradenda. Si ergo circuli figura est perfectissima, erit & prima; Si prima, primus quoque ei ex ordine locus debebitur; Præsertim cum nec Triangulum, nec Quadrangulum constitui rectè possit, vel declarari & demonstrari, nisi per assumptam circuli figuram; id quod vel primum Euclidis Problema testabitur.

3 *An Circulus inter omnes figuras maximè sit admirabilis?*

Affirmat Aristoteles in quæst. mech. & rationes ibidem quoque statim subiungit. 1. quia Circulus constituitur ex duobus valde contrariis, nempe ex immobili, & mobili, id est, ex Centro & Circumferentia. 2, quia cum vnicâ lineâ constet Circulus, ducta nimirum per ipsum centrum, quæ linea vocatur *diameter*, tamen ista vna linea interdum tardius, interdum celerius mouetur. Celerius quidem ea parte quâ maxime distat à centro siue medio Circuli; Tardius vero eâ parte, quâ proxime ad centrum accedit. Est & hoc 3. in Circulo admiratione dignum, quod simul sit figura & capacissima & minima; capacissima quidem propterea, quia ob angulorum carentiam nulla figura intra se maius spatium complectitur, quam rotunda; ideo cœlum creatum est rotundum; minima vero etiam, quia nulla figura minus loci occupat quam rotunda.

Finis Disputationis XXI.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Diſputatio XXII.

Quæ eſt Ethica ſecunda,

DE PRVDENTIA.

INSTITVTA IN GYMNASIO DANTISCANO

18. *Mart. Anno* 1606.

Reſpondente

PETRO BERGMANNO

Dantiſcano.

APVD
MAGNIFICOS CONSVLES REIPVBLICÆ DANTISCANÆ,

Dn. JOHANNEM LINDANVM.
Dn. JOHANNEM THORBECIVM.

Nitidiſſima Prudentiæ ſpecula, hæc Prudentiæ lineamenta, obſeruantiſſimi pectoris teſtimonium,

ſubmiſſè deponit

PETRVS BERGMANNVS
Dantiſcanus.

THESES ETHICÆ,

DE PRVDENTIA.

1 Proximè vidimus de Felicitate morali, deque Ethicæ obiecto, & de Virtute morali in genere: sequitur vt singulas virtutis species intueamur.

2 Virtus ergò est vel Dirigens siue Gubernans, vel Gubernata.

3 Virtus Dirigẽs est, quæ reliquarũ virtutũ actiones, certo habito in obiectis actionũ delectu, ad circumstantias conuenientes determinat, & monstrat quid & quantum cuique tribuendũ.

4 Et est tum Prudentia; tum Iustitia, illa quæ vniuersalis dicitur.

5 Prudentia est Virtus Dirigens, per quam bona à malis distinguuntur, & inter ipsa bona delectus habetur, quæque adeo moderatur omnes alias virtutes in accommodatione mediocritatis ad certas & diuersas circumstantias personarum, locorum, temporum.

6 Prudentiæ duæ sunt velut partes & actus: 1, Delectus, 2, Accommodatio ad circumstantias.

7 Eius causæ sunt, Perspicacitas, Solertia, Recordatio siue Cõparatio præsentiũ cũ præteritis.

8 Perspicacitas, Aristoteli Σύνεσις, est vis ingenii, per quã celeriter quis poteſt tum verum scopum suarum actionũ ponere, tum perspicere & iudicare potest, quæ & quot, & qualia media requirantur ad finem feliciter consequendum.

9 Solertia, Aristoteli Δεινότης est vis ingenii;

seu intellectus practici, per quam media idonea ad scopum feliciter quæruntur & procurantur.

10 Recordatio, est vis ingenii simul & memoriæ, per quam præteritorum memores, ea ad præsentia facta dextrâ comparatione applicamus.

11 Effecta Prudentiæ multa sunt nobilissima: sed nos duo ex his tantum seligemus, tanquam duas ex omnibus pulcherrimas filias: quarum prior dicitur *Considerantia* seu *Cautio*; altera *Eubulia*, siue *dexteritas Consilii*.

12 Considerantia est, per quam præterita, si mala fuerunt, corriguntur; si bona, vsurpantur; præsentia cautè tractantur; futura sagaciter prospiciuntur; atque adeò occasiones rerum gerendarum oculatè aduertuntur.

13 Eubulia, siue consultandi dexteritas est, per quam valemus & salutaria & matura consilia inuenire, tum pro nobis, tum pro aliis, si sit opus.

14 Contrariantur Prudentiæ vitia, à quibus multa alia vitia, tãquam malis ducibus & rectoribus pendẽt; in defectu quidẽ Imprudẽtia specialiter dicta; in excessu, nimia Prudẽtia & Versutia.

15 Imprudẽtia est vitiũ, per quod vel malus, vel nullus instituitur rerũ delectus in agendo, & per ꝙ vel nullus, vel præposterus habetur delectus & discretio in circũstãtiis loci, tẽporis & personarũ.

16 Huius siue species, siue soboles gemina est, praua quidem vtraque, sed quarum altera alteri quoque aduersatur, nempe Oscitantia, & Temeritas seu Præcipitantia.

17 Oscitantia siue negligentia est Imprudentia, per quam occasiones rerum rectè gerendarum

rum non animaduertuntur, siue negliguntur.

18 Temeritas Præcipitantia, προπέτεια, est Imprudentia, quâ occasiones rectè gerendarum nimiâ animi & affectuum vehementiâ ac festinatione anteuertuntur, & sic citius agitur quam agendi tempus est, vel plus agitur quam agendum erat; atque adeò nec præterita corriguntur, nec præsentia consideratè tractantur, nec denique futura sagaciter prospiciuntur.

19 Vtriusque proles, atque adeò Imprudentiæ neptis, est *Dysbulia*, defectus & error consiliorum, quando vel nulla, aut non salutaria nec matura, sed tarda, denique nimis præcocia & festinata consilia pro nobis, aut aliis capimus.

20 Nimia Prudentia, περὶ τὸ μέτρον φρονεῖν, est vitium quod ibi intenditur ingenium, & valdè satagitur vbi non erat necesse, & quando fit rerum delectus, & sollicita discretio circumstantiarum, cum nihil erat opus.

21 Versutia, πανουργία, siue Calliditas, est vitium, per quod vel finis malus actionum constituitur, & ad hunc finem mala media ingeniosè quęruntur & inueniuntur: vel etiam ad bonum finem mala media sagaciter applicantur.

PROBLEMATA.

De Prvdentia.

1 *Qualis virtus sit Prudentia?*

OB magnam eius cum virtutibus intellectualibus affinitatem & similitudinem ponit eam Aristoteles inter habitus intellectuales. Ita tamen vt cum morali virtute simul cum indissolubili vinculo copulet. Et potest quidē dici intellectualis ratione causæ efficientis

naturalis, quia magis quodammodo pendet ab intellectu & iudicio; reliquæ virtutes magis à dispositione voluntatis & affectuum. 2, Ratione Subiecti; intellectus nimirum practici, quo proximè mouetur voluntas ad agendum secundum hanc virtutem. Arist. 6. Eth. c. 5. Moralem autem virtutem esse dicimus, tum ratione obiecti, quia versatur circa τὰ πρακτὰ, agibilia, quæ magis sunt obiecta voluntatis quam intellectus. Tum ratione finis, quia perficit voluntatem & appetitum: & quia etiam ad bonum ordinatur, vt efficiat virum bonum. Vnde nullum esse prudentem affirmat Aristoteles, nisi sit vir bonus cap. vlt. lib. 6.

2 *An prudentia præstet virtuti morali particulari?*

Disputat hac de re Picolhomineus gradu 5. cap. 41. & 42. ita vt dicat, Prudentiam antecellere cuilibet virtuti alii; quia vel præscribit illis finem proximum per primam & vniuersalem consultationem; vel per secundam eius consultationem modum eis tradit assequendi finem primum præscriptum, cùm virtus alia solùm nos constantes erga illum reddat. Dirigens igitur dignius est eo, quod dirigitur. Id sine quo aliud non potest perfici, eo sine quo ipsum potest esse perfectum. Quod difficilius, eo quod facilius: Denique quod rei digniori (nimirum intellectui practico) eo quod affectibus tanquam rei indigniori inest.

3 *Sapientiane an Prudentia præstantior?*

Duplex est hominis finis, perfectio Intellectus & bonum Voluntatis. Ratione illius præstat Sapientia, ratione huius præstat Prudentia. At cùm finis alter altero præstantior sit absolutè, nimirum bonum Intellectus, bono Voluntatis, cùm ipse intellectus facultas sit absolutè dignior voluntate, sequitur etiam sapientiam præstantiorem esse absolutè consideratam, quàm est Prudentia: imò & ipsi homini absolutè sumpto magis propriam, etsi Prudentia respectu huius societatis sit vtilior; quia illud quod est præstantissimum in homine, est ipsi maxime proprium. Quod tamen non impedit, quò minus eum hominem qui simul cum Sapientia coniun-

coniunctam habeat prudentiam, licèt non in præstantissimo gradu habeat, præferamus illi, qui vel solâ sapientiâ, vel solâ prudentiâ præditus sit, quia neutram sine altera in excellenti gradu possidere potest. Vide de hac re prolixè disputantem Picolhom. gradu 5. à cap. 44. ad 50.

4 *Quantum Sapientia conferat ad Prudentiam?*

Tantum nimirum quantum fons & origo ad flumen ipsum quod ex fonte oritur. Voluntas namque pendet ab Intellectu, ergo & voluntatis habitus pendet ab habitu Intellectus. Ita vt quò copiosiores sunt fontes Sapientiæ, eò sublimiores quoque sint gradus Prudentiæ. 1, enim Prudentia præsupponit effectus quosdam generales, amorem DEI, sui ipsius & aliorum; amor autem ille præsupponit noticiam: siquidem tantum diligimus quantum cognoscimus. cognitio enim boni, vt bonum est, amorem parit. 2, Prudentiæ præcepta habent sua principia & fundamenta in præceptis Sapientiæ: Exempli gratia, in doctrina de fine summo bono, de obiecto anima rationali, voluntate & appetitu. 3. Prudens nemo est, nisi possit discernere circumstantias personarum, locorum & temporum. Istæ autem circumstantiæ sæpè ex fontibus Philosophiæ Theoreticæ distinctionem suam accipiunt. 4, Philosophia Theoretica præbet causas impulsiuas ad virtutes varias & media consequendi virtutes: Vt cognitio Physica temperamenti ad temperantiam, &c. Vnde Picolhomineus comparat Sapientiam Soli, Prudentiam Lunæ; quod hæc ab illa splendorem suum accipiat. Grad. 5. cap. 48.

5 *Cur sine Historiarum studio nemo facilè prudens esse potest?*

Notatu digna est sententia Demosthenis: *Vir prudens debet præteritorũ meminisse, præsentia agere, & futura cauere*: debet præterita, præsentia & futura inter se comparare, siquidem ex vno debet inferre alterum. Quantum igitur ad præterita attinet, opus est eorundem memoria & studio, vt scias, quid antea ab aliis factum sit. Itaque ad du-

plicem Prudentiæ causam referri potest studium historicum. Primo ad memoriam præteritorum euentuum, quæ est tertia ex causis principalibus remotioribus. Secundò, ad causam proximā experientiam & vsum, quæ in alienis obtinet vicem propriæ, vt quod ipsi non sumus experti, id alios expertos esse sciamus.

6 *Vtrum omnibus æquè diuturno exercitio & experientiâ opus sit ad prudentiam comparandam, atq; adeò an ab omnibus simpliciter iuuenibus remouenda sit prudentia?*

Distinctio adhibenda est inter iuuenes ætate, & iuuenes ingenio & ætate simul. Iuuenes ætate non semper excludit prudentia, si nempè sint senes ingenio & iudicio, quibus non opus est tot exercitationibus & rerum vsibus ad comparandum prudentiæ habitum. Iuuenes autem ingenio & ætate simul excludit, non solùm quia causa proxima destituuntur, experientia rerum singularium, quæ non comparatur nisi longo tempore: sed etiam quia ea est naturæ, id est, temperamenti & affectuū imperfectio, vt minus sufficiant experimēta pauca, atque adeò nec alienæ admonitiones & exempla. Præsertim cùm aliena non tantopere faciant ad cognitionem quàm propria; vt ostendit ad Adoard. Gualand. lib. 11. de ciuil. facult. cap. 7. Quæ omnia eodē modo de mulieribus ad viros collatis dici possunt.

7 *Prudentia cur virtutum difficilima?*

Cum quælibet virtus propterea difficilior sit quolibet alio habitu, quia eius Obiecta remotiora sunt ab intelligibilibus; i. vniuersalibus. Idcirco etiā inter ipsas virtutes Prudentia est difficillima; quia versatur circa res omniū singularissimas magis quam vlla virtus alia, atque adeo circa res infinitas. Requirit igitur magnum iudicium tanta varietas, & quidem sæpe extemporariū. Namque vt Gell. egregiè inquit lib. 1. c. 3. rerum paruitates & magnitudines, atque istæ omnes officiorum æstimationes alia nonnunquam momenta extrinsecus atque aliæ quasi appendices personarum & causarum ac necessitatum, circumstantiarumque sequuntur, quas

præceptis

præceptis includere difficile est, & quas tamen Prudentia moderari, regere & gubernare debet.

8 *Vnde lubricitas humanæ Prudentiæ?*

Ex lubricitate & inconstantia obiecti; quale enim obiectum, talis actio. Obiectum autem sunt τὰ πρακτά, agibilia vitæ humanæ, quæ cum sint singularia, sunt infinita, & idcircò incerta & contingentia, varia, inconstantia & ambigua, quorum difficilis est ad vnitatem reductio; cùm quot sunt actiones, tot ferè sint actionum modi; quia vnum singulare rarò cum altero omni ratione conuenit. In quo Prudentiam egregiè cum scientia comparat Aristoteles lib. 6. c. 8.

9 *An Prudentia in ambiguis rebus semper plus metuat quam speret?*

Prudenti frequenter de rebus dubiis & ambiguis cōsultandum est, quæ vel bene, vel male cadere possunt: Plus autem metuit malum, quam sperat bonum, quia scit etiam minimum mali sibi plus nocere posse, quam magnum aliquod bonum prodesse. Et cùm metus acuat diligentiam procurandi media; securitas autem & spes procliuior minuat vigilantiam & curam mediorũ ad propositum finem pertinentium; Ideò sollicitè quærit media ad ambiguum euentum profutura; ita tamen vt maneat animus ad consultandũ & agendum idoneus.

10 *An prudens semper idem sit?*

Idem quo ad naturam suam, quia semper vir bonus est; quo ad actiones autem suas, respectu earundem circumstantiarum idem quoque semper est; sed variatis circumstantiis variat actiones suas secundum modos quosdam. Explicat hoc egregiè Seneca de quatuor virtutibus: Si Prudentiam amplecteris, inquit, vtique idem eris; & prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, ne te in aliquibus mutes, sed potius aptes; sicut manus quæ eadem est cum in palmum extenditur, & cùm in pugnum adstringitur.

11 *Quando citius, quando tardius agat vir prudens; & an celeritas, an tarditas magis conueniat prudenti?*

Distinctione hîc opus est inter consultationẽ & consilii executionem. In consultatione Prudentiæ est perpendere, quamdiu detur tempus ad rei considerationẽ, & si detur tempus longiusculum, lentè consultare. Perpendit igitur Prudentia, quando capienda, quando rapienda sint consilia; ita tamen vt cum tempus datur, præferat consilia capta iis, quæ rapta dicimus: siquidem putat nullam actionem exequendam esse, nisi omnibus ante perpensis, quod summa festinatione fieri nequit. Executio autem consilii semper est celerrima viro prudenti, ne id quod semel constitutum est, & vndique bene prospectum ac ponderatum, impediat & frustretur tarditas.

12 *Vtrum prudens interdum malis mediis ad bonum finem vtatur?*

Quemadmodum in speculatiuis scientiis ex falsis verũ aliquãdo sequitur; ita & in practicis ex malis mediis bonũ aliquando cõtingit propositum, inquit Casus in Spec. quæst. moral. lib. 6. c. 9. Id autem fit per accidẽs; per se enim ad finem bonum non ordinantur media mala; nec manet amplius finis bonus, si ad eum mala ordinentur media. Malum enim non nisi malum intendit, & bonum non nisi à bono intenditur. Finis enim non potest commensurare media à se toto genere diuersa. Vir prudẽs aũt talia debet eligere media, qualia ab ipso fine cõmensurantur, i. e. Certa, non incerta & ambigua.

13 *Quomodo se habeat prudentia ad reliquas virtutes?*

Distinguitur ab illis primò distinctione specifica: quia est species verè ab omnibus aliis diuersa; neque .n. est genus aliarum virtutum. Deinde distinguitur obiecto, quod generalissimum est, nimirum omnia agibilia, tàm bona quàm mala & neutra: Inprimis autem quatenus eligibilia; sic enim agit circa omnia agibilia, vt alterum præ altero eligat, secundum certas circũstantias. Quod obiectum ideo quidem est generalius aliarum virtutum obiecto, quia non vnius speciei actiones respicit: Specialius autem & strictius quatenus ad singulas circumstantias personarum, locorum & temporum

porum determinatur. Ita exempli gratia, Fortitudinis quidem eſt fortiter agere; Prudentiæ autem hoc loco, hoc tempore, hoc modo & non alio fortiter agere. Et refertur magis ad actiones virtutum quàm ad earum habitus; ita vt difficile ſit Prudentiæ actionem ab actione virtutis particularis diſcernere. Dirigit enim eam ita vt quouis tempore, quouis loco finem ſuum diuerſimodè agens conſequatur. Differt itaq; ab ea vt dirigens à directa, vt agendi modus ab ipſa actionis efficacia & principali cauſſa. Cùm enim mediocritas ſit medium ad honeſtum & felicitatem tendens, eam determinat Prudentia ad certas & ſingulares circumſtantias. Virtus autem particularis adhibet efficaciam & promptitudinē ſecundum iſtam Prudentiæ determinationem mouendi voluntatem, appetitum & locomotiuam, honeſteque agendi. Vide Adoard. Gualand. lib. 9. c. 5. Quod non tantùm de virtutibus particularibus, ſed de ipſa Iuſtitia vniuerſali intellectum volumus; quæ licèt etiam alias virtutes dirigat, dirigitur tamen ipſa à Prudentia, dum hæc illius obiectum, ſcilicet Ius ad certas circumſtantias determinat & definit, quæ lex, cui, quo tempore, quo loco præferenda ſit.

14 *Vtrum Prudentia antecedat, an ſequatur conſtitutionem virtutum particularium?*

Et præcedit eas tanquam modum circumſtantiarum præſcriptura & ſimul cum illis perficitur, & ſemper ipſi coniuncta manet. Præcedit, vt dirigens actiones præcedentes habitum, & ordinans media qualiacunq; poteſt, dum adhuc imperfecta eſt, ſimul autem cum illis perficitur & crebris tum ſuis, tum virtutis particularis actionibus confirmatur. Denique ſemper cum illis coniuncta eſt, vt quoties virtus aliquid agere cupit, illa ſimul agat, dirigendo, determinando, & eligendo media ſecundum circumſtantias perſonarum, locorum, & temporum.

15 *Vtrum qui prudens eſt omnes virtutes habeat, atq; adeò qui vnam virtutem, etiam particularem planè habet, omnes habeat?*

Aſſerit hoc Ariſt.6.Eth.cap.vlt.Et ratio eſt manifeſta; ſiquidem qui prudens eſt, reliquis virtutibus & finem præſcribere eumq; determinare poteſt: qui hoc poteſt, ſecundum omnes virtutes agere poteſt. Ergò qui prudens eſt,omnibus virtutibus præditus eſt. Sed qui prudens non eſt, ne vnâ quidem virtute præditus eſſe poteſt: &, per Conſequens, qui vnâ virtute præditus eſt, prudens ſit neceſſe eſt.Ergò qui vnâ virtute prędítus eſt, omnes virtutes habet.Siquidem quæ in vno tertio conueniunt,inter ſe conueniunt.

16 *An Prudentia magis conſiſtat in ſuis quàm alienis conſiliis?*

Prudentia nos docet recta & ſalutaria conſilia inuenire tum pro nobis,tum pro aliis. Pro nobis autem maximè,quoniam qui ſibi ipſi ſapiens eſſe nequit, nequaquam ſapit,inquit Cicero ad Trebatium. Quia nos ipſos magis amamus & nos ipſos maximè nouimus, alios autem propter nos, & ad ſimilitudinem noſtri: Ex amore autem & cognitione eorum quæ ad agendum pertinent oritur prudentis actio.Vbi autem facilius poteſt agere vir prudens, ibi & libentius agit; nimirum in ſe ipſum & in rebus propriis:&ſi maximè aliis conſulat, eatenus tamen conſulit, quatenus ſibi ipſi ſuæq; honeſtati prodeſt.

17 *An lex ſuperior cedat interdum inferiori?*

Si in comparationem veniant duæ leges, primò videndum, an vtraq; ſit de honeſto, an altera de honeſto, altera de vtili. Poſteriori comparatione honeſtum perpetuò præferri debet vtilitati etiam publicæ. In priori, leges ſuperiores pręferuntur quidem inferioribus,vt diuinæ humanis,publicæ priuatis, communes minus cõmunibus,tempore ſcilicet libero. Tempore autem minus libero cogente neceſſitate, vbi ambigitur, vtrum hoc tempore,hoc loco,&c. exequenda ſit potius lex ſuperior quàm inferior,ſi inferiorem vel hoc tempore ſeruare vel planè negligere opus ſit, tum circumſtantia ſuperioris cedit ipſi legi inferiori. Sic tempore neceſſario ea officia quæ parẽtibus,cognatis & aliis hominib.prçſtanda ſunt,pro neceſſitate & circumſtantiarũ ratione, præfe-

præferuntur externis mediis cultus diuini, quæ aliàs tẽpore libero omnibus aliis actionibus præponi debent.

18 *Vtrum Prudentia iubeat obsequi legibus in aliquo loco inuentis?*

Quoties recensetur præceptum illud: *Si fueris Romæ, Romano viuito more*, toties consideranda diligenter est distinctio vocis bonorum morum. Sumitur enim interdum pro honesto absolutè, quod vbiuis vnum & idem est; Bonum enim & vnum conuertuntur: interdum verò sumitur pro eo, quod per se nec bonum nec malum est, sed si addas circumstantiam aliquam, euadit bonum & dicitur *decorum*: quod nihil aliud est, quàm conformatio constitutionum & consuetudinis, ad certas locorum circumstantias, in iis quæ per se nec bona, nec mala sunt. Decorum igitur vbiuis inuentum obseruare, licèt mutatis circumstantiis indecorum esset; indecorum autem omittere, licet aliàs decorum esset, Prudentia iubet: siquidem ea mutare vel non potes cum debes, vel cũ potes non debes.

19 *Inter duo vel plura mala cum vnum est eligendum, quid obseruat Prudentia?*

Cùm omnis electio præsupponat appetitum volentis: Voluntas autem non ordinetur ad malum, ideò mali quoq; nulla propriè erit electio. Cùm autem mala alia dicantur mala culpæ, cùm turpe aliquid committimus & ipsi facimus: alia mala pœnæ, cum aliquid mali patimur. Inter mala culpæ nulla planè est electio, cum ea nulla ratione possint esse honesta, sed vtraque naturâ suâ mala, vt sapienter monet Aristoteles, 6. Ethic. cap. 5. Mala autem pœnæ, vel sunt pœnæ commeritæ, vel non commeritæ. inter pœnas commeritas potest esse electio quædam, quia tum mala illa quodammodo bona sunt, quatenus pertinent ad exequendam Iustitiam, & ibi prudentia dictat eligendum esse maius bonum, nimirum id, quod cum minore nostro damno cõiunctum est, nimirum pœnam mitiorem propter amorem, quo quisq; se ipsum prosequitur. Inter pœnas verò quarum optio datur innocenti, nulla datur electio; quia malę sunt, & nulla ratione bonæ, siquidem Iustitiæ repugnãt.

Itaq; tum nullum spontè eligendum est, ne nos ipsos suspicione oneremus. Exemplo sit ex Gallica historia Princeps Condensis; huic cùm Carolus Nonus Galliarũ Rex optionem dedisset, *vt vel Missam, vel mortẽ, vel perpetuam captiuitatem eligeret*, æquè prudenter ac piè respondit heros, *primum sese, iuuante Deo, nunquam electurum; reliqua duo Regis arbitrio permittere; sed Deum tamen omnia hæc sua paterna gratia ac prouidentia moderaturum.*

20 *Si honesti sit optio, vt vel tibi, vel patriæ illud eligere possis, vtrum tibi, an patriæ eligere iubet Prudentia?*

De honesto non de vtili quæstionem intelligendo, omninò sibi id elegerit vir prudens: quia se primò & maximè diligit, alios autem propter se ipsum. Communia autem præferenda quidem sunt minus communibus, in iis nempè actionibus, per quas nos metipsos perficimus, & sic communibus seruimus, vt simul per tale seruitiũ nostrum quoque bonum non vtile dico, sed honestum acquiramus.

21 *Cur vir prudens pro aliis interdum mortem subeat, atq; adeò an id repugnet Philautiæ legitimæ siue amori sui ipsius?*

Communis est omnium virorum honestorum confessio, teneri virum bonum pro patria, proq; Magistratu vitam ponere; & si quis sit, ex cuius salute magis pendeat salus publica, quam ex te, tu potius mortem subeas, vt eum liberes, cui moriendum esset. Id verò minimè repugnat legitimæ illi philautiæ, quæ vt multarum virtutum, ita amicitiæ in primis principium verum ac fundamentum est, vt in Ethicis præceptis audiuimus. Amor enim sui ipsius dirigitur ad honestatem potissimum & principaliter, vtpotè finem hominis vltimum; ad vtilitatem verò secundariò, quatenus ea ad honestatem referri potest. Quando autem honestati opponitur, etiam ipsi veræ φιλαυτίᾳ opponitur, quod tum fit quando priuata vtilitas præfertur vtilitati publicæ: Honestum enim id est, vt vnius hominis salus postponatur multorum hominum saluti, præsertim patriæ: id

est,

est, bonum minus bono maiori. Bonum enim quod latius extenditur, maius est & melius. Ibi ergò propria vtilitas non amplius ad honestatem referri potest, quando illa latius potest extendi quàm ad te ipsum, & tamen non extendis, sed tibi retines. Ergò nec amplius vtilitas ad φιλαυτίαν referri potest, quando illa pugnat cum honestate. Saluo igitur amore proprio, potest vir probus vtilitatem propriam contemnere, illiq; publicam præponere, id est, minus bonum contemnere; maius autem, i. est, honestũ eligere. Imò facit hoc ipsũ vir bonus ex vero amore proprio, & principaliter propter se ipsum, vt sibi acquirat bonum & felicitatem, dum laudatissimam virtutis actionem obit: Et qui pro patria moritur simul vtilitatem etiam aliquam sibi acquirit, dum nimirum patria seruata, se ipsum, id est, famam suam & suos seruat etiam tum, cùm vitam profundit. Sed posito casu, vt tua salus æquè latè se extendat in publicum quàm alterius, tum sanè Prudentia dissuadet pro illo mortem subire, qui patriæ non magis prodesse potest quàm tu ipse, & præualet tum φιλαυτία, vt propriam salutem cum æquali honestate coniunctam præferas alterius: Vide Arist. lib. 9. Eth. c. 8.

22 *Qualia officia Prudentia suadet tribuenda cognatis, qualia amicis, qualia viris bonis?*

Prudentia officia naturæ debita discernit ab officiis virtuti debitis, & in officiis naturæ, vt in alimonia & vitæ subsidio, primo loco ponit cognatos, secundo amicos viros bonos, tertiò viros bonos ignotos. Contrà autem officia virtuti debita (vt honores) præstat iis quorum virtus maior est, etiamsi natura & sanguine nobis iuncti non sint, cognatos præfert reliquis, amicos autẽ alieno.

23 *Si pater & item filius sint in eodem periculo, & vnum tantum possis iuuare quid faciendum?*

Patrem potius existimem esse liberandum, quàm filium, quia id patri debes, 1. propter sanguinẽ. 2, propter

reuerentiam & gratitudinem quam debes. 3, quia filios alios nancisci potes, patre autem semel adempto semper carendum est. 5, Pater te magis ad virtutem iuuare & exercere potest quàm filius.

24 *Si periclitetur patria & simul periclitentur parentes, nec possibile sit vtriq; succurrere, cui succurrere Prudentia iubet?*

Patriæ; quia lex patriæ est lex superior & publica. Et quia patriæ maiori vinculo obligamur quam parentibus. Parentibus quidem iure humanitatis, & deinde iure sanguinis & vitæ, patriæ autem triplici vinculo obligamur, nempè 1, humanitatis. 2, cognationis. quia Respublica continet salutem nostrorum cognatorum & familiæ; & deniq; peculiari fœdere, ac veluti iuramēto, quod Magistratui & patriæ præstamus tanquam boni ciues. Denique quia & hoc ipsum bonum & honestum est parentibus anteferre patrię salutem, saluti propriæ.

25 *Si periclitetur vir bonus & item vir malus; &, si malus vel magis periclitetur vel huic facilius possis opitulari, cui succurrendum esse statuit Prudentia?*

Viro bono; 1. quia dilectio ex qua auxiliandi studium oritur non nisi bonum respicit; malum autem quâ malum est, odimus. 2, Quia vir bonus est bonum publicum, vir malus autem malum publicum, quo liberari prodest Reipub.

26 *Quod si videamus multos ignotos, & vnũ quē noris bonum esse in periculo, an Prudentia dictat, istos multos esse eripiendos potius quàm vnum illum notum?*

Generalis regula est, *plures esse præferendos paucis*. Quia autem inter ignotos illos plurimi possunt esse viri boni licèt id ignores. Prudentia enim potius benè quàm malè de ignotis præsumit, & charitas neminem malum præiudicat, nisi qui factis & vita talem se esse manifestè declaret. Idcirco Prudentia dictat istos ignotos multos eripiendos esse potius quàm vnum notum.

Quid

27 *Quid faciendum, si in vno eodemq; periculo constitutum videas infantulum aliquem, & deinde adultum, vtrum potius huic, an illi sit succurrendum?*

Disputandi gratia statuimus infantulo potius succurrendum. 1, quia Prudentia dictat infirmo potius succurrendum, quàm qui aliena ope non tantoperè eget. 2, quia de infante Prudentia præsumere potest fore æquè bonum, vel etiam fieri posse meliorem. Denique quia Respublica plus emolumenti ab homine qui nunc infans est expectare potest, quàm ab adulto, qui iam maximam ætatis partem contriuit.

28 *Si agatur simul, vel de bonis, vel de vita amici, & itidem viri boni alieni, vtrum adiuuare Prudentia suadet?*

Amicum sanè cui maiori vinculo obligaris quàm alieno, præsertim cùm fieri non possit, vt non quoq; sit vir bonus amicus tuus. Si enim prudens sis & vir bonus, amicum non nisi virum bonum habebis, nec habendus est aut appellandus amicus, nisi præsupposito hoc fundamento, quòd sit vir bonus.

29 *Vtrum potius benefactori, an amico vel gratificandum extra periculum vitæ, vel etiam succurrendum in periculo?*

Priori casu si benefactor vir malus eo possit abuti, quo ipsi volumus gratificari, potius gratificandum viro bono; qui id quod postulat ad bonum finem postulat, vt innuit Arist. lib. 5. c. 2. Eth. Posteriori casu vir bonus itidem præferendus est benefactori: licèt enim huic obstricti simus debito quodam beneficii, si tamen beneficium illud non fuerit tantum, vt cum vita possit comparari, certè magis viro bono adstringimur ob communem societatem, in quam vir malus, licèt benefactor non est admittendus.

30 *Vtrum benefactori an amico si æquè boni sint, succurrendum in periculo vitæ?*

Amicum potius liberandum esse existimem, maiori enim vinculo & fortiori coniunctus esse videor amico tot beneficiis mihi obstricto, quàm alieno, qui vno fortassis beneficio, & fortè non tanto, pro quo vita reddi debeat, mihi commendatus fuerit.

31 *Vtrum suadet Prudentia, audiens simul Iustitiæ dictamen, benefactori potius esse referendam gratiam, quàm propinquo aliquid tribuendum?*

Arist. lib. 9. Eth. c. 2. dicit benefactori potius esse referendam gratiam quàm alteri aliquid dandum, si vtriq; simul gratificari non possis. Quemadmodum creditor debitori potius reddere debitum debet quàm alteri aliquid dare. Addit tamẽ exceptionem, si alter amicus aut cognatus vehementer egeat, benefactor autem non vsq; adeò egeat, potius illi succurrendum quàm benefactori soluendum esse. Lex communis enim vt egenti succurramus, præualet legi minus communi, quæ nos gratos esse præcipit.

32 *Cùm vtrumq; virum prudentem deceat, tam condolere, quam congaudere amicis & cognatis, & verò eodem tempore duo æquè siue amicitiâ, siue sanguine coniuncti vtrumq; petant, alter ad nuptiarum celebritatem, alter ad funeris deductionem inuitans, vtri gratificari Prudentia suadet?*

Respondet pro nobis Ecclesiastes cap. 7. cum inquit: *Præstat ire in domum luctus, quàm in domum conuiuii.* Idq; non solùm ex pietatis dictamine, cuius Prudentia id eligere nos iubet, quod maiorem ad pietatem stimulum obtinet, prout obtinet luctus præ lætitia; sed & ex prudentissimo virtutis ciuilis consilio, vbi Prudentia ciuilis suadet vt illi gratificemur, qui maximè nostro auxilio eget: Ecquis autem non luctuoso & tristi tempore malit amicorum solatia, quam tempore lætitiæ? Quæ enim mala nobis sunt, ea potius aliis communicare cupimus, vt de communicatis minorem ipsi partem sustineamus:

neamus; quàm quæ bona ſunt, quæque facilius perferre quimus ſoli. Quod ſi verò amorem ſuum aliis oſtendere cupit vir prudens, ibi potius eum oſtendit vbi ſic magis eluceſcit. Quò autem obſcuriores ſunt miſeriarũ & luctus tenebræ, eò maius amicitiæ exhibitæ lumẽ emicat; quia difficilius eſt reb. aſperis amicorum participare, facilius autem frui rebus lætis, hoc enim magis naturale. Vnde offenſionem amici magis metuit vir prudens, ſi ſe ſubducat luctui, quàm ſi reb. iucundis abſit. Imò magis proprium eſt amico aſſociari reb. miſeris, ſiquidem iucundè cum altero viuere multi poſſunt non veri amici, in mæſticia autem præter verum amicum nullus: Prudentis autem eſt neglectis fucatis ea amplecti, quæ virtuti magis ſunt propria & conſentanea.

33 *Quomodo differant inter ſeſe iſta Prudentiæ officia, non nimis fidere & benè de altero iudicare?*

Ariſt. lib. 6. c. 11. tenerrimam & formoſiſſimam Prudẽtiæ filiam introducit, quam γνώμην vocat, i.e. æquitatẽ, ſiue conſideratum & æquum de aliorum dictis & factis iudicium. Prudens enim vir non facilè nec temerè iudicat de aliorum factis & dictis. Parit autem γνώμη duas alias filias non minus pulcras, & matri per omnia ſimiles; quarum prior dicitur *Eugnomoſyne*, i. eſt, benigna interpretatio eorum, quæ ab aliis fiunt & dicuntur; altera *Syngnome*, condonatio eorum, quâ ab aliis per infirmitatem humanam minus decorè, vel honeſtè referuntur acta. Iam ergo quæritur, quandoquidem vir prudens debet eſſe εὐγνώμων & συγγνώμων, an debeat propterea omnibus promiſcuè fidere, atq; adeò planè poſthabere illud, *Neruos & artus ſapientiæ eſſe non facile fidere.* Reſ. Nõ opponi inuicem æquitatem iudicandi, & cautionem in fidẽdo. Siquidem aliud eſt fidere alicui, aliud bene de eo iudicare: Ergo & aliud non fidere, aliud malè iudicare de eodem. Et poſſum alicui non fidere, de quo ſimul benè iudicem. Ipſum enim non fidere oritur non tam ex odio alterius; quam ex metu rerum mutabilium, quem infert prudentia, & ex licito amore proprio, ac fuga incommodi, quod quodammodo præuidet prudentia. Malum autem de altero iudicium non reſpicit propriũ bonum, ſed tantum odium alterius, ortum ex malitia quadam propria. Vnum igitur ſine altero eſſe poteſt, nõ

fidentia sine suspicione: imò est quædam vt sic dicã diffidentia bona, quæ non sit nimia & absq; suspicione, semperq; cum æquo iudicio coniuncta.

EPIMETRA METAPHYSICA.
De affectionibus Entis in genere, & in specie de Vnitate.

Nuper de subiecto Metaphysicæ quæsitum fuit; iam de affectionibus.

1 *An affectiones Entis sint accidentia?*

COmmunis est recentium Metaphysicorum traditio, vt perinde ac in aliis inferioribus sciẽtiis, quarum subiectum est compositum & cum accidente combinatum, ita etiam in Metaphysica ea quæ de subiecto eius, scilicet Ente demonstrant, *accidentia* vocent, quasi nulla esset affectio, quæ non sit accidens. Non perpendentes Ens esse ab omni tali combinatione alienum, quod sub se vtrumq; tàm substantiam, quam accidẽs indistinctè complectitur: Ita vt accidens sit species Entis; illi autem quod faciunt speciem subiecti, ipsius subiecti accidens vocant, non secus ac si aliquis species corporis naturalis in Physicis eiusdẽ corporis naturalis propria accidentia poneret. Nõ sunt igitur accidentia affectiones istæ, quia nõ sunt Entia, sed sunt modi Entis, qui nõ sunt ipsa Entia, sed sunt id, quod Entib. & per consequẽs etiam, accidentibus inest (substantiæ quidem primariò, accidentibus autem secundariò) tãquam Entium attributa; attributa autem non sunt ipsum subiectum, aliâs sequeretur processus in infinitum: nam si modus rei esset Ens, haberet etiam modos, qui similiter essẽt Entia, & alios haberent modos, & sic in infinitum. Scal. exerc. 307. sect. 17. subtilissimè hac de re disputat: *Quomodo*, inquit, *vnum posset esse Entis accidens? oporteret enim vt ex Differentia flueret, qua ipsum Ens constitueretur.* Ergò Ens esset genus, & haberet se Ente prius Ens. Ridiculè. Differit propterea egregiè hac de re Fr. Suar. Tom. 1. Disput. 3. sect. 1. c. 1. Sic nimirum, Essentia non est Ens, nec Existentia est Ens aut Existens, nec Vnitas nec Bonitas sunt Entia, sed sunt modi Entis. Sic tepor & feruor non sunt ipse calor, sed modi caloris. Ex qua quæstione simul illa soluitur,

uitur, *vtrum affectiones realiter differant ab Ente*, nimirum, quod non est res, distingui non potest vt res, affectiones autem Rei non esse res antè ostendimus.

2 *An modi componant?*

Modi in Metaphysicis dupliciter dicuntur; nam primò modi dicuntur etiam principia Entis interna, quæ duo sunt, Essentia & Existentia, à quibus dicitur Ens & Existens: dicitur, inquam, per quandam concretionem, quæ infert compositionem principii & ex principiis cõflati. Quæ tamen compositio non est realis, siquidẽ non est ex Entibus realiter inter se disparatis, sed ex modis tantum, abstractis nimirum principiis suis, quæ non re. ipsa sed formaliter tantum ab iis distinguuntur: Sed est Compositio tamen, siquidem est inter duo aliquo modo inter se distincta, vtpote quæ non reciprocantur. Exempli gratia, Essentia non reciprocatur cum Ente, nullum enim Ens est ipsa sua Essentia; Esse enim cuiusq; est incommunicabile, quia cuiusq; proprium; Essentia vero est communicabilis & communis aliis. Tales nempe modi componunt; non quidem quatenus modi sunt, sed quatenus principia sunt. Deinde sunt modi, qui nõ sunt principia, sed tantum affectiones, vt Vnitas, Veritas, Bonitas, & illi non important vllam compositionẽ siue realem siue formalem propriè loquendo: quia in concreto nulla ratione distinguuntur ab ipsò Ente. Vnum enim, Verum, Bonum, &c. idem planè est, quod ipsum Ens, nec nouam infert compositionem: quamuis in abstracto coniunctæ cum Essentia constituant ipsum Ens, quod sic per modos compositum realiter simplex est, nec denuo opus habet vt nouam compositionem cũ istis modis ineat. Vnde cum dico *Ens vnum*, *Ens bonum*, non intelligẽda est aliqua compositio, quia Vnitas iam & Bonitas non est amplius diuersum quid ab ipso Ente, cum ipsum Ens ex Vnitate, Bonitate aliisq; affectionib. & Essentia compositum est.

3 *An Res & Aliquid sint peculiares affectiones Entis?*

Vulgaris ille est nonnullorum Metaphysicorum error, qui inter affectiones Entis simplices ponunt *Rem*, itemque *Aliquid*, vnde cum Ente senarium numerum Transcendentium constituunt, Res, Ens, Aliquid, Vnũ, Bonum, Verum. Et sic Thomas nimis subtiliter, parum

autem vtiliter distinguit Ens & Rem, quod Ens significet actum essendi; Res verò ipsam essentiam & quidditatem. At verò si Ens sumatur vt significat Essentiam, quo pacto sumitur, cùm Metaphysicum subiectum constituitur, nullus iam distinctioni reliquus erit locus, vt præclarè docet Fonseca 4. Metaph. cap. 2. quæst. 4. sect. 2. Itemq; Fr. Suarez tom. 1. disp. Metaph. disp. 3. sect. 2. Quãuis interdum vocabulum *Rei* impropriè sumatur in disciplinis inferioribus, vbi desunt vocabula, quibus propriè possit distinctio aliqua necessaria exprimi, vt quãdo verba opponuntur rebus. Item, quando Personæ opponuntur rebus apud Iurisconsultos. Item loci personarum locis rerum apud Logicos. Porro quando Thomas definit Aliquid, dicit id esse ratione distinctionis Entis ab Ente, probãte id Etymologiã, quã dicitur, quasi aliud quid; sed sic Aliquid non erit alia affectio ab Vno, cum Vnum etiam includat distinctionem ab aliis, vt ibidem Fons. ostendit. Non igitur peculiares constituũt affectiones Res & Aliquid, sed planè vel cum Ente vel cum ipsis affectionibus synonymicè conueniunt.

4 *Cur vnitas dicatur prima affectio Entis?*

Illud absq; dubio prius dici debet, ex quo reliqua tãquam a priori demonstrantur. Talis autem est Vnitas, ex qua veritas, bonitas, &c. declarantur, imò à qua denominationem accipiunt, cum veritas itemque bonitas vna dicitur: Id autem a quo aliud denominatur, prius est eo quod inde denominationem accipit. 2, quia illud quod absolutum planè est, prius est illo quod relationẽ ad aliud quid habet. Etsi enim Veritas & Bonitas ex se etiam competant Enti, simul tamen includunt habitudinem aliquam & respectum ad extrinsecum, scilicet Intellectum & Voluntatem hominis. Vnitas autem planè non respicit aliud, sed manet semper in absoluto Entis respectu, cui ex se tantum & absolutè tribuitur.

5 *An vnitas sit affectio Entis positiua an priuatiua?*

Quærunt subinde Scholastici, quidnam affectiones superaddant Enti, id est, an affectiones sint aliquid reale quod ad Essentiam Entis addatur, an verò aliquid negatiuum, aut quod sola ratione ab Essentia differat: & vnitatem quidem aiunt nihil aliud esse quam negationem

tionem aut priuationem aliquam, vnde eam sic definiunt; *quod vnum sit, quod à seipso est indiuisum, & ab alio diuisum.* Item *quod à seipso indistinctum est.* Sequuti Arist. qui 10. Metaph. c. 1. inquit: *Vnius natura tota in eo consistit, quod sit Indiuisibile.* Quod & Scaliger facit exerc. 65. sect. 2. *Vnius quidditas*, inquit, *est Essentia indiuisibilitas.* Indiuisibilitas autem nihil aliud est quàm diuisibilitatis priuatio. Sed explicat se & Aristotelem idem Scaliger sect. 5. eiusdem exerc. Viro diuino, inquit, cum deessent verba, quibus poneret vnitatis naturam, quod rectè sentiebat, per priuationem vt potuit, non vt voluit, declarauit. Sanè fieri nequit, vt priuatio sit essentia rei positiuæ; vnitas verò adeo positiua est, vt quemadmodum dicebamus, sit idem realiter cum Entitate. Quocirca necessario cognoscitur eius essentia in positione, non in negatione. Ad quam positionem sequitur primum altera pars descriptionis huius, quæ est indiuisibilitas. Est enim effectus consequens, non Essentia constituens vnitatem: à qua Indiuisibilitate oritur incommunicabilitas. Hactenus Scaliger. Sed tota difficultas tolletur facilè, si substituatur aliud vocabulum significantius, vt nimirum dicatur vnitatem esse certitudinem & determinationem cuiusq; rei à seipsa. Sic enim apparet hanc affectionem esse affirmatiuam.

6 *An vnitas tollat multitudinem modorum?*

Vnitas est affectio entis aut essentiæ, non autem affectio modi; sic enim esset modus modi, vnde processus in infinitum. Alia est enim vnitas Essentiæ siue Entis, alia vnitas modorum. Et vnitas Essentiæ non opponitur multitudini modorum, sed multitudini Essentiæ: & multitudo modi non opponitur vnitati Essentiæ aut eā tollit, sed opponitur vnitati modorum. Siquidem oppositio debet versari inter eosdem terminos. Sic personarum distinctio in Essentiā diuina non euertit vnitatem diuinæ Essentiæ, sed eam potius stabilit, sicut Veritas, Bonitas, &c. Essentiæ diuinæ eandem vehementer confirmant.

7 *Quomodo opponitur vnum & multa?*

Multitudo dupliciter considerari potest, vel absolute, vel quatenus ad vnitatem refertur. Si absolute consideretur, opponitur priuatiuè, velut nō Ens Enti, quia &

Ens cum vno conuertitur, & non Ens cum infinito, id est, multo, q̃ nihil est aliud, quàm incertitudo, infinitudo, & indeterminatio. Si autem multum referatur ad vnum tanquam determinans, tum non opponitur quidem vnitati oppositione propriè dicta, sed ea quam *relatiuam* vocant, ratione mensuræ & mensurati. Et sic multum quodammodo fit vnum, quatenus ad vnum refertur & ab eo mensuratur: mensura enim est multitudinis, id est infiniti, ad vnitatem & definitam finitudinem reductio.

8 *An nulla multitudo sit actu infinita?*

Duplex iterum est acceptio vocis *Multitudinis*, vna est qua opponitur vni Essentiali siue Transcendẽtali, quæ est prima affectio Entis; & sic multitudo est ipsa infinitudo. Aliàs accipitur multitudo pro ea, quæ opponitur vnitati Indiuiduali siue numericæ, quę est principium numeri; Et sic est ipsa quantitas discreta; quãtitas autem cum ipsa sit Ens, non potest esse infinita, aliàs esset non Ens. Ergo ea ipsa multitudo, quæ est quãtitas, habet essentialem vnitatem, quia habet determinatam Essentiam, vnitatem inquam, non numericam, hoc enim foret absurdum dicere, sed Metaphysicam, per quam numerus millenarius est vnus, id est, definitus & determinatus, atque à seipso non discrepans, simulq; a centenario & ab aliis numeris distinctus. Et hac ratione verum est axioma Philosophicum, quod *nulla multitudo sit actu infinita*: si autem infinita non est; certa est, si certa est, vna est. Concludimus ergò hoc theorema tũ verbis Arist. 10. Metaph. cap 2. *Omnis multitudo ex vnitatibus resultat, & per vnitatem primo cognoscitur*: tum paradoxo hoc & ænigmate Metaphysico: *Quod mille sint vnum, & vnum, sit mille.*

9 *Cur vnitas omnia conseruet, multitudo destruat?*

Deus vt est prima Essentia, ita & est prima Vnitas, à qua omnium Entium vnitates dependent; & quia prima est vnitas, idcirco etiam perfectissima vnitas est. Omnia ergò Entia quo magis accedent ad illud primum, eo erunt perfectiora: si perfectiora, vtiq; etiam durabiliora & firmiora tam in essendo, quàm in conseruando. Sic nempè in altera vitâ propius accedemus ad primam vnitatem nempe Deum, & propterea constantius nostrũ statum

ſtatum continuabimus, quam in hac vita. Deinde quia vnum & bonum conuertuntur, itemq; malum & diuiſũ ſiue multum quâ multum. Dum ergò res aliqua vna eſt, vtiq; etiã bona eſt, &, dum bona eſt, vtiq; ipſi etiam benè eſt, benè autem eſſe & conſeruari æquipollent. Simili ratione dum res aliqua multa eſt, id eſt, diuiſa, incerta & vaga, etiam mala eſt; ſi mala eſt, malè ipſi etiam erit, malè autem eſſe & deſtrui æquipollent. Ex malo enim quatenus malum eſt nil boni proficiſci poteſt. Idcircò videmus res naturales validiſſimè propendere ad ſuam vnitatem, ſicut propendent ad eſſe ſuum, quia nimirum eſſe cuiuſq; rei conſiſtit in indiuiſione & indiſcrepantia à ſeipſo. Sic Elementa cernimus maximè adamare figuram illam, quæ maximè vnit, rotundã videlicet. Nimirum tam diu conſeruatur corporum naturalium eſſe, quam diu vnita manent; tã diu conſeruatur homo, quãdiu manet in ipſo vnitas eſſentiæ ex copulatione materiæ cum forma. Sic corpus mixtum retinet eſſentiã ſuã, quouſq; retinet Elementorum vnitatem ſiue temperamẽtum & craſin. Huc reſpexit memorabile dictum magni illius Hippocratis, quod recitat Galenus in Com. ſuper 5. aphor. *Si homo eſſet vnum, nunquam doleret.* Quippe Medici cauſam efficientem doloris ſtatuunt eſſe violentam ſolutionem ſiue temperamenti, ſiue partiũ quæ debebant eſſe vel continuæ vel contiguæ. Imò nil eſt in rerum vniuerſitate, quod non ad conſeruationem ſui egeat conuenientia & ſimilitudine concordiaq; cum alio. Eius autem conuenientiæ & concordiæ fons & origo vnica eſt vnitas. Prius enim ſibi ipſi cõuenire, ſibi ipſi ſimile eſſe oportet id, quod alteri cõuenire debet; quod autem ſibi conueniens eſt, id quidem facilè cum altero conciliari poteſt. Deniq; quicquid conſiſtit, in ordine conſiſtit: vtpote qui res alias diſſimiles ad conueniẽtiã reducit. Ordinis autem & diſtinctionis cauſa eſt vnitas; vtpote quæ menſura eſt omnis ſimilitudinis & diſſimilitudinis: Sicut multitudo eſt cauſa omnis cõfuſionis, quia cauſa eſt infinitudinis & incertitudinis; infiniti autem & incerti, id eſt, indeterminati nullus eſt ordo, nulla menſura, nulla determinatio. Hinc nimirum omnium Theologicorum & Politicorum axiomatum de concordiæ & diſcordiæ Eccleſiaſticæ & Ciuilis effectis explicationes pendent, patentq;.

EPIMETRA MATHEMATICA
Ex Geometricis.

Quomodo Angulus rectus, atque adeò Triangulum rectangulum dicatur magister Matheseos?

MEritò sic insignitur à Geometris; Quia enim omne rectum & prius & perfectius est curuo, ideo quoque est mensura curui, & oportet curuum comparari ad rectum, si rectè iudicari debeat. Vnde & angulus rectus atque adeò Norma mensurarum maxima Geometris & Architectis appellatur. Quod autem angulus rectus est inter angulos, id rectum triangulum est inter triangula reliqua, hæc enim oportet ad illud reduci & commensurari. Nempe Triangulum rectangulum ad Circuli naturam ac perfectionem magis accedit quam obliquangulum. Quô pertinet etiam illa disputatio quam Aristoteles attingit lib.1. Poster. Analyt. c.7. An linea recta pulchrior sit curua.

MECHANICA.

1 *An ex circuli principiis plerunque mechanicorum theorematum demonstratio pendeat?*

GEometricæ disciplinæ axiomata & conclusiones siue demonstrationes steriles sunt & iniucundæ, nisi earum vsus in Astronomicis inque Architectonicis & Mechanicis monstretur; quæ causa est cur à Geometricis ad Mechanica diuerticulum aliquod faciamus; & doctrinæ Geometricæ de Circulo vsum quæramus in mechanicis; quem sanè præclarum suppeditat Aristoteles in egregio libello Mechanicarum Quæstionum, vbi id Theorema constituitur: *virtus motrix quo est remotior à centro, eò est validior.* Ex quo Theoremate multa deinde problemata soluit vtilia & iucunda, vt est illud: *cur lignum ad genu facilius frangatur si eius extrema apprehēdas, quam si teneas prope genu?* quia nimirum genu centrum sit, & verò propè centrum difficilimus, à centro remotè facilimus sit motus. Simile est illud, *cur longius funda eiiciantur lapides, quam è nuda manu?* scilicet quia funiculus fundæ longior longius abest à centro, quam linea

nea brachii in manu desinens. Imò totum vectis artificium egregiè ea ratione demonstrat, cur nimirũ tanta pondera adminiculo vectis leui negotio eleuari possint. Quia nimirũ pars vectis mouens à fulciměto tanquam centro longius abest, quam pars opposita, quam deprimit& mouet ipsum pondus. Simili ratione deTrochleis & Scytalis earumque motu differit ibidem Aristo. & explicat Alex. Piccol. in Paraphr. itemque Henricus Monantholius. Sic solui potest illud quod videmus multis locis ad flumina spatiantes, *cur funis alligatus summo mali loco commodius aduerso flumine nauim trahat, quàm si in medio aut infimo?* Nauis enim ad circuli figuram extructæ semidiameter est malus, qui directè ex cětro nauis exurgens in summitate est firmissimus & ad mouendum maximè compositus. Quam ob causam nautæ antennam quoque & carbasa corbemque quam vocant nauticam alligant. Item illud, *Cur onera quauis vertice capitis baiulentur facilius & commodius, quam inferioribus locis aut partibus?* quia nimirum cũ linea illa quæ à centro corporis per verticem exit, sit longissima, necesse est & motum ac virtutem sustinendi & eleuandi onus, quæ fit in supremo eius termino, esse faciliorem.

2 *Vnde tanta vis gubernaculi ad mouendam nauim?*

Gubernaculi quidem moles facile mouetur, propterea quia mouetur parte à centro suo remotissima; centrum enim eius est cardo cui inhæret. Gubernaculum verò motum mouet ipsam nauim hac ratione: Dum enim temo siue pars gubernaculi inferior impellitur ad vnam partem, pars altera lata quam *Pterygion* vocant, quæ in aqua pendet in contrariam partem truditur, quę pars cum in aqua ob copiam eius firma consistit, fit vt omnis impetus mouentis cardinem protrudat in illud quidem latus quò mouetur Pterygion, & cum cardine affixam puppim. Puppis sic facile commota, quia est pars valde à centro nauis remota, mouet cum tota naui proram tanquam eiusdem lineæ extremam partem ad latus contrarium, illud videlicet, quò intědebatur ipse temo. Et quidem sic mouet proram, vt hæc maiorem circulum constituat, quam ipsa puppis, quod demonstrant interpretes Aristotelis, Alexan. Picolhom. & Henricus Monantholius; quia nimirum nauis tanquam linea

in ea conuersione constituit duo Triangula Isoscelia æqualia angulis, inæqualium crurum, &, per consequens, etiam inæqualia basibus. Cæterum ostendit etiam Arist. cur in puppi potius ponatur gubernaculum, quàm in prora, quia nimirum ibi facilior sit motus, vtpotè in parte debiliori, in fine enim nauis motum debilissimũ esse ait, quia ibi minus resistit. Denique vim gubernaculi hanc insignem ostendit in re nautica, quod interdum vento in obliquum flante gubernaculo in contrariam partem directo, & carbasis vento à latere inflatis nauis nihilominus gubernaculi istius adminiculo rectum tenere cursum queat, nisi ventus sit nimis vehemens. Gubernaculi compendio similis est remorum virtus in promouenda naui in rectum, vbi palmulâ aquis firmiter innixâ remex altera parte nauim mouet. Difficilior autem est remigatio propterea, quia pars centro (nimirum scalmo) propior mouetur. Idcirco faciliorem esse remigationem in media naui ait Aristoteles, quia ibi ob latitudinem nauis remi possunt esse à centro remotiores & longiores.

3 ***Plus ne aqua, vini, aut eiusmodi alius liquoris capiat vas aut vitrum in radice montis, quàm in cacumine, in cella, quam in suprema domus contignatione?***

Affirmant id Mathematici, inprimis Archimedes, & post hunc Christoph. Clauius super Sphæram Ioh. de sacro Buscho, c. 1. Theorematis autem demonstratio deducitur ex illa pulcherrima, quam habet Arist. lib. 2. de Cœlo, cap. 4. text. 31. quòd qua sua natura descendens, cum assurgit, in tumorem assurgat, & circulum, cuius idem sit cum mundo centrum. Aqua ergò sua natura cum descendat & quidem tumore, faciet ad radices mõtis circulum minorem: quia propior est suo Terræque centro: iam applicato vase ad circumferentiam circuli, videbis de circulo minori maius segmẽtum vasi incumbere, id est, altius aquam supra vasis labra intumescere. Contra verò in montis cacumine cùm faciat circulum maiorem & latiorem; est enim à centro terræ remotior; cernes itidem segmentum minus circuli istius maioris coëxtendi summitati vasis, id est, tumorem non adeò altum, sed depressum magis fieri.

CVRSVS

CVRSVS PHILOSOPHICI

Diſputatio XXIII.

Quæ eſt Ethica tertia,

DE IVSTITIA VNIVERSALI.

INSTITVTA IN GYMNASIO DANTISCANO 8. April. Anno 1606.

Reſpondente

LAVRENTIO TREBNITZIO *Dantiſcano.*

MAGNIFICO ET AMPLISSIMO VIRO

Dn. IOHANNI THORBECIO, Conſuli Gedanenſis Ciuitatis digniſſimo,

Nec non

SPECTABILI ET PRÆSTANTISSIMO VIRO

Dn. ERNESTO KERLL, Iudiciorum in eadem Rep. Præſidi integerrimo,

Hanc de Iuſtitia diſceptationem omni animi obſeruantia

offert

Laurentius Trebnitz.

THESES ETHICÆ,

De Iustitia Universali.

PRior *Virtus dirigens* erat *Prudentia*, de qua nuper egimus; posterior est *Iustitia vniuersalis*, cuius nunc formam videamus Hespero formosiorem.

2 Iustitia ergo vniuersalis est virtus moralis, dirigens siue gubernans voluntatem, affectus & cupiditates hominis, sic vt feratur ad iuris & legum noticiam & obedientiam, & sentiat se iis esse obligatum, & firmiter proponat secundum leges viuere, & sibi atque aliis suum per omnes virtutis moralis species tribuere.

3 Iustitiæ partes velut & actus duo sunt; 1, Leges, secundum quas viuendum sit nosse, & agnoscere se ad eas seruandas esse obligatum. 2, Propositum firmum istis legibus obediendi, & suum cuique iuxta eas tribuendi; ita vt nec magis tribuamus quam legibus sancitum est, nec minus.

4 Obiectum iustitiæ est, tum persona & res in quam iustè agitur; tum ipsa obligatio erga personam & rem, quæ obligatio dicitur *Ius*.

5 Causa instrumentalis seu norma quam Iustitia in se continet, & iuxta quam iustè agimus, est lex: Lex enim est regula præscribens in quos, & quomodo iustè agendum sit.

6 Lex autem & Ius subinde pro vno & eodem capiuntur, vnde & Lex & Ius diuiditur, quod sit vel *naturale*, vel *positiuum*.

7 Ius naturale est, quod homines naturâ nô-runt & exequũtur per se etiam sine institutione, præceptis aut decretis & statutis superiorum.

8 Estque vel primum, vel ortum.

9 Primum est, ad cuius noticiam & obedientiam homo per naturę primam inclinationem quatenus homo est, à primo statim ortu disponitur. Vocatur *Ius*, siue *Lex naturæ*, κατ' ἐξοχὴν, vt: parentes sunt colendi.

10 Ortum est, ad cuius noticiam & obedientiam homo disponitur per secundam naturæ inclinationem, quatenus nempe est membrum humani generis ac societatis. Vocatur *Ius gentium*, vt: Legati non sunt violandi.

11 Positiuum Ius est, ad cuius noticiam & obedientiam homo tum planè informatur, cum ad naturam institutio accedit.

12 Estq; vel primum etiam, vel ortũ à primo.

13 Primum voco leges & regulas Ethicas, OEconomicas, Politicas: potest & *Ius vniuersale*, siue *generale* appellari.

14 Ortum à primo, siue particulare voco regulas siue decreta & mandata de specialibus effectibus & casibus virtutum Ethicarum, OEconomicarum & Politicarum, quibus nempè personarum in hac ciuili societate officia distinguũtur, delictorum pœnæ sanciuntur, rerum dominia discernuntur, & modi ostenduntur, quibus per contractus, per successiones, per legata, vel aliis rationibus possessio acquiritur. Denique & executio siue effectus Iuris monstratur in actionibus, iudiciis & processu. Cuius quidem Iuris disciplina dicitur *Iurisprudentia*, quæ Ethicæ, OEcono-

OEconomicæ,& Politicæ prudentiæ ſubordinatur vt filia matri.

15 Porrò Ius poſitiuum, vel abſolutè ſpectatur, vel cum reſtrictione, & dicitur *Æquitas.*

16 Abſolutè ſpectatum eſt,quando lex ſiue regula Iuris abſolutè & indefinitè ſpectatur, ſine certa accommodatione ad circumſtantias loci, temporis, & perſonarum. Vocatur *ſummum* ac *ſtrictum Ius*, τὸ ἀκριβοδίκαιον.

17 Æquitas, ἐπιείκεια, eſt Iuris poſitiui ſiue ſcripti tum ſupplemētum, tum correctio & accommodatio ad certas circumſtantias, facta per prudentiam Iudicis.

18 Iuſtitiæ opponitur iniuſtitia vniuerſalis, vitium nempè tale, vnde omnia alia promanant, & per quod nullæ leges curantur,& nec agnoſcitur obligatio, nec præſtatur obedientia legibus debita.

19 Iniuſtitia eſt vel in exceſſu, vbi magis tribuitur quam decet, ſed præcipuè in defectu,vbi minus tribuitur quam decet; aut cum reddimus contrarium priuatiuum eius quod tribuere debebamus, nempè malum pro bono.

20 Eius ergò effectus eſt Iniuria, cum quis contra Ius aliquid mali ſiue damni patitur ex deſtinato propoſito eius qui infert.

PROBLEMATA.

De Ivstitia et Ivre.

1 *Quibus viribus in homine præſit Iuſtitia?*

NVnc reddenda eſt de Iuſtitia propoſita diſputatio, inquit Lactantius De diuin. Inſtit. lib. 5. cap. 5. *qua aut ipſa*

est summa virtus, aut fons est ipse virtutis; quam non modo Philosophi quæsiuerunt, sed Poetæ quoque qui priores multo fuerunt, & ante natum Philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Non minus etiam anxiè nostri temporis Philosophos illustrissimæ huius virtutis sedem quærere & indagare videmus; inter quos celebrioris nominis viros, exclusâ intellectus potentiâ (quod non iusti dicamur cum ea cognoscimus, sed cum iusta operamur & volumus) de voluntate & appetitu sensitiuo quæstionem instituunt; cuius primam partem, quod scilicet sit in voluntate, tuentur Conimbricenses; posteriorem verò defendit Piccollominæus. 4. gradu Philosophiæ moral.c.13. Iusta in hac re ratio suadere videtur vtrique huic potentiæ, voluntati nimirum & appetitui assignandam esse hanc virtutem. Ac voluntati quidem primo, ob peculiarem quãdam rationem; cum enim reliquæ virtutes sint bonum cuiusvis proprium, ad quod voluntas procliuis est suâ naturâ & per se, magis earum vires sese exerunt in lucta appetitus quàm in ipsa voluntate. Iusticia autem cum foras spectet, vt ait Cicero 2. de Repub. & ordinetur ad bonum alterius, in bonum autem alienum non perinde propensa sit voluntas ac in proprium; idcirco etiamsi nullam pateretur violentiam ab affectibus, indigeret nihilominus habitu hoc inclinãte ipsam ad reddendum alteri quod suum est. Secundo competit voluntati ob communem istam rationem cum aliis virtutibus, quatenus efficit virum bonum, quo pacto appetitui sensuum per se assignanda non est, cùm nulla bestia possit perfici vt vir bonus. Et sic definitur à Iureconsultis, quod sit *constans ac perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuendi.* Appetitui verò sensuali eatenus eam attribuimus, quatenus Iustitiæ semina in pueris sese ante vsum rationis exerunt, & quatenus iustè operamur secundum illud ius, quod natura omnes animantes docuit, vt ait Iureconsultus.

2 *Cur Aristoteles Iustitiam Hespero & Lucifero putet esse admirabiliorem?*

Ratio est, quia ordinatur ad alterum magis, ideo non potest non quam maximè & celerrimè prodire in publicum: quod autem est in publico, splendidius & magis conspicuum

conſpicuum eſt eo, quòd priuatim delitescit. Hinc meritò Picollomineus & Dominicus Soto, non hac ſolùm ſtella admirabiliorem eſſe hanc virtutem, ſed ipſo etiam Sole meridiano.

3 *An Iuſtitia ſit præſtantiſſima virtus?*

Autorum certè omnium ſuffragia concurrunt: Theſaurum omnium virtutum dixit eam Pythagoras. Præſtantiſſimam, optimam ac perfectiſſimam nominat Ariſtoteles 5. Eth. c. 1. Cic. 3. Offic. Splendidiſſimam, excellentiſſimam virtutumque omnium reginam ac dominā appellat. Et ſanè non dubium hoc ei poteſt eſſe, qui eius munera conſiderare velit, quæ ſunt, actiones noſtras erga alios inprimis cōponere, diſſipatos homines congregare, congregatos ſeruare, prodeſſe omnibus, denique quantum in ſe eſt, omnes homines, omnes rerum ſtatus, vniuerſum demum mundum ſeruare. Arctius profectò aliarum virtutum fines & actiones comprimūtur, in quibus ipſis etiā Iuſtitiæ ſplendor effulget. Quin & Cic. hoc addit: *Tantam eius eſſe vim, vt ne illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla Iuſticiæ particula viuere.* Præter alia autē quæ hîc afferri poſſent copioſiſſimè, manifeſte ex eius oppoſito demonſtrari poteſt, quod omnium certè vitiorum eſt maximum, iniuſtitia ſc. quam vniuerſum vitium appellat Ariſtoteles 5. Eth. c. 1. Iniuſtus enim quantum in ſe eſt & in voluntate ſua totum mundum euerteret, cum in eo nulla ſocietas cōſiſtere poſſit; quia habet rationem iuſtitiæ omnis ſocietas; vnde profectò ſolitudines vbique, ruinæ ac euerſiones vrbium, regionū, ac Rerumpublicarum conſequerentur. Non tantum certè è mundo ablaturus eſſes ſi ipſum Solem auferres, quam ſi hanc virtutem è pectore hominum eriperes.

4 *An Iuſtitia ſit virtus difficillima?*

Veniunt in contentionem difficultatis Prudentia ac Iuſticia, & certant inter ſe de arduo. Quod quidem certamen ſic dirimetur, ſi dicamus, Prudentiam eſſe difficiliorem quoad obiectum circa quod verſatur: nempe res humanas ſingulares atque adeò lubricas, varias, infinitas: Iuſtitiā autem eſſe difficillimam quoad ſubie-

cti dispositionem: ægrè enim voluntas & appetitus humanus ita perficitur, vt Iustitiæ vniuersalis capax siue particeps fiat, præsertim cum illa dispositio magna parte non ad nos, sed ad alium referatur. Atque ita accipiendus locus Aristotelis 5. Eth. c. 9. vbi diserte Iustitia vocatur *difficillima virtus*. Et lib. eodem c. 1. Complures in propriis, inquit, vti quidem virtute possunt, sed in his quæ sunt ad alium nequeunt, quia res est magis ardua. Quapropter sententiam illam Biantis probat, quâ dicitur: *Magistratus virum ostendit.*

5 *An quis tantum erga alios; non vero erga seipsum possit esse iustus?*

Cum propter hominum inexplebiles cupiditates, quibus offensam Astræam ipsam virginem cessisse è terra, in cœlumque migrasse Poëtæ finxerant, necessariò diuisiones rerum & dominiorum fuerint instituendæ: Et verò istâ distinctione bonorum, coniunctio per societates publicas & priuatas, nullo modo rupta sit, necessaria fuit hæc virtus, quæ inter homines cohabitantes, nullius cupiditates extra suos fines diuagari pateretur, sed cupiditatibus his frænum iniiceret, efficeretque vt proprio suo quilibet contentus, aliis sua tribueret, sibique nihil alienum & iniustum arrogaret. Hinc Cicero 2. de Offic. *Iustitia est ratio qua societas hominum inter ipsos, & vitæ communitas continetur.* Et Arist. 10. Eth. cap. vii. Iustitia propriè dicta duo requirit, inter quæ æqualitatem constituat. Dicit Arist. quod Iustitia constituat æqualitatem inter duo, vbi autem æqualitas, ibi ordinatio vnius ad alterum. Sed sicut Medicina siue cura Medici duplex, vna ad ægros, qui eius opera vtuntur; altera ad seipsum si quando ipse æger fiat; ita de Iustitia cogitandum, quæ ad alium quidem directè tendit, ita vt ad eum quoque tendat qui iustus dicitur. Huc pertinet distinctio illa Iustitiæ apud Platonem in *internam* & *externam*. Dominicus Soto lib. 2. de Iust. & Iure, quæst. 3. art. 2. ait, non nisi metaphoricam talem (internam denotat) esse Iustitiam, propterea quòd iusta sunt æqualia, æqualia autem propriè loquendo, non nisi duo: hæc duo, quia de moribus sermo est, non sunt nisi actiones, actiones autem non sunt partium sed suppositorum, vt

docet

docet Philoſophus 2. de Anima: idcirco ad Iuſtitiam & requiri duo, & non duo qualitercunque diſtincta, ſed duo diuerſa ſuppoſita.

6 *An Iuſtitia vniuerſalis alias virtutes ordinet ad bonum commune?*

Teſtes hîc potius profero Romanorum & Græcorum fortiſſimorum heroum præclariſſima facta, quàm autorum ſententias, quod fidem maiorem facere videntur præſtantiſſimorum principum monumenta ſplendidiſſima, quam exiguis literis ſapientum conſtructa dicta ac verba. Hos enim heroes omnium terribilium terribiliſſimo non perterrefactos, mortem ipſam patētibus vlnis excepiſſe videmus pro patria, pro bono publico. Cum autem hæc ardua facinora virtutis omninò opera fuerint, & vero bonum commune, quo permoti talia aggreſſi ſunt, non ſit virtus, videndum omninò eſt, cuiuſnam virtutis ſtimulis ita agitati fuerint. De fortitudine quidem poſſet aliquis exiſtimare eam huius rei cauſam eſſe, ſed hoc non tam in eo eſt, vt quis mortem expetat, & prómte vitam ſuam prodat pro patria, quam in eo, vt terrores omnes ac pericula conſtanti pectore ferantur. Reſtat ergo, cum nulla alia virtus ſe offerat, Iuſtitia vniuerſalis, ex cuius natura hoc oſtendimus. Secundum Iuſtitiam vniuerſalem eſt iuſtum, vt pars ordinetur ad ſuum totum, eique inſeruiat: iam verò cuiuslibet bonum eſt pars eius boni quo gaudet patria; ergo eidem bono debet ſubordinari atque inſeruire. Et hinc patet, quomodo reliquæ virtutes in hoc & ſimilibus caſibus dirigantur à Iuſtitia vniuerſali. Exempli cauſa, fortiter non ageret heros abſque notitia huius concluſionis; Patriæ hoc debes, vt vitam pro ea impendas: quia neſciret ſe fortiter agere; qui autem neſcit quid agat, in eo nōn eſt electio quæ ad virtutem requiritur: neſciret autem idcirco, quia incertum illum reddit amor ſui ipſius, qui ſuadet propria præferenda communibus. Quocirca indiget hac virtute iuſtitia, quæ ex ratione iſta quam dedimus, omnes eius virtutes ordinet ad bonum commune. Quæritur porrò, cum Iuſtitia ſubiectio ſit legum, quando actum

illum, de quo diximus, exercet, cui nam legi sui studiosum subiiciat? Respondemus autem esse hanc legem naturalem, vt quidlibet quantum potest conseruet sese & immortalitati studeat, si non in se, saltem in alio; quod expresse natura docet etiam inanimatarum rerum, vbi ad vniuersitatis bonum, naturæ propriæ contrariis motibus agitari corpora videmus. Sic aqua ne detur vacuũ, id est, ad salutem communis naturæ contra innatam grauitatem ascendit. Et sic in aliis. Quia etiam omnes aliæ leges ad bonum commune ordinantur, quia ex fonte diuinarum legum promanant, quæ æternæ leges à Deo manantes, ad Deum tanquam communissimum omnium bonorum referuntur & ordinantur.

7 *An Iustitia primariò respiciat bonum commune, secundariò autem priuatum, an è contra?*

Remanere potuit hic scrupulus ex præcedenti problemate; cum enim pars conatur seruare suum totum, videtur hoc facere propterea inprimis vt seipsum conseruet. Quod si pars (inquit Buridamus 5. Ethic. quæst. 6.) puta manus, appetit conseruare totum, hoc, inquit, est, quia inde dependet sua ipsius conseruatio. Hisce contrarium cum Dominico Soto lib. 3. de Iustit. quæstio. 2. art. 8. asserimus: non enim aliam inclinationem res habere potest, quàm qualiter à natura producta est, cum appetitus cuiusque rei ordinetur ad conseruationem istius productionis, quocirca etiam ab eadem natura instinctum conseruandi totum potius quam seipsas habebunt. Porro quandoquidem commune quanto est excellentius & diuinius, tanto maiori conatu ad eius salutis conseruationem particularia aspirent, vt docet Aristoteles 1. Ethic. c. 1. perspicuum est, vt quo hominum, diuinarum imaginum, diuinior est & præstantior societas præ brutis & inanimatis corporum mundanorum consortiis, eò flagrantius eius membra & partes erga tam præclaræ communitatis bonum ardere, quàm vlla sub cœlo res alia.

8 *An Iustitia vniuersalis iustum subiiciat omnibus legibus?*

Iustitiæ nomine hîc denotamus eius efficaciam in

subiecto

subiecto suo cui inhæret, voluntate nimirum hominis, quem legibus subiicit, vt testatur Aristoteles 5. Ethic. vbi inquit: *Iustitia est virtus per quam præstamus obedientiam omnibus legibus.* Quod si cui absurdum & ineptum videatur causam subordinari suo effectui, iustitiam nimirum legibus, quarum est effectrix, & putet magis decoram & digniorem iustitiam fore, si soluta legibus iisdem denominaretur; Huic, inquam, cui tale quid in mentem venit, considerandam proponimus Iustitiæ ipsius naturam, cuius maxima in tali subiectione cõsistit perfectio, cũ nimirum idẽ effectus simul sit istius suæ causæ obiectum, circa quod quo assiduè magis & frequentius habitus versatur, eò magis perficitur; subiici autem legibus nihil est aliud quam Iustitiam circa obiectum suum versari. Quibus si repugnare videatur illud Apostoli, 1. ad Timoth. cap. 1. *Iusto non est lex posita*; Respondemus: Nomen, *Iustitia*, dupliciter accipi: 1, in lata significatione, pro immunitate ab omni peccato; in qua significatione dictum illud intelligendum est. 2, in stricta significatione, pro virtute ista directrice, de qua præsens tractatio instituta est: Et ita iusto posita lex est propterea, quod cum ius principaliter respiciat bonum commune, eius regulæ & præcepta necessariò accipienda sunt ab iis qui illud etiam primariò respiciunt, vt sunt personæ publicæ, quæ leges sanciunt, ne scilicet priuatus sensuali cognitioni immersus, qua propiora maiora æstimantur quam remotiora, proprium commodum sectando, iniustum quid erga bonum publicum committat. Vocabulum præterea *Legis*, in isto dicto sumitur pro requisito quodam legis, videlicet vi coercitiua per præmia aut supplicia, propter quæ iustus nõ exercet virtutem, vt Aristoteles ait 1. Rhet. ad Theod. cap. 14. Is vituperandus qui Iustitiam secundum leges scriptas solummodo seruet; Melior enim qui non coactus iustus.

9 *An omnis actus Iustitiæ præstet quocunque actu omnium aliarum virtutum?*

Quando comparamus virtutem cum virtute, comparatio fit vel tantum inter genus & genus, vel inter ma-

ximum actum vnius, aut maximum actum alterius virtutis; nihilque vetat, quominus quod est genere superius, propter rei tenuitatem in indiuiduo sit inferius. Ecquis enim est qui æquali laude dignam iudicet Iustitiam istam, quam fortè muliercula quædam pisciculos, aut exigua olera iusto pretio vendendo exercebat, & virtutem illam ob quam fortissimi illi Romanorum Heroës triumphali pompa aduehebantur; atque adeò magnorum Heroum, Horatii, Scipionis, Camilli & aliorum fortitudinis præclarissima facinora? Vbi tamen si simpliciter inter vtramque virtutem instituatur comparatio, palmam suam obtinebit Iustitia, pro qua, tanquam pro domina omnis fortitudinis labor & industria excubat, omnemque gloriam & honoris splendorem, quem nobilibus familiis conciliat, tanquam miles & minister Iustitiæ parit; cuius quamprimum desinit esse propugnaculum, fit ferocitas, fit truculentia. Vt egregiè dictum sit ab Agesilao apud Plutarchum; qui de præstantia harum duarũ virtutum interrogatus, respondit: *Nihil vtiq; fortitudine indigeremus, si omnes iusti essemus.*

10 *Quodnam medium seruet Iustitia vniuersalis?*

Etsi in medio positam esse hanc virtutem multi negent, quod vnum extremum videlicet iniustitiam solũmodo agnoscat; tamen cum virtus hæc sit æqualitas, omnis autem æqualitas duo extrema, videlicet defectũ & excessum habeat, necessariò ista iustitiæ etiã tribuenda erunt: Si autẽ habet extrema, posita erit in medio vt affirmat Aristot. 5. Eth. c. 3. vbi inquit: *Necesse est quod iustum sit medium quiddam esse & æquabile.* Ac quatenus medium est, aliquorũ est quæ plus minusve appellamus. De hoc medio quæritur, num sit Geometricum, num Arithmeticum. Assignamus autem naturę eius ampliori & latiori vniuersum medium, tam Geometricum quam Arithmeticum. Geometricum quidem eatenus, quatenus eas virtutes dirigit, quæ eiusmodi medium requirunt, Arithmeticum autem hac saltem ratione, quâ illas virtutes regit, quæ tale medium deposcunt, vt Iustitiam commutatiuam. Hoc idem asserit Dominicus Soto lib. 3. de Iust. & iure. quæst. 2. art. 7.

11 *An*

11 *An is qui Iustitiam exercet in magnis rebus eo ipso eandem in minutioribus possit negligere & iniuste aliquid committere?*

Iasonis Thessali ista fuit vox, quâ se purgare solebat iis, quibus molestiam aut vim attulisset: *Qui magnis in rebus se Iustitiæ cultorem haberi velit, illum in paruis eam interdum violare oportet.* Exempli causa, interdum in bello, quò tutior sit Respub. agri aut ædificia ciuium exuruntur. Sed cùm nullius virtutis necessarium consequens sit vitium, improbanda omnino à nobis erit hæc sententia, quâ absurdissimum hoc statueretur, virtutem vnam sibi ipsi opponi. At verò tale nihil hîc committi vel ex eo patet, quòd sicut iniustum esset, si ob exiguam rem, sublime aliquod & egregium negligeretur; ita iustissimum esse, vt magnæ cuiusdam rei, Reip. nempè aut patriæ salus, præferatur saluti minus præstantis rei, priuatæ nempè personæ aut similis. Non secus ac nullam sibi iniuriam facit nec iniustitiam committit, qui bona fortunæ bonis vitæ postponendo, vitam suam magno pretio à prædonibus redimit; aut naufragium timens merces eiiciendo euadit; Idcirco nec exemplũ allatũ & similia quicquam concludunt. nam iustissimè in tali casu agri & domus non patriæ saltem salutis, sed ciuium ipsorum incolumitatis respectu vastantur, cùm illi patriæ omnia debeant, eorumque salus ab incolumitate patriæ dependeat; & iniuria illis fieret si ob incolumitatem propriarum domuum patria læderetur.

12 *An Iusticia sit causa effectrix legum, an contra leges sint causæ effectrices Iustitiæ?*

Si in se consideretur Iustitia, non quatenus imbecillis, non quatenus ob Prudentiæ in hominibus defectũ languida, rectissimè dicitur eam esse causam effectricem legum. Sic DEI Iustitia, quæ perfecta est, efficit diuinas leges: sic naturales leges à Iustitia insculptas circumferimus. Legumlatores denique decreta sua & mandata per iustitiam decernunt & sanciunt. Sin autem Iustitia, vt in hominis voluntate, non satis per pruden-

tiam illustrata, variisque perturbationibus obnoxia, spectetur, egregia sanè sunt adminicula & adiumenta ad actiones Iustitiæ, quæ tanquam normæ & regulæ eiusdem exercitia regunt & gubernant: id est, sunt causæ externæ impellentes ad actiones Iustitiæ obeundas. Quia enim habitus sibi ipsi nequit esse obiectū, & causa & effectus, imò quia homo sibi ipsi norma esse non potest; ideò iure & legibus opus fuit si vllus perfectus Iustitiæ habitus esse debuit.

13 *An lex naturæ in nobis sit habitus?*

Cùm habitus sit qui multis actionibus repetitis acquisitus potentiam quæ indeterminata erat, determinet ad hoc vel illud: Lex autem naturæ à primordio nostræ originis impressa nobis sit, neque eius respectu potentia sit indeterminata & vaga, sed ei penitus adstricta, nullo modo habitus dicenda erit.

14 *An leges naturæ sint immutabiles?*

Possunt leges naturæ accipi dupliciter: Primo, propriè pro istis principiis practicis, quæ vnà nobiscum nascuntur, & nullo docente in mentibus singulorum velut oculus quidam veri germanique Iuris elucent, quibus vltrò absque vlla illatione aut vllis probationibus assentimur, nec tam ducimur ad assensum quàm rapimur; quâ ratione immutabiles planè sunt, non secus ac primum illud mobile, ad quod à cæteris motibus deuenitur, immobile plane statuitur ab Aristotele 8. Phys. &. §. pen. Instit. de iure nat. dicitur: *Ius naturæ est immutabile.* Sumuntur secundo impropriè, pro collatione principiorum atque adeò secundum ista principia argumentatione & conclusione, in qua acceptione mutabiles planè pro circumstantiarum variatione dicendæ sunt. Exempli causa, etiamsi simpliciter iustum sit, depositum esse reddendum; tamen si furiosus & iratus depositum gladium repetat, quo alium interficiat, non erit ista lex immutabilis; sed quia circumstãtiæ mutantur, ipsa etiam variabitur.

15 *An Ius gentium sit naturale, an positiuum?*

Caius l. omnes populi, de hoc iure ait: *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraquè*

peræquè custoditur. Patet autem ex eo, quòd ad Ius positiuum requiratur hominum conuentus qui illud constituant & accipiant; talis verò conuentus in Iure gentium dari non possit, cùm nunquam omnes gentes conuenerint ad promulgandum illud Ius: quocirca ex fontibus naturalis Iuris manabit, ab eoque denominationem accipiet, si non primariam & perfectam, nihilominus tamen secundariam, & ab illo tanquam primo ortam.

16 *An ad legem requiratur eius promulgatio?*

In statu quidem innocentiæ, vbi integra naturæ luce lex illa hominum mentibus inscripta idonea & sufficiens actionum norma esse poterat, promulgatio erat superflua. Si autem consideratur mens hominis, quatenus ea claritas obfuscata, sic & promulgatio necessariò adhibenda erat; quia in istis tenebris impressio illa regulæ munere idoneè fungi non poterat, propterea quia regula quam operantibus applicari oportet, applicatur per noticiam; nam secundum normam agit qui eam intuetur. Quam ergo errorum nebulam tenebris conclusa & compressa naturæ lux discutere non poterat, eam extrinsecus legum illustrẽ autoritatẽ dissipare ac dispellere oportebat. Responsio iam facilis apparet de lege humana & positiua, ad quam promulgatio vsque adeo requiritur, vt etiam earum ignorantia, si modo non est crassissima, ignorantem excuset. Et expresse habetur l. leges. C. de leg. & const. *Leges sacratissimæ quæ constringunt hominum vitas intelligi ab hominibus debent.* In Authen. quoq; tum valere leges iubentur, *cum in commune factæ sunt manifestæ.*

17 *An præstet ius accipere à persona quæ secundum rationem absq; scriptis legibus iudicat, quam à legibus ipsis, & persona secundum illas iudicante?*

Arist. 3. Pol. c. 3. & 5. Eth. c. 6. *melius esse statuit dominari legem quam hominem.* Cui sententiæ hæc adstipulari ratio videtur, quod in ferendis legibus maiori circum-

ſpectione & prudentia negotium geratur quam in iudiciis, vbi niſi præſcriptam legum normam ſequatur iudex, cum ex tempore ſæpiſſimè ſententia dicenda eſt, facillimè ad quoſvis errores perducetur; eoq; facilius, quò magis reſpectu perſonarum moueri, odio aut amore percelli, aut auaritia corrumpi poteſt, à quibus tamẽ legum norma immunis plane eſt, quæ cum de vniuerſalib. & futuris iudicium ferat, nulla ſingularium aut præſentium circumſtantiarum conditione turbatur. Vnde qui legem præeſſe iubent, Deum præeſſe iubent, qui autem hominem, ſæuam adiungunt beſtiam, inquit Ariſt. 3. de Repub. cap. 1. Idem Ariſt. ratione etiam confirmare noſtram ſententiam videtur 10. Ethic. c. 9. vbi inter alia, quæ egregiè ibi de legibus diſputat præclara, hæc ſunt eius verba: *Ex hominibus quidem eos inimicorum loco habent qui aduerſantur appetitionibus, etiamſi rectè id faciant: Lex verò non eſt odioſa, præcipiens quod bonum eſt.*

18 *Vtrum cuiusuis hominis ratio poſſit eſſe legis effectrix?*

Non inſtituta eſt quæſtio de lege diuina & naturali, de quibus certum eſt quòd non pendeant ex nutu rationis humanæ; ſed ſolummodo quæritur de legibus humanis; vbi negatiuam tuemur ſententiam; propterea quòd cùm leges reſpiciant bonum publicum; & vt Cic. ait 1. de Leg. ad ſalutem ciuium, ciuitatumq; incolumitatem conditæ ſint, idcirco etiam debeant eo modo ſanciri, quo ſalus publica promoueatur: quia media debent inſeruire ſuo fini. Iam verò ſi quilibet in vrbe poteſtatem leges condendi haberet, maxima profectò cõfuſio omnium rerum, adeoque Reipub. ex eiuſmodi diſtractione præſentiſſimus interitus conſequeretur, non ſecus ac ſi in acie quiuis gregarius miles ducis officium ſuſcipere ac locum deſignatum deſerens, alios milites inſtruere vellet: & ſic iſte modus pernitioſus eſſet bono publico, cùm deberet eſſe ſalutaris. Accedit & hoc, quòd cùm lex requirat etiam vim coërciuam, eam autem à priuato accipere nequeat, ſed à Rep. vel principe, qui virtutum exercitiis digna præmia proponat, vitiis

autem

autem & flagitiis meritas pœnas decernat, non poſſit etiam à priuato, ſed à publicis perſonis promulgari. Quæ vltima ratio occurrit obiectioni, quam innuere videtur Dominicus Soto lib.1.de Iuſt.& Iure, quæſtio.1. art.3. Quodſi omnes ciues in aliqua vrbe eſſent Iurisperiti, an non tum temporis quilibet poſſet leges ferre, ſiquidem & bonum publicum ſpectarent, cùm ſint Iuſtitiæ ſacerdotes? Reſpondetur, quod etiam Legumlatores iuriſconſultorum, qui leges ex viſceribus naturalis Philoſophiæ, iudicio & ratione eliciunt, conſilio indigeat magnopere, nec tamen ab illis quicquam lege ſanciri poſſe, cùm pondus illud pœnarum & beneficiorum nequeant addere. Vnde Plato in dialogo de regno, *Regis munus*, ait, *eſſe leges condere*; docet etiam hoc Ariſtoteles 10.Ethic. denique conſtituitur *L.ſi Imperialis.Cod.de leg.*

19 *An omnia legibus ſint comprehendenda, ita vt nihil imperantis, vel iudicis arbitrio relinquatur?*

Quemadmodum aliquãdo magis ex re ægroti eſt, vt Medicus ſuâ propriâ prudentiâ vtatur, quam vt ſecundum nuda præſcripta literarum, ſiue Canones à Medicis præſcriptos medicamenta adhibeat, propter nimirum morbi peculiares circumſtantias: ita etiam particularium nonnunquam euentuum poteſt eſſe diſceptatrix humana prudentia, ſine expreſſo legum mandato, quibus minutiſſima quæque comprehendi nequeunt, propter humanarum actionum mutabilitatem iuxta ac varietatem, vt habetur *L. non poſſunt, ff. de ll.* Nimirum, ſicut in ſpeculatiuis quieſcendum iubebat Plato in ſpeciebus, eò quod de ſingularibus, quæ caduca ſunt, nulla ſit ſcientia, ſed experientia; ſic in practicis particularium mobilis & inſtabilis Euripus non tam legibus, quã Prudentia regendus eſt. Subiicit aliam rationem Dominicus Soto lib.1.de Iuſtit. & iur.quæſt.6.artic.1. quod cùm iſta ſingularia fluxa & mutabilitati obnoxia ſint, idcirco & leges de his latas tales effici, quæ legum varietas cum Regnis ſit peſtilens, non poſſit non eiuſmodi legum ferendarum modus iiſdem eſſe noxius,

Interim tamen vt Medici prudentia absq; artis præscripto & instructione parui æstimanda est; ita quoq; Iudex præter animi rectitudinem apprimè legum scientia indiget, quâ earum vniuersalia dextrè ad singulares casus accommodare queat.

20 *An legum multitudo accommodatior sit ad Iusticiam quàm earum paucitas?*

Sicut absurdum esset necessaria legibus statuere, vt quod in æstate debeat quis à Sole calefieri; sic non minus absonum impossibilia iisdem comprehendere; hac enim lege præcipi nec possunt nec debent, *l. impossibiliũ. de Reg. Iur.* Quô ergo magis ea quæ his comprehenduntur impossibilia videntur, eô magis earum naturæ aduersantur: immodica autem turba quo maior est, eô impossibilior apparet: quo fit, vt qui magis libertate gaudent potentiaq; pollent, quia impossibile omne iniustum videtur, ab earum vinculis quantum possunt sese liberent, vt fiant aranearum telæ, quibus muscæ implicantur, non leones: quin & nihil aliud efficiunt progressu temporis, quàm vt quò plures sunt, eô vberiorem materiam indomitis præbeant libidinem suam in conculcandis legibus explendi. Leges ergo & breues sint & paucæ: Executio vero & certa & stricta, & si opus fuerit, frequens.

21 *An legum finis principalis sit facere bonum subditum ac ciuem, an bonum virum absolutè & in genere?*

Cum moralis virtus absolutè efficiat virum bonum, harum autem virtutum directrix sit Iusticia, cuius obiectum Ius & Lex, non poterit non fieri bonus vir, qui à virtute talem virum efficiente, circa obiectum hoc, videlicet legem, intenditur. Vt meritò leges illæ Lacedæmoniorum iustum verarum legum titulum mereri nequeant, quæ bonum bellatorem effingere solummodo studebant. Quod idem etiam de legibus tyrannicis dicendum est, quibus etiam si subditus bonus, vir tamen absolutè bonus efformari nullo pacto potest. Et maximis profectò cladibus affectæ sunt illæ Respub. à quarum legumlatoribus hoc ipsum neglectum fuit; quia. n.

ciues

ciues suos instruxerunt quibusdam saltem virtutibus, exempli causa, virtutibus bellicis, idcirco cessante bello, nescientes in pace viuere, vel ad fœdissima prolapsi scelera, vel ferro assuetas manus ad propria viscera dirigendo Rempub. suam pessundederunt. Præterea leges intendunt commune bonum, homo autem cum eo ipso quo ad felicitatem, ad commune bonum, ceu animal politicum, natus sit, non poterit vnius ratio seiunctim ob inseparabilem vtriusq; nexum haberi. Cui locus etiam Aristotelis conuenit, 5. Eth. c. 1. vbi inquit: *Iusta appellamus vno modo ea quæ beatam vitam & eius partes in ciuili societate efficiunt.* Porro felicitas ista in executione & exercitio omnium virtutum consistit, quod simpliciter reddit virum bonum: quapropter etiam leges efficient virum bonum simpliciter.

22 *Vtrum legi parendum sit, etiamsi ratio sit obscura?*

Anima quidem legis dicitur Ratio, *arg. l scire 16. Et, de leg. 3. c. Sedulo* 38. quocirca quomodo disiungi & separari queant, vt nimirum quod lex est sit rationis expers, & è contra, quod rationis expers est, lex sit, explicatu videtur difficile, cum exangue & mortuum hominis corpus non homo amplius, sed *cadauer* appelletur: decidenda autem quæstio videtur hoc modo, quod ratio ista in lege (positiua nempe, siquidem de ea quæstio est) sit ex deriuatione à lege naturali, vt Cic. ait 2. De leg. *Lex est iustorum iniustorumq; distinctio ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur.* Ista autem deriuatio fit vel per cõclusionem ex istis principiis, vel per specificam determinationem alicuius communis generis. In priori modo ratio ista manifesta est: in posteriori obscurior longè; sed ratio tamen fundata in lege naturæ, quam si non intelliges, legis nihilominus nullo modo conspuenda autoritas, sed de earum promulgatoribus hoc certò statuendum, nihil ab iis sine certa causa magnoque consilio esse profectum. Quapropter nec subtiliter in leges iam latas esse inquirendum statuitur *leg. & ideo. 20. tit. de Leg. 3.*

25 *Cur plures leges minantur pœnam, quam expresse promittunt præmia?*

Solon & Democritus duo, aiebant, diuina lumina cuncta gubernant, præmium scilicet & pœna. Rationem reddit Aristot. 10. Ethic. nimirum duobus maximè affici homines, voluptate & dolore: quare ex vna parte alliciendos esse præmiis, ex altera terrendos suppliciis. Siquidem autem comminationes pœnarum pro delictis vberius, quam præmiorum pro virtutis actionibus promissiones legibus adiectas videmus; inquirenda causa est ob quam minus inuitandi sint homines præmiorum blandimentis, quam sint arcendi à vitiis & flagitiis pœnarum acerbitate. Cuius rei talis à nobis assignatur ratio, quod virtus sui ipsius præmium sit sufficiens, quam solummodo eius studiosus principaliter respicit, bona omnia fortunæ, quæ istam consequuntur, obiter saltem & secundario respectu attendens; quocirca eiusmodi stimulis non magnopere indiget. Scelerato autem nihil æquè cordi est ac voluptas, quã respicit primariò, & maximo appetit conatu; quamobrem eo grauiori suppliciorum asperitate à flagitiis retrahendus & auocandus est, quo ardentiori scelerum voluptate & blanditiis abripitur.

24 *An præstet quacunque causa mutare leges, an easdem etiam cum incommodo aliquo seruare?*

Cum homo non intelligat vt angelus, qui quæ nouit simul omnia & tota nouit; sed discursiuam habeat animam, ac successu temporis veritatis indagatricem, non poterit vni homini, aut multis etiam vno tempore totius iustitiæ æquitas, quâ leges sanciendæ sunt, adeò perspecta esse ac cognita, vt tales condat leges, tam absolutæ prudentiæ, in quibus nihil expoliendum, emendandum & immutandum, nihil vllo successu temporis reperiri queat. Quin longè aliter aliarum artiũ humana sapientia adinuentarum monent exempla, ex quarum rudibus quasi Thaletis Milesii, & aliorum saxis & lapidibus, Platonis & Aristotelis ingenia, artificiosissima scientiarum ædificia construxerunt. Quâ quidem ratione

ratione quaſtio explicatu videtur facilis, niſi ex altera parte ſeſe offerret difficultas, quia videlicet in vtroque diuerſa ſit ratio, cùm in talibus artibus mutatio nullum periculum adiunctum habeat, quod mutationi legum adhærere videtur maximum; propterea quod autoritas earum, quæ apud vulgum debet eſſe ſanctiſſima, hoc pacto fiat languida planè & infirma; more enim ſuo, prauâ æſtimatione ſeductus, putat, qua ratione abrogatæ leges fuerunt mutabiles, eâdem penitus demum latas inſtabiles eſſe quibus non vſque adeo obligetur. Quô reſpexiſſe videtur lex illa apud Locros, quæ talis erat, *vt quisquis contra receptas leges rogationem ferret, is eam inſerto in laqueum collo ſuaderet: qua ſi videbatur è Repub. eſſe, ſaluus euadebat autor: ſtrangulabatur autem conſtricto laqueo, vbi ratio diſplicuiſſet.* Inter has duas extremas ſententias tenebimus mediam, cum Dominico Soto, qui lib. 1. de Iuſtit. & iur. conſt. 7. artic. 1. ſic ait: « Dum de legis mutatione agitur, hæc debent in ſtatera « pendi: ne ſcilicet mutetur, niſi tanta ab ea parte pro- « pendeat cauſa quæ hæc valeat mala compenſare; de « quo tamen problemate vlterius diſceptandi occaſio erit in Politicis, in quibus Ariſtoteles admodum ſollicitè de legum mutatione diſputat.

25 *An ius & æquum differant?*

In Iure diuino & naturæ, quicquid æquum, etiam iuſtum eſt, & è contra. In iure autem humano, æquum illud videtur eſſe modus quidam, quo Ius intra ſuos terminos continetur, ne à prudenti circumſtantiarum accommodatione deflectat, & iuris naturalis rectitudinẽ ſibi vendicet, ſed inſtar regulæ Lesbiæ ſeſe habeat. Erat enim Inſula vbi lapides præ intractabili duritie nequibant quadrari, vt adaptarentur ad regulam; quapropter vice verſa, regula quæ idcirco non ferrea ſed plumbea erat, flectebatur, vt gibboſitas lapidis adaptaretur, quod ſecundum regulæ curuitatem deprehenderetur in muro ſedes, vel ſterneretur locus, cui aptius inſideret.

26 *An ſummum Ius ſit ſumma iniuria?*

De iure naturali & diuino responsio patet, quod quô magis summum est, eo iustius sit; quia immutabile est & æternum. De humano ergo iure & positiuo dubitatio manet, quam sic explicamus: Si *summum* esse accipias pro perfectione eius, & vt est in statu essentiæ suæ excellentissimo, tum negamus istam propositionem; perfectio enim eius consistit in eo, vt sit conclusio facta secundum rectam rationem, ex principiis practicis; vbi autem est iusta conclusio, ibi etiam est terminorum notitia. ad hos autem terminos pertinent actiones humanæ, & earundem fluxibilitas ac inconstantia. Porro cõclusio ista cum nihil aliud sit, quam generalium principiorum ad singulares casus accommodatio, quô magis ista accommodatio erit perfecta & summa, eô etiam erit iustior. Si autem *summum* esse accipias pro eo, quod suæ naturæ conuenientes limites excedit, sic concedimus propositionem; hoc enim modo summum ius dicitur summa iniuria, quia cum iuris humani natura postulet, vt ex proposito Legislatoris, per prudentiæ conclusiones & argumenta iudicium eliciatur, conueniensq; vniuersalium ad particulares circumstantias accommodatio instituatur, quandocunque alio modo se habebit, id est, quando non considerata intentione Legislatoris, circumstantiarumque cognitione neglectâ, secundum literam iuris scripti semper & vbique processus fit, habebit se præter naturam suam, id est, affectabit naturam legis naturalis, quæ absq; vlla argumentatione apprehenditur. Exempli causa: Vetat lex mœnia scãdi, & scandentem iubet morte mulctari; ascendens ciuis, vt ea ab hostibus tueatur, quæritur an sit mulctandus: Vbi profecto, si ius humanum absq; consideratione circumstantiarum, more iuris naturalis procedere vellet, fieret summus rigor & summa iniuria: quocirca hæc ratio & illud ipsum, quo finibus suis continetur, dicitur *Æquitas*.

27 *An omnis qui alteri damnum infert faciat ei iniuriam?*

De damno quidem latè considerato non obscura est responsio, cum constet à nulla re irrationali damnum illatum

illatum iniuriæ nomen sibi sumere, quocirca ad hominem restrictâ quæstione, quærimus, an omne dãnũ quod alter alteri infert, possit dici iniuria? Et respondetur damni distinctione ea quam habet Aristoteles lib. 5.Eth.c.8.vbi docet, damnum quod alteri infertur, esse vel voluntarium, vel inuoluntarium. Et voluntaria iterum esse triplicia: vel enim proficisci ex ignorantia, vel ex animi perturbatione, vel ex malitia. Damnum ex ignorantia proficisci dicitur, quando is qui alterum læsit, ignorauit circumstantias eas, in quibus præcipua actionis vis consistit, vt est circumstantia personæ, item causa instrumentalis ac finalis. Quale damnum iterum duplex: quorum prius dicitur ἀτύχημα, infortunium, siue tale damnum, quod præter omnem opinionem agentis casu quodam infertur; vt, si venator in sylua volens feram transfigere, transfigat hominem, quem vel non vidit, vel alioquin transfigere plane non volebat, aut etiam facile non poterat. Item si cui ligna cædenti securis de manubrio excidat, & prætereuntem vulneret. Posterius vocatur ἁμάρτημα, error, tale damnum, quod quidem non præter omnem opinionem infertur; sed tamen absque malitia & dolo agentis; vt, si quis bombardam (quam aut non tractasse, aut cautissimè tractasse debuerat) incautè tractando astantem lædat. Damnum verò ex animi perturbatione, nempè, ira, metu, terrore, aut alio aliquo naturali affectu illatum dicit Arist. esse ἀδίκημα, iniustum factum, tamen nondum esse eum gradum iniusti facti, vt propriissimè possit dici iniuria, aut propter quem aliquis iniustus & iniuriosus debeat appellari. Vbi tamen addit, distingui debere ἀκούσια, siue inuoluntaria damna in συγγνωμονικά, & μὴ συγγνωμονικά, id est, ea quæ veniam merentur, & quæ non merentur. Et ait, ea non mereri veniam quę ex affectu aliquo neq; naturali, neq; homine digno admissa sunt; vt, si quis ex ebrietate alterum lædat, aut si quis ex odio vel inuidia alteri damnũ inferat. Propriissimè ergo ἀδικίαν, iniuriam dicit esse tale damnum, cum quis alterum de industria & consultò lædit. qui hoc modo aliquem lædit, is dicitur ἀδικεῖν, iniuriam facere, & esse ἄδικος, iniustus. Vnde concluditur, non omnem

qui alteri damnum dedit, statim inferre iniuriam aut esse iniuriosum siue iniustum.

28 *An volenti possit fieri iniuria?*

Faciliorem quidem explicationem quæstionis difficultas habet, si talis casus formetur: vt si quis nesciens alterum hoc expetere, iniuriam illi inferat. sic enim manifestum est, propriè dictam hanc esse iniuriam, quia eius proxima ponitur causa; animus videlicet lædendi. De alio autem, an possit fieri iniuria volenti ab eo, qui scit illum iniuriam velle, grauior manet difficultas; ex illa enim noticia in animo inferentis extingui nocendi propositum putare quis possit; nam quia scit alium illud expetere, quilibet autem bonum suum, naturæ suæ conueniens expetat, commodi potius aut adiumenti speciem habebit ille actus, quem alter erga eum qui hunc expetit, exercet, quam iniuriæ. Hanc vt discutiamus caliginem, dicimus: Si propriissima & plena volũtas intelligatur, impossibile esse vt volenti fiat iniuria: Primò ex impossibilitate hypotheseos, vbi supponitur posse hominem iniuriam velle, quod omnino falsum est; nam cuius contrarium maximè appetit homo, illud ipsum maxime auersatur. Atqui iniuriæ contrarium, videlicet Iusticiam adeo appetit homo, vt etiam damnũ & mala omnia tam virtutis studiosissimus, quam sceleratissimus sustineat, si putat ea iuste sibi euenire. Ergo iniuriam omnium maximè auersabitur homo, & si eam expetit, non expetit sub formalitate iniuriæ, sed sub specie & figura iusti; prauâ scilicet imaginatione seductus existimans iniusta esse iusta: sicut eadem hominis voluntas, cuius determinatum & proprium obiectum est bonum, etiam malum appetit, sed tamen sub specie boni. Secundo, quia qui iniuriam infert, habet propositũ lædendi & nocendi alteri, hoc autem propositum non habet is qui scit secundum votum & voluntatem alterius id accidere. Dicimus porro, si velle per voluntatem vel aberrantem vel non plenam, & ex mentis ignorantia & perturbatione seductam, etiam volitionis nomen sibi sumat, atq; adeo hoc modo velle aliquod damnum sit velle iniuriam, concedendum omnino esse hac ratione volenti, etiam ab eo qui illud scit, fieri iniuriam.

Nec

Nec excusandus est ex eo, quòd alter volebat, quia non volebat alter hoc secundum voluntatem rectam, & quatenus homo benè dispositus, iuxta quod dum ei obsequeris damnum inferendo, non potes illum non lædere, & lædere etiam ex proposito nocendi, propterea, quia illud ipsum quo tu putas gratum facere, est hominis vitium, quod quia promoues, idcirco ipsi homini noces; qui enim principis cuiusdam inimicis succurrit, ille certè contra ipsum principem insurgit. Sic armiger Saulis regi suo desperabundo fecisset iniuriam, si eum id postulantem trucidasset. Cæterum posset hinc non leuis dubitatio oriri, cum audimus & legimus tot Martyrum choros tam prompta voluntate, tam alacri spiritu crudelissima tyrannorum tormenta expetiisse & excepisse, vt putemus, si volenti non fiat iniuria, illi autem plene eam expetierint, iis nō factam esse iniuriam. Vbi respondemus; in omni volitione respiciendum esse ad vltimum terminum, in quo sistitur & terminatur voluntatis desiderium, cuius termini respectu nolitio & volitio voluntatis denominatur, & quicquid expetitur, expetatur propter illum, tanquam media propter finem: iam ille vltimus terminus in Martyribus est gloria Dei & animæ salus, & propter hanc tormenta corporis sustinuerunt & expetierunt iustissimè; quocirca nullam expetierunt iniuriam, seu vllum damnum propter iniuriam, sed ob iustissimam iustitiam: sin autem iniuriam noluerunt, sanè maxima illis facta est à crudelissimis tyrannis, qui lædendi animo illos miserrimè cruciabāt, vt magnopere perpendendum sit, quo fine quis damnū expetat, & quo fine alius illud inferat; quandoquidem si volens alio fine & modo velit quam ei læsio infertur, iniuria est. De Saluatore nostro eodem modo sese res habet; huic enim omnino summa iniuria facta est à Iuda proditore, & Iudæis ac Pilato, etsi voluntariè & quidem cum magno desiderio mortem pro genere humano adierit & perpessus sit.

29 *An aliquis sibiipsi possit velle & facere iniuriam?*

Dupliciter à nobis quæstio hæc cõsiderari debet: Primo quidem de homine qui plane impos sui nullis amplius rationis & legitimæ voluntatis habenis regitur, sed natura propria exuta beluinis motibus agitatur; vt furiosi, phrenetici, somniantes etiam, qui non tam legibus, quam vinculis coercentur: ab his vt nec aliis iniuria fieri potest, ita nec sibi ipsis; quandoquidem iniuria lædendi animum supponit cuius sũt expertes. Altero modo quæritur hoc loco de homine rationis quidem compote, sed variis tamen sensuum perturbationibus exposito, per quas multa sub aliena & fucata specie apprehendit & appetit: Et sic nonnulli respondent consideráda esse duo, videlicet formale & materiale iniuriæ: Secundum rationem formalem non esse istam iniuriam, cuius formalis ratio est; finaliter nocendi propositum, quale non potest cadere in hominem ratione præditum, qui etiam in expetendis & sustinendis quibuscunque damnis finem aliquem & bonum quoddam respicit. Et ita intelligendum Arist. lib. 5. Eth. c. 11. vbi negatiuam huius quæstionis partem tuetur. Secundum autem materiale iniuriæ, quatenus nudus iste actus absque consideratione intentionis ad vlteriorem finẽ perpenditur, læsionem quam aliquis sibi ipsi infert iniuriã dicendam omnino esse, nec vllo modo eum qui hoc facit esse excusandum, propterea quod legem naturæ violauit cui erat obligatus. Sed planior est responsio, quod voluntas sit vel recta ac plena, vel non recta & semiplena; secundum illam nemo potest vt velle; ita inferre sibi ipsi iniuriam, secundum alteram vero potest vt velle, ita quoq; inferre.

30 *An ille cui ob patratum scelus magistratus mandat vt sibiipsi violentas inferat manus, faciat sibi iniuriam si decretum illud exequatur?*

Vsitatum fuit sub Nerone, Tiberio, Domitiano, mittere Tribunum aut Centurionem, qui extremam necessitatem denunciaret; vbi Tacitus & Lipsius scribunt: Si quis pareret, & mortem occuparet, manebant testamẽta, iusta funeris: sin minus, ecce carcer, carnifex, Gemoniæ, la-

niæ, laqueus, fiſcus. Narrat etiam Lipſ. lib. 2. Manuduct. ad Philoſophiam Stoicam, diſſert. 23. morem hunc eſſe hodiè adhuc apud Iapones, vt Rex offenſus nobilium alicui mandet: *Abi ventrem tibi ſcinde.* Affirmatiuam partem tuetur Seneca, & poſt hunc Lipſius. Seneca quidem Epiſt. 70. de hac re ſic ait: *Si altera mors cum tormento, altera ſimplex & facilis, quidni huic iniicienda ſit manus?* Quemadmodum nauim eligam nauigaturus, domum habitaturus: ita mortem vtiq; quâ ſum è vita exiturus, meliorem. Lipſius citato loco ſic inquit: *Si verè dicimus Legem & Magiſtratum poſſe occidere: cur non etiam tali & tali modo vel manu? cum mihi iubent, cur non paream?* Quibus tamen ne aſſentiamur; ſuadet legis illius naturalis immutabilitas, defenſionis ſcilicet & conſeruationis propriæ innata cupiditas, quæ in minutiſſimis etiam naturæ rebus emicat: quid enim minutius quam exigua aquæ guttula? hæc tamen vbi ſiccitatem hoſtem ſuum præſto habet, quantum poteſt ſeſe munit & conglobat; diffluxum & interitum ſuum auerſura. Hoc certè naturæ decretum violaretur immanitate hac qua violentis manibus erga ſeipſum aliquis vteretur: quæ lex adeo firma eſt, vt nunquam poſſit ſe habere aliter: nam etſi etiã altera illa lex de non occidendo alio ſit naturalis, diſcrimen tamen eſt in eo, quòd iuſte quis poſſit occidi, ſceleratus videlicet aliquis a legitimo magiſtratu. Altera autem illa lex de non occidendo ſeſe ipſum, nunquam in ciuilis vitæ curſu poteſt mutari ex eo, quod iuſtè etiam fieri poſſit. Ratio diuerſitatis in vtraq; eſt hæc, quia quod iuſtè fit, fit per ſubiectionem legum, & quicquid non fit per ſubiectionem legum, non fit iuſtè. Prima propoſitio accommodatur ad legem iſtam de non occidendo alio, vbi quis iuſtè interfici poteſt, ex eo, quod leges æquè mandent aboleri flagitioſum, quam flagitia non patrare. Secunda autem propoſitio accommodatur ad alterum illud, de non occidendo ſeſe ipſum, vbi nulla reperitur lex, per cuius obſequium talis actus iuſtè adminiſtrari poſſit. Quin & extenditur hoc à quibuſdam eouſque, vt dicant flagitioſum aliquem in tortura conſtitutum poſſe abſque peccato ſcelus patratum negare, nec coactum eſſe illud confiteri. Addunt etiam, poſſe

aliquem ob delicta carceribus inclusum absq; peccato sese iis liberare.

EPIMETRA META-PHYSICA.

1 *Vnde rerum veritas dependeat?*

CVm veritas sit conformitas cum sua mensura, mensura autem ista sit intellectus primus, siue intellectus eius qui rebus omnibus essentiam & existentiã dedit, & cui tanquã archetypo res omnes conformes sunt; idcirco non difficilis est responsio, mensuram primam omnis veritatis in omnibus rebus esse conceptus & imagines rerum omnium, quæ sunt in mente diuina, ita vt quicquid verum est, propterea verum sit, quia ad diuinam veritatem referatur, cùm in omnibus rebus Esse, & esse verum conuertantur. Obscurius Scholastici hoc, quod proponimus, principium veritatis nominârũt rationes formales in intellectu diuino existentes, quas nonnulli Platonem per suas *Ideas* denotasse putârunt: quod tamen suo loco reliquerim, cum grauior sese difficultas offerat, quę à nonnullis de his rationibus formalibus mouetur; *vtrum nimirum sint in intellectu an in voluntate Dei*: Quæ controuersia decîdi poterit comparatione creationis ad effectionem operum eorum quę arte producuntur. Sicut enim imago operis producendi est in intellectu artificis, propositum & vis exequendi in voluntate, ita quoq; cogitandum est de rerum essentiis & existentiis quas Deus produxit.

2 *Vnde difficultas in inuestiganda veritate?*

In profundo velut puteo abditam esse veritatem conqueritur Democritus, & cum eo doctissima & sapientissima ingenia plurima, quæ anxiè elaborârunt in eo, vt causam inquirerent eius difficultatis, quæ est circa inuestigationem veritatis. Quę quidem inquisitio est propria Metaphysicæ, in qua nobile problema proponitur: *An causa istius difficultatis sit in intellectu nostro, num verò in rebus ipsis?* Et soluere quidem quæstionem hanc videtur Arist. lib. 2. Metaph. c. 1. vbi inquit: Cùm difficultas cogno-

cognoſcendæ veritatis duobus modis accidat, exiſtimâ-rim cauſam eius eſſe non tam in rebus, quàm in nobis ipſis. Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ſe habent ad lumen diei, & ſplendidiſſimam Solis lucem; ita intellectus animæ noſtræ ad ea quæ ſuâ naturâ manifeſtiſſima omnium ſunt. Qui locus Ariſtotelis ſic rectè explicabitur, ſi dicamus, cauſam eius quæ eſt in cognoſcẽda rerum veritate difficultatis partim eſſe in intellectu noſtro, partim in reb. ipſis. Nam primò intellectus noſter in hac vita magna parte pẽdet à ſenſibus. nihil enim eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu: Senſus autem aberrant ſæpè, & non penetrant ad interiores rerum eſſentias & proprietates, ſed magna parte hærent in externis qualitatibus, atq; adeò intellectum à forma rerum abducunt ad materiam, & materiis velut immergunt. In qua ſentina profundiùs adhuc illum detinet temperamenti varia affectio, cuius qualitatibus humidis, calidis & aliis ipſe etiam afficitur. Accedit & alia intellectus in indaganda veritate remora, varius nimirum & vitioſus affectus, qui in corde hominis quod *mare magnum* appellat D. Auguſtinus, æſtuans, vehementiſſimis procellis & fluctibus omnem eius aciem obruit ac perturbat. Intellectui hoc modo diſpoſito proponantur res, & ſic multæ quoq; in iiſdem ſeſe offerent difficultates. Sunt enim multæ res, quæ cùm ob ſubtilitatem naturæ ſuæ ſenſib. nullam imprimere imaginem poſſint, aciem intellectus effugiunt, vt Angeli & alii Spiritus; quod idem etiam accidit in quibuſdam rebus, non tam ob naturalem proprietatem, quàm ob loci longiorem diſtãtiam, vt in cœleſtibus corporibus. Sunt ſecundò res quædam adeò imperfectæ & incompletæ, vt quia incompletam imaginem in mente gignunt, perfecta etiam noticia nõ apprehendatur. Eſt deniq; tanta in quibuſdam reb. copia & multitudo, vt intellectus, qui diſtinctè omnia apigit, confuſione iſtâ, cuius eiuſmodi turba mater eſt, impeditus, officio ſuo fungi nequeat, vt ſunt accidentia & virtutes in re qualibet, quarum vix centeſimam partem in hac vita homo cognoſcit. Ex quibus omnibus concluditur difficultatem iſtam nec ex intellectu, nec ex rebus oriri per ſe; per accidens autem ex vtroq;.

3 *An veritas tantùm insit Enti complexo, an verò etiam simplici?*

Sunt qui veritatem nullibi aiunt esse quærendam nisi in Ente complexo, id est, affirmatione & negatione; atq; in eam sentent. Arist. aliquot loca adducunt: Sed facilè decidetur controuersia cùm id nobiscum considerauerimus, sicuti Enti simplici primario & primo competit Esse, ita etiam principaliter ei competere verum esse, cùm sicut res est, ita vera sit: Cui accedit, quod prima illa diuina veritas, quæ omnibus veritatibus prior est, sit simplicissima.

MECHANICA.

1 *Cur exactius maiores libræ examinent pondera quàm minores?*

Placuit pro Geometricarum præceptionum vsu ostẽdendo è Mechanicis hoc problema appendere ad disputationem de Iustitia, cuius imaginem nouimus aptè & pulchrè repræsentari per virginem dextrâ manu strictũ ensem Legum vindicem, sinistrâ lancem, tãquam æqualitatis insigne præ se ferentem. Et est alioquin vt in Ethicis Iustitia, ita in Mechanicis Lanx siue Libra velut generalis regula, ad quam etiam vectis reducitur, ita vt sit axioma Mechanicum: *Vectis cum in vsum venit, refert libram.* Porrò libræ & lancis naturam egregiè explicat Aristoteles in Mechanicis quæstionibus, dum ad primum rerum Mechanicarum fundamentum, circulum nimirum, eam refert; è qua doctrinâ & propositum problema extruimus, & eiusdem ita eruimus enodationem. Applicata libra ad circulũ, trutina quæ est media pars, fit centrum; partes autem libręvtrinq; à trutina productæ fiunt lineæ à centro circuli quę describunt: cùm aũt lineæ seu diametri in circulo partes, quo longius recedunt à centro & immobili, eô velocius moueantur, cõsequens fit, vt quò partes in Libra, quæ vicem diametri obeunt sunt maiores, & longius productæ à centro, eò quoque velociorem in iis esse motum. Quandoquidem ergò ex maiori vehementia motus vis mouentis, quæ

pondus

pondus est, distinctius cognosci potest, in motu autem languidiori ob tarditatem sensuum non perspiciatur: concludi profectò poterit, exactius longè ponderum examen à maiori, quam minori libra institui posse, vt loco citato expresse inquit Philosophus: *In magno librili idem pondus magnitudinem reddit aspectabilē*, de quo præclare disserit Alexāder Piccollomineus in quæst. Mech. quæst. 1. c. 6. & Henricus Monanthonius in suis ad Mechanica Arist. commentariis, pag. 45. & seq.

2 *Quid ex mechanicis fundamentis de horologiis automatis statui possit?*

Horologiorum automatum inuentio Boëtio Seuerino summo Philosopho tribuitur; digna profectò admiratione ob acumen exquisitum & vtilitatem in publicis & priuatis hominum actionibus dirigēdis inæstimabilem: Cæterùm vt in aliis hominum etiam sapientissimè excogitatis operibus, ita in horologiis non exigui defectus à pręstantibus Mathematicis ostenduntur, non tantùm propter aëris ambientis crebras mutationes, sed etiam propter internum, si ita vocare licet, motus principium. Sunt enim duplicia horologia; quædam se ipsis & suis tantùm rotulis, quædam verò ponderibus appensis librata. Quorum illa quia per laminæ cuiusdam conuolutionem violenter intortam mouentur, idcircò primas horas breuiores, posteriores autem horas longiores iusto indicant; idque propterea, quia contorta illa lamina diducitur innata quasi vi metalli, idcirco primo celeriùs, post tardius horologii rotulas impellit. Alia verò horologia, quæ appensis ponderibus mouentur, primas horas iusto longiores, postremas breuiores indicant: quia nempe pondera cum loco naturali, nempè terræ, sunt propiora, celerius mouentur, cum omnis motus naturalis in fine sit velocior quàm in principio. Accedit etiam funis istius cui pondera alligata sunt grauitas, qua pondera sub finem magis deprimuntur, quàm ab initio: quam posteriorem causam etiā attingit magnus ille Astronomus Tycho Brahæus parte prima progymnasmatum Astronomiæ, pag. 148. 149. vbi ita inquit: Quamuis tam illustrissimus Princeps " Landgrauius Guilhelmus, quam ego in hoc plurimum "

elaborauerimus, vt horologia correctissima, non saltem horas, sed etiam scrupula prima & secunda constanti lege indicantia confici curaremus, qualia vel tria, vel quatuor in promptu habeo, maxima diligentia fabrefacta: tamen multas ob causas, de quibus etiam cum illustrissimo principe per litteras egi, adeo præcisa atque cœlesti normæ omni tempore perpetuo & æquali ductu correspondentia hæc esse nequeunt, atque in tam subtili negotio necessarium est. Nam cuiuscunque tandem solertis artificis Mechanici opera & dexteritate horologia illa constituantur, tamen ob aëris & ventorũ varietatem mutationi sunt obnoxia: nec satis huic iniuriæ occurritur; si hyberno tempore in vaporario aliquo, etiam æquali, quoad eius fieri potest calore, conseruentur: per se quoq; subinde, vtut ab initio satis diligenter composita, alterationem aliquam variis de causis admittentia. Et facilè fieri potest, vt denticuli aliquot aut rotulæ quodam loco dispares, harmoniam motus continui æqualem & proportionalem aliquantulum interturbent, atque in intermediis horis, earundemque subtilissimis scrupulis, aliquid inæqualitatis facilè suggerant, licèt vniuersalis & diurna restitutio, siue ad Solem siue ad stellas comparata, satis exactè se habeant. Quin & filum ipsum quo pondus annectitur, quando plurimum demissum est aliquanto plus aggrauationis addit, vtut subtile fuerit, quam dum in superiori loco, pondus ipsum, minimum eius deorsum traxerat. Et licèt hoc differentiam perexiguam in motu horologii implicet, tamen cùm & id quod inquirere intendimus subtilissimum quid sit, & quatuor secundorum in horologio aberratio integri minuti primi iacturam loco stellæ insinuet, impedimento omni non vacat. Sunt & alia horologiis eam qua opus esset certitudinis atque scrupulositatis fidem omnino derogãtia. Hucusque Tycho Brahæus. Quòd verò propter hos defectus nonnulli Mathematici veterũ clepsydras quibus per aquæ diffluxum, tanquam modũ naturalem, horæ indicabantur, nostris automatis tam clarè palàm sonantibus præferant, id non video qua ratione possit approbari.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXIV.

Quæ est Ethica quarta,

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS,

Quæ referuntur ad nos ipsos.

INSTITVTA IN GYMNASIO DANTISCANO 6. Maii. Anno 1606.

Respondente

ADAMO RASSIO Polono.

Illustribus & Magnificis Viris,

Dn. ADAMO TALVOISS, CAPITANEO DVNEBVRGENSI, ADMINISTRATORI Birzinianensi, &c.

Dn. NICOLAO ZIENOVICZIO; & Dn. MARTINO BRONIEVIO EQVITI Polono;

tum etiam

Reuerendis & Clarissimis Viris,

D. IOHANNI TVRNOVIO Ecclesiarum in Polonia maiori Seniori dignissimo:

&

Dn. FRANCISCO RASSIO, Ecclesiarum itidem in Lithuania Superintendenti, parenti suo:

necnon

Honoratissimis & spectatissimis Ecclesiæ Reformatæ Vilnensis Senioribus,

Dn. CORNELIO WEINHOLDO,

&

Dn. IOHANNI MEIERO, PERITISSMO MEDICO:

Dominis & fautoribus suis omni obseruantia colendis,

Hanc dissertationem Ethicam gratitudinis & obseruantiæ Symbolum reuerenter dicat & offert

ADAMVS RASSIVS.

THESES ETHICÆ,

DE VIRTVTIBVS PARTICVLARIBVS AD NOS IPSOS PERTINENTIBUS; nempe

De Temperantia, Autarcia, Modestia, Magnanimitate, Æquabilitate, Sedulitate, Tolerantia & fortitudine.

Consideravimus virtutes illas primas, reliquarum omniũ virtutũ Directrices, Prudẽtiam dico, & Iustitiam, quæ *vniuersalis* dicitur; sequitur vt *particulares virtutes Ethicas* introspiciamus, eas nempè quæ à primis istis gubernantur.

2 Virtus ergo Ethica particularis est, quæ voluntatem, cupiditates, affectus, sensus, locomotiuam, atq; adeò linguam hominis rectè disponit & componit ad certum aliquod & particulare obiectum.

3 Itaque refertur vel ad nosmetipsos, vel ad alios, vel denique partim ad nos, partim ad alios.

4 Virtus ad nos ipsos relata, vel cupiditatem componit & sensum; vel affectus.

5 Componens cupiditatem & sensum dicitur *Temperantia*, quæ est virtus moralis particularis, per quam moderamur cupiditatem nutricem & generatricem, & harum ministros sensus, nempè Gustum & Tactum.

Vigilantia.

6 Obiectum temperantiæ sunt eæ res, quæ voluptate titillant cupiditatem gustus & tactus.

7 Tẽperantię opponitur in excessu ἀκολασία, intemperantia; in defectu ἀναισθησία, stupor qui-

dam in aſpernandis omnibus etiam neceſſariis & honeſtis voluptatibus.

8 Propria requiſitá Temperantiæ ſunt duo: Primum, vt abſentes voluptates moderatè expetamus; pòſt vt præſentibus honeſtè ac moderatè vtamur, ne quicquã per eas committamus, quod vel famæ & exiſtimationi nocere, vel valetudinẽ corrumpere, vel rei familiari detrimentum aliquod adferre poſſit.

9 Effectus huius virtutis ſunt duo: Alter inſeruiens corpori, isq; duplex, ſanitas & pulchritudo: Alter animo, & eſt conſeruatio ac confirmatio ingenii, iudicii, memoriæ (vnde & nomẽ habet vt σωφροσύνη dicatur, quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν) atque adeò ipſius hominis præparatio ad omnes alias virtutes morales promptè tum acquirendas, tum etiam exercendas.

10 Species eius ſunt duæ, Frugalitas, & Caſtitas.

11 Frugalitas eſt Temperantia in nutrimento ſumendo.

12 Eſtque vel Abſtinentia, vel Sobrietas.

13 Abſtinentia (ſpeciali voce ſic dicta) eſt Temperãtia ſiue frugalitas circa cibum, vt nempè in edendo modus ſeruetur idoneus nutritioni, ſanitati, & vigori mentis. Opponitur ergò ei in exceſſu voracitas & ingluuies; in defectu nimia maceratio corporis per ieiunium.

14 Sobrietas eſt temperantia ſiue frugalitas circa potum, vt nempè etiam in eo ſumendo modus ſeruetur conueniens nutritioni, ſanitati & vigori mentis. Opponitur ergò ei in exceſſu bibacitas & ebrietas, ſiue ebrioſitas; in defectu nimia abſtinentia potus.

15 Caſti-

15 Castitas est Temperantia modum seruans in rebus Venereis; cum nempè, quem Deus, siue leges tam diuinæ quam humanæ præscribunt extra & intra coniugium.

16 Castitatis mater simul & filia nobilissima, siue causa simul & effectus est pudicitia, quæ est fuga & vitatio verborum ac gestuum, ardorem venereum vel repræsentantium, vel prouocantiam.

17 Pugnat cum castitate in excessu spurca libido & impudicitia; in defectu, nimia concessæ Veneris abstinentia.

18 Et sic de virtute componente & moderante vires nutrices ac generatrices; sequitur virtus componens & moderans affectum, quæ est vel gratioris affectus, vel minus grati.

19 Gratioris affectus virtus est vel desiderii vel lætitiæ.

20 Virtus desiderii vel circa opes, vt *Autarcia*; vel circa honores, vt *Eutimia* siue *Philotimia*.

21 Autarcia αὐτάρκεια, est virtus, quæ moderatur desiderium opum & facultatum externarum, vt ea quę contingunt & dantur, grata mente acceptemus, nec plura quam per occasionem temporis obtinere possumus, anxiè desideremus.

22 Opponitur Autarciæ in excessu πλεονεξία, cupiditas & impetus quo quis rapitur, vt plus semper acquirat quàm habet: in defectu contrariatur ei primo fastidium rerum præsentium; deinde ὀλιγωρία, omnis sufficientiæ neglectus.

Autarxia.

23 Virtus moderans desiderium honoris

Eutimia vel *Philotimia*, dici poteſt (φιλοτιμίας voce in bonam partem vſurpata) quæ ſpectatur vel abſolutè, in gradu honorum mediocrium; vel ſecundum quid, & in gradu honorum ſublimium.

Modeſtia.

24 Abſolutè ſpectata virtus dicitur *Modeſtia*, per quam bonam famam in genere, & honores minores conuenienter ac decorè appetimus, acquirimus, perſequimur & tuemur.

25 Pugnat cum hac ſecundum maius extremum *Ambitio*, vitium ortũ ex mediocribus honoribus, per quod putamus nos maioribus honoribus dignos eſſe, quia minoribus digni fuimus: ſecundum minus verò extremum opponitur ei ἀφιλοτιμία, vel μισοτιμία, nimia animi demiſſio & deiectio, per quam honores etiam mediocres virtuti debitos fugimus, & præter rationem auerſamur.

26 Partes Miſotimiæ ſunt duæ: prior ἀναξία, ignoratio & abnegatio, ſiue nimia extenuatio eius boni & doni quod in nobis eſt; altera dignitatis & eius virtutis repreſſio, aut otioſa poſſeſſio.

27 Secundum quid conſiderata virtus, ſiue virtus ſublimes ſpectans honores Ariſtoteli dicitur μεγαλοπρέπεια, *Magnanimitas*, per quam magnos honores virtuti noſtræ debitos legitimè appetimus, acceptamus & tuemur.

Magnanimitas.

28 Obiectum ergò Magnanimitatis eſt honor magnus, ſiue id omne in rebus humanis, vnde magni animi laus & gloria oriri poſſit.

29 Connexum Magnanimitatis eſt ſublimior conditio & eminentior ſtatus, quæ dignitas in magnis & publicis perſonis, vocatur μεγαλειότης, *Maieſtas*.

30 Extre-

30 Extrema Magnanimitatis sunt duo: alterum in excessu, χαυνότης, fastus, superbia, & animi elatio ob magnos honores: alterum in defectu, ἡ μικροψυχία, siue μικροπρέπεια, pusillanimitas circa res magnas.

31 Sic de virtute Desiderii; virtus Lætitiæ dici potest *Æquabilitas*, virtus nempe moderans affectum animi in læticia, siue rebus secundis & prosperis.

32 Vitium ei oppositum in excessu est luxuries animi, siue insolentia & lasciuia in rebus secundis: in defectu, squalor ac morosa quædam, inconcinna & saxea duricies.

33 Ita de virtute affectus gratioris; virtus affectus ingratioris est vel curæ & laboris, vt *Sedulitas*; vel aduersitatum, & dicitur *Tolerantia*.

Sedulitas.

34 Sedulitas est virtus per quam labores & operas nostræ personæ & officio conuenientes alacriter suscipimus, & constanter perficimus. Dicitur & Solertia, Industria, Assiduitas. Græcis φιλοπονία.

35 Sedulitati in excessu opponitur περιεργία, nimia diligentia & satagentia, ex qua prodeunt ἀλλοτριοεπισκοπία καὶ πολυπραγμοσύνη; in defectu opponitur ignauia, ex qua oritur infidelitas in officio.

Tolerantia.

36 Tolerantia, iterum vel est communior, circa aduersitates quasuis, nempe circa paupertem, morbos, dolores & cruciatus, &c. & dici potest *Patientia*, vel specialior, circa pericula bellica, & dicitur *Fortitudo*.

Patientia.

37 Patientia est Tolerantia, quâ omnes aduersitates & dolores, quos deponere non possu-

mus, honestatis causa tranquilla & composita mente perferimus. Ei in defectu opponitur *Impatientia*, in excessu stupor, quo non sentiuntur mala, nec quæruntur malorum remedia.

Fortitudo.

38 Fortitudo est Tolerantia, per quam pericula grauiora, vt sunt bellica, atque adeo mortem ipsam intrepide adimus, & viriliter perferimus. Ei in excessu opponitur *Audacia*, in defectu habitus vitiosi timoris, siue timiditas, circa mortem præsertim bellicam.

PROBLEMATA.
DE VIRTVTIBVS AD NOS IPSOS RELATIS.

1 *An rectè in doctrina virtutum speciali sumatur exordium à virtute cupiditatem nostram moderante, Temperantia nempè.*

PLacuit hanc quæstionem in prima acie atque adeo ipso vestibulo horum Problematum Ethicorũ collocare, vt nempe eius, quam in tradenda virtutum particularium doctrina tenemus, methodi ratio intelligeretur. Quamuis autem multi ex recentioribus inueniantur, de quorum numero etiam est præstantissimus & clarissimus philosophus Franciscus Piccolhomi. qui existiment perinde esse à quacunque tandem virtute morali initium sumatur, vtpote cum virtutum moralium certa methodus formari non possit, tamen cum Ethica sit rerum vtilissimarum disciplina, res autem per naturam immobili lege ordinis, tanquam catenâ firmâ quadam sunt constrictæ, alienum vtique fuerit, tam nobilem

bilem ſcientiam, ac animi noſtri præſtantiſſimum decus, ſuo decore & ornamento carere. Non eſt ſitum in poteſtate artificis, pro arbitrio & placito ſuo partes artis diſponere, atque eo, qui propius alicuius rei non eſt, conſtituere loco. Vt enim illicò pulchritudinem ſuam amittit iſtud corpus, cuius pars vel membrum vitio quodam naturæ, alio quàm decuit loco poſitum eſt; ita etiam gratiam ac decus ſuum tueri illa diſciplina nequaquàm poterit, cuius præcepta confuſe & diſtortè collocantur. Iam ergò diſputatur, quâ methodo in Ethicis tradendæ ſint virtutes morales, & a qua potiſſimum virtute ſit incipiendum. Etſi autem agnoſcamus autoribus ſuas rationes non defuiſſe, cur de Fortitudine ante omnes alias virtutes docerent, tamen ſi naturæ ordo reſpiciendus, vt quidem omnino in accurata docendi ratione reſpici præcipue debet, iudicamus, Temperantiæ primum locum inter virtutes morales particulares deberi, idque propterea; quia quæ ad nos ipſos pertinent, priora ſunt iis, quæ referuntur ad alios: in nobis ipſis autem cupiditas nutritionis & generationis, naturâ prior eſt affectibus. Deinde ſicut vir bonus primo ſe ipſum amat; neque enim quiſquam proximum ſuum rectè diliget, niſi ſe ipſum primò rectè dilexerit; ita non prius de virtute ad alium aliquem relata doceri debet, quam virtus nos ipſos perficiens legitima tractatione abſoluatur & expediatur. Cui rationi ſubſeruit, & alia ab ipſo obiecto Temperantiæ ducta, quod cùm ſit quauis ætate homini neceſſarium, & in primis annis maximè circa iſtud peccare contingat, cumque ad nullum aliud vitium celerius homo prolabatur, quam ad id, quod per cibum & potum committitur; quod etiam cum omnium noſtrûm pernicie declarauit primus homo Adam, qui primò illecebra cibi ductus a mandato DEI aberrauerat: vitio itaque primo, primum etiam remedium opponendum fuerit, vt id homo primò diſcat, quod eum primò agere oporteat; vtque ei fortiter reſiſtat, ad cuius amorem & deſiderium frequentiſſimè cum ſuo lethali vulnere ducitur ac rapitur.

Est enim fortioris, qui non tam hostem externum quā se ipsum vincit, quique suum vitiosum appetitum in gyrum rectæ rationis flectere potest. Verùm quia interpretes variis rationibus methodum Aristotelis defendere conantur; quod apud plerosque sparsim circa hanc materiam reperitur, collectum hîc quasi in fasciculum, in vno conspectu lectori videndum proponemus. Donatus Acc. in comment. supra lib. 3. Arist. quatuor adfert causas, quas & alii recentiores plurimi allegant. 1, quia fortitudo, inquit, versatur circa materiam difficilem, hoc est, circa terribilia; quod proprium esse virtutis patet ex Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 3. 2, quia versatur circa affectus, de quibus moderandis prior esse videtur doctrina, quàm de actibus, cùm oporteat hominem prius se percipere, antequam producat operationes externas, & quia versatur circa affectum vehementissimum, id est, circa iram & partem irascibilem. 3, quia sumit hæc virtus nomen quasi à virtute & viro; Græcè enim dicitur ἀνδρεία, ἀπὸ τοῦ ἀνδρός, & est maxime digna sexu virili: pendet enim à temperamento calidiori, & à corde spirituosiori ac compactiori, quod rarò est in genere fœmineo, nisi quatenus id degenerat ad virilem. 4, quia incipiendum est à magis notis; fortitudinis autem maximè sunt splendidæ & illustres actiones, inque omnium oculos ac admirationem efficacissime incurrunt. Vnde & Plato in Lach. dixit, ἡ ἀνδρεία ἐστὶν τῶν καλλίστων. Hinc ergo concludit, posse præmitti doctrinam fortitudinis aliis virtutibus. Petrus vero Martyr laudatissimus scriptor, comment. supra lib. 2. Aristot. c. 7. aliam adducit rationem, haud multum tamen ab Acciaoli secundâ dissimilem: quoniam, inquit, inter animi partes ad rationem magis accedit vis irascendi quam cupiens: nam ferè semper hæc pars cum ratione facit, illam tuetur, & illam defendit. Vnde *cos rationis* à sapientibus est dicta: cumque fortitudo in ista facultate animi sit, ac temperantia in alia quæ concupiscit, ideo prior locus fortitudini est datus. Sed istæ rationes omnes nihil aliud euincent, si maxime exaggerentur, quam dignitatis ordine primas esse fortitudini deferendas. Nos autem non de dignitatis, sed de natu-

ræ ordi-

ræ ordine, qui in disciplinis spectatur, quæstionem nostram instituimus.

2 *Circa quas voluptates versetur Temperantia?*

Voluptas duplicis est generis, prout ex lib. 8. Arist. apparet, cap. 10. alia animi, alia corporis. Harum prior ab omnibus collaudatur, & quanto quis plus eâ excellit, tanto maiorem laudem & gloriam consequitur. Vt cum quis cogitationes suas frequenter exercet circa Dei, naturæ, omniumque rerum arduarum contemplationem; & hæc voluptas non tam corpus quàm animum fatigat, cumque sit honestissima, videtur nulla egere moderatione: hinc etiam ii qui talibus voluptatibus dediti sunt, iuxta sententiam Philosophi, neç σώφρονες temperantes, nec ἀκόλαστοι intemperantes nominātur. Alia deinde voluptas est crassior, quæ sensibus, non ratione percipitur, quæque nobis inest, non quâ homines, sed quâ animalia sumus: & hæc cum sæuientis instar bestiæ frequenter lorum & habenas rectæ rationis excutiat, cumque multorum malorum sæpenumero sit causa & origo, eget particulari virtute gubernatrice Temperantia. Quia autem non omnibus sensibus vsurpata voluptas vitiosa est, sed ea tantum quæ percipitur duobus, gustu nimirum & tactu, (hi enim duo sensus, vt in lib. 2. de Anim. scribitur, admodum sunt cōiuncti) ideo obiectum Temperantiæ non quæuis voluptas corporis censetur, sed voluptas duntaxat cibi, potus, ac Veneris. Cur autem Temperantia non sit moderatrix voluptatum, olfactus, visus, auditus, reddit Aristot. causam loco supra citato; vertuntur enim ἡ σωφροσύνη καὶ ἀκολασία, temperantia & intemperantia in huiusmodi voluptatibus omnibus, quæ nobis sunt etiam cum reliquis animantibus communes: at hæ sunt tactus & gustus. Quoniam ergò respectu istarum voluptatum, vtpote quarum cupiditas est vehementissima, modum homines violant, & quodammodo in bruta degenerant, temperantes quoque & intemperantes ratione illarum nuncupantur. Per reliquos verò sensus, quantumuis voluptas percipiatur, tamen quia diuersa

est, & alio fine ab hominibus percipitur quàm à brutis, cumque aliter in eos peccetur, temperantiæ regimini nullus hîc locus relictus est, sed alterius virtutis, prout etiam ii, qui sic peccant, non intemperantiæ, verum alterius cuiusdam peccati accusantur.

3 Cùm Temperantia non solum occupata sit circa voluptatem, quæ percipitur ex largiori vsu nutrimenti, aut Veneris, sed & molestiam quæ percipitur ex detractione superflui nutrimenti ac Veneris, potius ne versabitur circa ægritudines quam voluptates?

Minimè verò; subscribente etiam nostræ sententiæ philosopho: nam facilius resistitur ægritudini, ægrius voluptati. Sicut autem quod est pulchrius, idem est difficilius, iuxta parœmiam vulgarem, quod sint δύσκολα τὰ καλά; & sicut virtus quæuis maximè circa difficilia versatur; ita conuenit magis huic virtuti cum voluptate luctari quàm molestia; procliues enim à natura sumus ad voluptatum exuperantiam. Accedit & id, quod ægritudo animi quæ pertinet ad hanc virtutem, oriatur ex defectu vel absentia voluptatis: nullus autem non sentit promptius se perferre posse desiderium absentis, quam intra fines idoneos præsentis cōsistere voluptatis. Quod etiam suauissimo carmine Pythagoras exprimit, dum sic canit:

——— κρατεῖν δ᾽ εἰθίζεο τῶνδε
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου, λαγνείης τε
Καὶ θυμοῦ ———

——— *imperare assuesce te his:*
Ventri quidem primum, & somno libidinique & iræ.

„ Et Xenophon lib. 8. παιδ. idem nobiscum sentit. Longè „ difficilius est, ait, inuenire virum bona eleganter feren„ tem, quàm mala; nam res secundæ multos impellunt, „ vt fiant audaciores & petulantiores. At res aduersæ eam „ vim habent, vt omnes sanos ad modestiam flectant. In primis verò memorabilis est sententia Vegetii, lib. 4. sic dicentis: *Nunquam fama periclitati sunt, qui temperantiam inter copiam seruare cœperunt.*

4 *Vtra ex Intemperantiæ speciebus est magis noxia, ea ne quæ committitur gustu, an altera quæ tactu?*

Etsi verissimum est, quod Stobæus serm. 6. ex Eusebio Philosopho recitat; sicuti venti nauem correptam huc illuc ferentes quassant, & inobedientem efficiunt gubernatori: sic animam agitans & menti immorigeram esse cogens Intemperantia, tranquillam esse & in portu quiescere non permittit; non solum enim gulositas hominem ab officio transuersum rapit, ac fomentum quorumuis malorum præbet; sed & spurca libido animi statum inflammat, corporis vires eneruat, vitamque nostram, quam longissimè prorogatam cupimus, specie & fuco dulcedinis cuiusdam, fraudulenter ac dolose nimis imminuit. Verùm quia malorum dantur gradus; neque enim venenum quoduis, cum omne noxium sit, æque vitæ animalis perniciosum, operæprecium fuerit, quodnam virus huius vtriusque viperæ intimius hominem peruadat, oculis mentis breuiter lustrare. Sequemur autem in determinatione huius dubii decretum Philosophi, qui eo loci, vbi ex professo hanc virtutem persequitur cum suis oppositis, probat Temperantiam & Intemperantiam magis versari circa voluptates tactus quam gustus. Quia enim voluptatibus tactus magis gaudet intemparans quam gustus; circa eas autem voluptates, quibus magis gaudet intemperatus, temperantia & intemperantia versetur, temperantia etiam & intemperantia magis versabitur circa voluptates tactus quam gustus. Hinc ergo quod iam pro concesso habemus, quodque pluribus in textu argumentis confirmat Philosophus, bene inferri potest, *intemperantiam tactus perniciosiorem esse intemperantia gustus*; quia quod vitium magis remouere conatur virtus, illud est pernitiosius. Manifestum id est, nec eget probatione: laborat autem præcipuè temperantia in reducenda ad rectum vsum voluptate Tactus, quod etiam patet ex præcedentibus, vnde ipsa quam desideramus, spontè fluit conclusio.

5 *An Temperantiæ maius extremum, Intemperantia nempe, culpari & reprehendi magis debeat, quam minus extremum, stupor videlicet, & voluptatum etiam honestarum, fastidium & contemptus?*

Aristoteles lib. 2. Ethic. dicit, *voluntatem æquè omnium virtutum & vitiorum esse principium.* Quod Philosophi pronuntiatum cùm sit generale nimis & laxum, non simpliciter debet accipi, sed cum dextra quadam limitatione intelligi. Virtutes enim omnes & vitia spectantur dupliciter; vel, quoad suam essentiam ac habitum; vel, quoad circumstantias & actus singulares. Priori modo secundum οὐσίαν, æque sunt voluntaria omnia vitia & virtutes; hoc tantum interueniente discrimine, quod ortus virtutum prodeat ab integra & non corrupta voluntate; vitia verò fluant à deprauata. Posteriori respectu, quoad ὕπαρξιν, prout non omnia æque ex eodem fonte ebulliunt; ita intemperantia magis est voluntaria quam stupor; hunc enim dolor subsequitur, illam comitatur voluptas, ad quam & naturæ motus est velocior, & appetitus propensior. Ideò magis reprehendi debet voluptuarius, quam osor delitiarum; ille enim sponte peccat, vnde & pœnam grauiorem meretur; hic minus sponte, & ea propter citius consequitur veniam.

6 *Cur tam necessaria virtus sit Autarcia; &, cur homines semper quanto plus opum acquisiuerunt, tanto plus desiderent?*

M. Varro diuitias & diuitem deriuat à *Diuo*: qui diues est, vt ille inquit, quasi Deus, nullo indigere videtur. Sed optandum est magis istud Etymon diuitibus, vt re ipsa aliquando possideant, quam tribuendum. Poëta certè aliter sentit, dum diuitem comparat Tantalo, qui in mediis residens aquis sitit, & vndiquaque cinctus pomis, relictis propioribus, vlteriora appetit, vt expleat famem & esuriem discutiat. Nec aliud quid innuit Horatius, dum inquit, Carm. lib. 8. Ode 16.

Crescentem

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames.

Inde Symbolum celeberrimi illius Herois Iustiniani perpetua memoriâ dignissimum: *Multi nimium, nemo satis habet.* Quod vitium ipse Philosophus euidentissimè suis coloribus illustrat, lib.2. de Rep. c.5. Insatiabilis est, inquit, hominum improbitas, quibus primum satis sunt duo oboli: cum autem illos sunt consecuti, tum semper plus expetunt, dum infinitas opes congesserint: nunquam enim expletur, nunquam satiatur cupiditas; quam tamen vt expleant, pleriq; viuunt. Ita vt hinc videre liceat non obscurè, hoc seculo verè diuites paucissimos esse, sed plerosque diuites, pauperes; egent enim semper & expetunt plura, non quod egeant vt pauperes, sed quòd appetitui vitioso, in quo est magna indigentia virtutis, frena laxent ac soluant. Quare cùm hunc affectum plerisq; hominibus insitum nemo neget, non inutiliter operam collocaturi sumus, si causas eius inuestigauerimus. Præcipuè autem causam duplicem puto: Alteram in ipsa natura obiecti, siue in bonis externis reconditam, quæ *fortunæ* vocamus: cùm hæc tantùm sint secundaria bona, imò non bona suâ naturâ, sed tantùm suo vsu: ideò per se desiderium & appetitum hominis explere non possunt, cùm propriè dicti & primariò boni sit natiuus effectus, sistere atq; explere appetitum. Alteram, in exemplis aliorum hominum positam; quãdò enim videt homo alium multa habere; statim argumento à pari ducto, ratiocinatur se quoq; esse hominẽ, & per omnia alteri parẽ esse debere, ac, per consequens, tantum possidere, quantum alter. Itaq; exemplis moti ac stimulati homines, semperque cupientes tantum habere, quantum alii possident, desideriis feruntur in infinitum, prout exempla sunt infinita. Quæ duæ causæ melius cognosci possunt, si & ad alia mens nostra eleuetur, siq; diuitiarum natura profundius introspiciatur, ac vnde opes istę caducæ, quarum desiderio in hac mortalitate mordicus tenemur, constent, quæq; earum partes sint, si id diligẽter examinetur ac perpẽdatur. Liquet autem diuitias aggregari non solùm ex operibus naturæ raris & splẽdidis, qualia sunt metalla omnia, lapides

preciosi, & his similia, quamuis non omnia naturæ ope-
ra ad diuitias conferant; nam qui multos agros, syluas,
pagos, vrbes, regiones & nationes possidet, non tam *di-
ues*, quam *potens* nominatur: verum etiam operibus arti-
ficialibus, exquisitè & affabrè factis. Quæ vtraque na-
turæ & artis opera, cum sint singularia & indiuidua, ma-
ximè verò artis, vbi quæuis ad numerum artificum nu-
meratur, prout infiniti sunt artifices, eorum etiam ope-
ra sunt infinita; & quia omnes diuitiæ reducuntur ad v-
nam mensuram, numerum videlicet, earumque quanti-
tas arguitur ex quantitate numeri; imò cum nihil aliud
sint quam numerus numeratus, fit vt quemadmodum
ipsa mensura est infinita; nullus enim numerus tam ma-
gnus esse potest, cui non aliquid addi queat, ipsum men-
suratum quoque diuitiæ & facultates sint infinitæ, atq;
sic voluntas hominis circa infinitas res occupata ad in-
finitum quoque desiderium extendi patiatur. Auget
porrò nonnunquam hunc appetitum diuersa rerum
qualitas, dum in vno subiecto eiusdem speciei præstan-
tior reperitur quàm in altero: Sic cum aliquis possidet
aurum Rhenanum, amat quidem illud tanquam preci-
osum, quia tamen nondum obtinet Vngaricum, quod
est præstantius, subinde qualitatis illius excellentiâ ma-
iore incitatur ad consequendum Vngaricum; non
tantopere de eo cogitaturus, si vel iam potiretur, vel
non esset eo quod habet preciosius. Atque idem as-
serere videtur Quinctus Curtius de gestis Alexandri
inquiens: *Difficile est nos contentos esse eo quod offert
occasio: quippe sordent prima quæque cum maiora spe-
rantur.*

7 *An magnanimitas est virtus?*

Dubitandi occasionem non ignobiles quidam Scri-
ptores Ethicæ dederunt, inter quos etiam est Adoardus
Gualandus, qui lib. 10. c. 7. moralis Philosophiæ conclu-
dit apertè, non esse magnanimitatem inter virtutes lo-
candam, cum non minus, inquit, lædere possit quàm
iuuare; sed in præstantioribus virtutibus excessus qui-
dam tam in malam, quam in bonam partem censenda
est. Quod probat ibidem exemplo Cæsaris, qui cum cō-
scendere

ſcendere ſatageret altiſſimam gloriæ cedrum, tenui fortunæ ramo fracto, præceps in ipſo Senatu cecidit. Verum non ſatis diſcernere videtur Adoardus eſſentiales proprietates & effectus magnanimitatis à quibuſdam accidentibus & morbis veluti extrinſecis iſtam virtutem concomitantibus, quiq; non tam virtuti adſcribēdi ſunt, quam ſubiecto, cui inſunt. Per accidens hoc planè euenerat, quod Cæſar, Pompeius, Alexander, & alii Heroës amplam nimis regnandi poteſtatem affectarint; id enim non fecerant quatenus erant magnanimi, ſed quatenus vitium ambitionis contraxerant, ad quod facilis datur deſcenſus iſti magnanimo, qui nondum per omnia rectæ rationi & prudentiæ veræ morem geſſerit. Quare violauerat iam Cæſar cum Alexandro præceptum illud viro magnanimo apprimè vtile, quo monetur, ne cupidè nimis & anxiè quoſvis honores expetat magnanimus, vtque opportunitatem temporis & aliarum circumſtantiarum deſpiciat; quin etiam nulla præſentia pericula, niſi magna aliqua neceſſitate vrgente adeat. Neque enim, vt præclarè monet Cicero, 1. off. imperia expetenda, aut potius non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam: & prout ii omnino reprehendendi ſunt, qui ob cauſas priuatas publicis officiis ſeſe abdicant, ita non excuſabiles redduntur omnes, qui propter priuatas cauſas, ambitionis ſtimulo incitati, per mille rerum diſcrimina celſiſſimos honorum montes aſcendere cupiunt. Quin imo, ſi iuxta Philoſophi decretum, magnanimus iis honoribus qui ſunt magni, quique à viris bonis deferuntur, modicè delectari debet; tanto minus iis qui non offeruntur, vltrò cum moroſitate quadam inhiare debebit. Quod ſapiens monitum ſi Cæſari & aliis ſpiritu heroico præditis viris in conſpectu fuiſſet, multi eorum infelices euentus & grauia vitaſſent pericula, in quæ ob non ſeruatam hanc virtutis regulam inciderunt. Tantum ergo abeſt, vt magnanimitas ſit vitium quoddam & exceſſus in malam partem, ſed vt potius ſit virtutum omnium ſummus apex & ſplendidiſſima corona. Eſt enim id omne magnanimi, quod in vnaquaque virtute magnum & amplum conſpicitur, prout Ariſtot.

loquitur cap.8.lib.4.Eth.Et sanè secum ipse pugnare videtur Gualandinus, dum dicit magnanimitatem non esse virtutem particularem, sed ad reliquas omnes pertinere, propterea quod intensionem & remissionem accipiat. Si enim ad virtutem pertinet, est virtus; nã quicquid non pertinet ad virtutem, pugnat cum virtute, sicut vitium eò quod non spectat ad virtutem, opponitur virtuti, & quia opponitur, est vitium. Nec sequitur, intensionem & remissionem accipit: Ergo non est virtus. Do ἔνςασιν, Liberalitas & Magnificentia suscipiunt gradum: Ergo non erunt virtutes. Quod autem ait, excessum esse in bonam partem, id non video quomodo consistere queat; excessus enim virtutis non est virtus, & propterea non potest sumi in bonam partem. Et si est virtus, ii qui magnanimitate præditi sunt, non possunt aliquid malè agere; quia proprium est id virtutum moralium, quòd eis nec malè vti, nec non vti valemus, sine oppugnatione & euersione earum: statim enim quod vir iustus iniustum patrat facinus, vel cum debet iustè agere, non agit, desinit esse iustus, & suam iustitiam euertit. Quare per magnanimitatem tanquam essentialem & propriam causam neq; de gradu fortunæ vir magnanimus deiici potest, neq; etiam turpiter ob eam interire: imò vt Plautus inquit in duob. Captiu. *Qui per virtutem peritat, non interit.*

8 *An Magnanimitas & Modestia differant specie?*

Nequaquam; est enim vtraque hæc virtus in eodem posita subiecto, materia, & officio: modo tamen differunt siue gradu. Sicut ergò διάθεσις & ἕξις apud Logicos vnam tantum constituunt speciem, non duas; & sicut eadem est pulchritudo in corporibus proceris, quæ in breuibus & paruis, licèt pulchritudo in corporibus proceris sit spectabilior quam in paruis: ita magnanimitas & modestia non sunt disparatæ virtutes, sed distinctæ gradu quodam; illa enim respicit magnos honores, ista verò paruos. Arist. idem sentit 2. Eth. c.7. & 4. Ethic. cap.3.
„ vbi dicit: Magnanimus is esse videtur, qui magnis est di-
„ gnus, & dignum sese magnis censet. Qui namq; parua

meretur, & hisce dignum se ipsum censet, modestus quidem, at non magnanimus est.

9 *An Magnanimitas ab aliis virtutibus differat aliter quam à Modestia?*

Satis fiet huic problemati per illum canonem Logicum, *Diuersitas obiectorum infert diuersitatem specierum:* Cum ergò antè dixerimus nominatam virtutem à magnanimitate non differre specie, propterea quod vtriusque esset idem obiectum & materia; differet vtiq; ab illis virtutibus ob peculiare obiectum, quod sibi vendicat; versatur enim circa appetitum honoris proximè, & ipsos honores remotè, quos nulla alia virtus cum magnanimitate communes habet. Neq; impedit quicquã, quod μεγαλοπρέπεια operetur operationibus aliarum virtutum; nam & peculiari sibiq; tantum proprio fungitur officio, & aliam virtutem in summo producit gradu: sicut distinctionem & diuersitatem specificam non euertit sublimitas gradus quam obtinet magnificentia in dispensanda pecunia & faciundis magnis sumptibus; respicit enim eandem materiam liberalitas, verum non pari gradu, nec æquali conditione.

10 *Vtrum magnanimi potius sit contemnere, quam appetere honorem?*

Nonnulli Ethici statuunt esse proprium magnanimitatis obiectum, honorem in excellenti gradu sumptum, honoris tamen appetitum & desiderium licitum esse negant: qui aut dextre intelligendi sunt, cum quadam nempe restrictione; aut sibi ipsi litem intentare videntur. Quid enim, cum nulla virtus sine suo obiecto concipi queat, multò minus esse, potius ne censebimus magnanimitatem non respicere honores vllos, vel eam virtutem esse negabimus? Absurdum vtrumq;. Alterutrũ ergo oppositorum quod veritati proximum est, amplectendum fuerit, nimirum, etsi magnanimus non expectat quosvis honores promiscuè, nec à quibusvis, quod nihilominus propterea non fastidiat omnes, sed veros & magnos honores, à viris magnis & claris sibi delatos, ardenter cupiat. Sentit enim se virtute præditum esse vir magnanimus, cuius præmium non potest non esse ho-

nor. Quô & Senecam respexisse iudico epist. 37. sic dicentem: *Magnanimi est magna contemnere, & mediocria malle quam nimia.* Quod autem idem inquit, *nihil magnum esse in rebus humanis, nisi animum magna despicientem*, id cum grano salis accipiendum est, non quasi magnos nō magnifaciat magnanimus, aut quasi ei omnia sint parua; sed quod vir magnus nihil tam esse magnum iudicet, cui non possit suâ virtute par esse; quia nempè non ex seipso, sed ex virtute omnia æstimat.

II *An magnanimus potest esse vir malus?*

Producet fortassis hoc loco quispiam Neronem, Caligulam, & alios scriptis profanis & sacris celebres tyrannos, qui ad solium honoris euecti, medio quasi prodeuntes inferno, detestabilia multa perpetrabant flagitia, & tamen quidam eorum Regio, quidam etiam potiebantur honore imperatorio. Si ergo honor est præmium virtutis, & si honor proprium est obiectum Magnanimitatis, censendum ne est eos extitisse magnanimos? habebant enim propriam magnanimitatis materiam. Verum ad hanc obiectionem non difficulter responderi potest; primo quidem, si ipsum consideretur tempus, deinde si honoris essentia cognoscatur. Quod ad tempus attinet, sciendum est, diuerso eius articulo diuersè & aliter homines viuere posse, ita vt qui hodie iustè, mansuetè & clementer egit, sequenti luce iniustè agat, & ipso apro truculentior conspiciatur. Euenit ergo nonnunquam, vt antequam aliquis laudabilem viuendi consuetudinem in sceleratam vitam commutet, honorem & laudem tanquam præmium virtutis antea editæ nanciscatur, quam tamen laudem & honorem non diutius virtute possidet. Deinde, si honoris natura & essentia spectetur, illa nequaquam permittit tales condecorari honore, qui iam vitia sua in apricum produxerunt. Est enim honor signum magni alicuius affectus & reuerentiæ erga eum, qui excellenti virtutis gradu ac meritis in Rempub. fulget datum à honorante. Cum ergo illi tyranni fuerint homines sceleratissimi, honor autem tantum propter virtutem deferatur;

feratur; & cum nemo possit esse magnanimus, nisi simul sit vir optimus, quia solus vir optimus est magno honore dignus, liquidò patet, eos nec magnanimos fuisse, nec honoratos; honore videlicet propriè dicto: Officium verò & regnum cui præerant, non tam est signum & testimonium virtutis, quàm instrumentum & causa quædam, quo si benè vsi fuissent, reportassent famam; quia verò abusi sunt, luunt iam perpetuam ignominiam.

12 *An magnanimus debeat recordari iniuriarum?*

Non debet. 1, quia oportet magnanimum esse placidum: Cic. 1. Off. *Nihil laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius, placabilitate atq; clementia.* Et Seneca in lib. 1. de Ira: *Nec quicquam magnum est, nisi quod simul & placidum.* Ille autem qui meditatur vindictam, œstro iræ percellitur, quæ est & virtuti & rationi inimica. Deinde quia virum magnanimum necesse est esse fortem, vindictæ autem appetitus non tam est fortis & excelsi ingenii, quàm debilis & mollis illius temperamenti fœminei: Quòd & Iuuenalis Satyra 13. exprimit inquiens,

———*Vindicta*
Nemo magis gaudet quàm fœmina.——

3. Quia magnanimum ad quæuis præstantia anniti & contendere oportet: ille autem secundum quempiam ex Græcis comicis est præstantissimus, iniurias qui ferre nouit plurimas. 4, Quia magnanimus debet esse prudens, id verò proprium esse munus prudentis, vt ad iniuriarum depulsionem non facilè impellatur, Philosophus docet libro 1. Ethic. quo loci inquit: Prudens nec " in secundis rebus effertur, nec contrahitur in aduersis, " cum se ornamentis suis ita instructum sciat, vt ab his " nulla vi segregetur, hunc talem non solum inferre, sed " nec quidem referre oportet iniuriam. Acutius verò " Seneca libro 2. cap. 5. Iniuria ad sapientem non peruenit: nam si iniuria alicuius mali patientia est, sapiens autem nullius mali non est patiens, nulla ad sapientem iniuria pertinet. 5. Autor iniuriæ seipsum lædit, dum & Deum ad pœnam prouocat,

& conſcientiam ſuam ſauciat, non oportet ergò eum iam à magnanimo lædi, quia iniuſtum eſt duplicem pœnam ob vnam culpam & delictum ſubire. Quod & Solon ille Græcorum ſapiens cognouit, inquiens:

οὐ γὰρ δὴ θνητοῖς ὕβριος ἔργα πέλει.
Ἀλλὰ Ζεὺς πάντων ἐφορᾷ τέλος, ἐξαπίνης δὲ,
Ὥστ' ἄνεμος νεφέλας, αἶψα διεσκέδασεν.

Non enim diu mortalibus iniuria opera permanent,
Sed Iupiter finem inſpicit omnium, atq; repente,
Vt ventus nubes illico diſsicit.

Clarius vero hanc rationem explicat Philoſophus 2. Rhet. c. 5. dum inquit; *Deus iniuria vexatis opitulari creditur.* Cuius rationis exempla plurima quouis ſeculo extiterunt, vt & ex codicibus ſacris apparet, iuſtitiæ parentem acerrimum ſemper fuiſſe omnium iniuriarum vindicem. Meritò itaque ab Ariſtotele iſta proprietas magnanimitati adſcribitur; quam & Æſchines memorabili quodam dicto complexus eſt: *Pulcherrimũ eſt*, ait, *diſciplinæ præceptum, obliuio iniuriarum.*

13 *Cur mens generoſa capiat faciles motus, & cur naturæ magnæ procliuiores ſubinde ad iram?*

Præter reliquos affectus qui animalibus inſunt, homini etiam vt eſt animal, competunt duo, metus nempè ſiue timor, triſtitia ac dolor (has enim voces hoc loco non ſic preſsè vt in Phyſicis ſumimus) & ira. Ac in metu quidem ſanguis ad cor retrahitur, nec ad propria loca recurrit ob ſenſum imminentis mali, quo iudicamus, nos eſſe inferiores: eſtq; timor nihil aliud quam iudiciũ alienæ virtutis noſtram ſuperantis, ſiue, iudicium noſtræ fortitudinis minoris præ aliorum fortitudine, aut ſaltem timor oritur ex tali iudicio. Vnde timor prout & metus, eſt malus affectus dolorem homini & cuiuis alteri animali inferens. Alter verò affectus eſt ira, mixtus ex dolore & voluptate; ac dolore quidem inprimis: nam primò animal obiectum id cui infenſum eſt, ſentit ſibi fore nociuum; vnde ſpiritibus & ſanguine principio à partibus exterioribus verſus cor remeantibus dolere incipit; poſtea, quã primum magnitudinem & poteſtaté obiecti

obiecti melius discreuit, ac vltioni se parem fore intelligit, sanguine per venas & arterias disperso, ac spiritibus vehementius ad partes obiecto lædenti viciniores reductis, irasci incipit, ac tandem etiam id à quo læsum est, vicissim lædere cogitat; ita vt nihil aliud sit ira quam iudicium nostrarum virium supra lædentis vires, vel ex eo suum ortum ducit. Quò fit, vt Reges, Principes, omnesq; potentes, diuites & superbi, procliues sint ad iram, nec minus facile excandescant viri fortes, atque audaces; nunquam enim cæteris se inferiores viribus putant, sed semper superiores arbitrantur. Hincque simul patet, cur non tam facilè neque tam vehementer homines commoueantur aduersus eos, à quibus non ex animi proposito aut certo quodam voluntatis decreto, sed casu aut per imprudentiam offensi sunt; quia nempè voluptatis, quæ est causa impellens ad irascendum, potissima desideratur illecebra; appetitus nimirum læsionis talis, qualis est in offensis ab aliquo de industria; & quia pœnitentia ac commiseratio quam animaduertunt in eo vigere à quo læsi sunt, abducit eos ab vlciscendi studio. Vt enim contumacia & contumelia mouet bilem; ita humilitas ac deprecatio sedat iram. Loquimur autem in toto hoc problemate de natura, non de habitu fortitudinis perfectiori, cuius hoc est proprium, vt homines reddat mansuetos extra pugnam, in pugna acres, prout Arist. præclare docuit libro 3. Eth. c. 7.

14 *Cur pauci verè fortes inueniantur?*

Si tot homines dignitatem & præstantiam fortitudinis intelligerent, quot ceruices suas rebus duris & asperis subtrahentes intra domesticos tantum parietes latitant, ibique, quantum per ocium conceditur, mollibus voluptatibus operam nauant, vtique non ea difficultate ac inopia virorum fortium premerentur Respublicæ, quàm non solum præsenti, sed & alio quouis iugiter patiebantur seculo: ita vt non immerito à quodam prudentissimo viro dictum sit, *Fortitudinem raram esse auem in terris, nigroque simillimam cygno.* Huius itaque defe-

ctus ac inopiæ causam in præsentia quęrere propositum est; quam non obscurè redditum iri puto, si hæc tria circa fortitudinem considerauerimus; causam efficientem, vnde ortum suum ducit; obiectum circa quod versatur; & subiectum, in quo subsistit. Oritur autem fortitudo ex crebris actibus, qui non modò ad fortitudinis habitum, sed cuiusvis alterius virtutis comparandum apprimè vtiles sunt & necessarii. Ii autem actus, quibus acquiritur fortitudo, cum & horroribus & grauibus vndiquaq; periculis sint circumsepti, cumq; agentem non raro in præsentissimum adducant discrimen, fit, vt animæ facultates in adeundis eis impendio tergiuersentur, nec nisi coactæ ob molestiam & difficultatem cognitam, aliquando pareant: vnde cum actus fortitudinis abiiciantur, fit, vt etiam ipse habitus fortitudinis nõ contrahatur. Si vero nonnunquam obedientes rationis imperio pericula aggrediuntur, atq; adeò in vno aut altero bello fortitudinis exercitium viri fortes suscipiant; tamen, quia his superatis, vel quadam alia causa remotis, posthac amplius non datur continuò materia taliũ exercitiorum, euenit, vt ob vnam aut alteram actionem firmo habitu nondum contracto, sed leuicula dispositione arrepta, ad pristinam indolem & rerum iucundarum amorem facilis reditus fiat; tuncque ob magnam animi trepidationem, & ob non continuam, aut saltem rarissimam talium discriminum præsentiam, ægrè nimis & difficulter habitus fortitudinis veræ comparetur. Aliud quoq; impedimentum non minus magnum residet in ipso obiecto, morte videlicet, quæ est omnium terribilium terribilissimum. Quia enim homo est corpus naturale, neque est insensatus; natura verò interitum sui tanquam extremum malum fugit; & quia per mortem multis se bonis spoliatum iri nouit, nec nõ aliarum omnium virtutum moralium exercendarum commoditatem auferendam præcognoscit: ideo non potest fieri, quin semper pleno desiderio ac integra voluntate bellum & alia pericula adeat; per hæc enim facilè mors accersitur. Insuper ipsa constitutio naturalis subiecti sæpè præcludit viam & obstruit fortitudinis aditum.

aditum. Pauci etenim sunt natura comparati ad hanc virtutem capessendam idonei: ideò Poëta inquit;

Fortes creantur fortibus & bonis.

Accedunt & aliæ causæ minus principales; institutio ac educatio puerilis, vbi vel à parentibus, vel à præceptoribus, vel ab ipso peccatur discipulo. Deinde externa fortunæ bona, quæ si largius contingunt viro forti, tenent irretitum amore sui, & à grauibus periculis subeundis dehortantur. Sin verò ob suscepta pericula amittantur, facilè eum ad indignationem incitant; ita vt à talibus nouis periculis, si quà forsan denuò emergant, pressius vir fortis abstineat. Quin & exempla aliorum sępenumero à fortitudinis exercitiis mentem auertunt; vbi nempè non satis dignam mercedem viri fortes pro laboribus suis reportant, aut vbi nullam exantlatorum laborum gratitudinem experiuntur. Prout testatur euentus Miltiadis, Aristidis, Scipionis & aliorum.

15 *An fortitudo possit esse alicui exitio?*

Vulgo duplex esse fortitudo censetur. Alia corporis, quæ nihil aliud est quàm robur; Græcis ἰσχὺς dicta, & hanc fuisse multis pernitiosam experientia docuit. Crotoniates quippe Milo, dum nimium fideret lacertis, arborem tentauit fissam vi aperire atque scindere; sed cum eius robore superaretur, interceptus ipse est, & attritus ita vt exspiraret. Similiter multi alii viribus valentes, pugiles, milites, audaculi, dum freti robore tentarunt fortiora, infeliciter perierunt. Alia verò fortitudo est moralis, apud Græcos peculiari nomine τῆς ἀνδρείας insignita, de qua etiam hoc loco à nobis disputatur. Circa hanc etsi disputantium quoque partes in contrarium scindantur; eorum tamen sententia verissima est, qui statuunt per se non posse esse vlli fortitudinem exitio, sed tantum per accidens, quatenus vel in audaciam degenerat, vel cum ambitione sese coniungit. Audacia enim subtrahit moram & tempus legitimum, quo vir fortis discernere & cognoscere debet quantitatem periculi, simulque opportunitati circumstantiarum attēdere. Ambitio contra oculos nimia luce

velut excœcat, & addit appetitui vehementiores stimulos ad persequenda obiecta difficiliora, & viribus propriis superiora. Itaq; dum is qui fortis habetur hæc repagula prudentiæ, violentia quadam audaciæ & ambitionis impulsus, disrumpere conatur, fit, vt grauissima quoq; mala sibi accersat. Peccata enim circa fortitudinem committuntur non tantum agendo id quod non oportet, aut vt non oportet, sed etiam eo tempore quo non oportet.

16 *An omnia mala vir fortis metuere debeat?*

Etsi fortitudinis obiectum statuatur esse id omne, quod est malum, quodq; metui debet; tamen cum eorũ quæ in malis recensentur non sit vna ratio, neque par conditio; non fuerit ad hanc quæstionem simplici affirmatione, aut negatione respondendum. Addenda idcirco est errorum medela, dextra aliqua limitatio & distinctio. Sunt autem quædam mala & formidabilia ὑπὲρ ἄνθρωπον, maiora quam vt etiam mente imperterritã possint à homine sufferri & contemni, qualia sunt portenta & prodigia extraordinaria, terræ motus, exundationes fluminum, tempestates maris, fulgura & tonitrua, atq; similia: & hæc metuenda sunt, quique ea non metuit, est aut impius & ἄθεος, aut stolidus & rationis inops. Impietatis exemplum extat in Herode, qui persuadere volebat suis militibus, terræ motum nullo modo esse metuendum; stoliditatis vero & insaniæ in Celtis ac Psyllis, quorum illi, vt refert Ælianus libro 12. cap. 23. acie instructa prœlium inierunt contra mare, quod nimia exundatione aduersum eos æstuabat: hi autem quemadmodum scribit Herodotus lib. 4. armata manu contra Austrum profecti sunt, propterea quod ille ventus diutius spiraret, & illis admodum esset molestus. Cuius suæ stultitiæ mox etiam pœnas dederunt, dum contra ventum nitentes arena maris obruti sunt. Alia formidabilia sunt, κατ' ἄνθρωπον, eaque duplicis generis; nonnulla talia quæ omnes pertimescere oportet, & quę pertimescere honestum, contemnere è diuerso turpe est, vt est omne scelus & sceleris pœna, item ignominia,

dedecus noſtrum & noſtrorum; & his inferiorem ſe præbet adhuc fortis, metuit enim quoduis eorum. Nonnulla deinde ἀδιάφορα ſunt mala ſiue media, quæ citra reprehenſionem timeri poſſunt & non timeri. Talia, ni ea culpa ſua accerſat, vir fortis nunquam metuit; nunquam enim vir fortis deſinit eſſe vir bonus & ſapiens: vir autem bonus ſpernit & contemnit inuidiam, inimicitiam, paupertatem, captiuitatem, orbitatem, exilium, morbum, & alia ſimilia mala, quæ non conflauit ſua culpa.

17 *Si vir fortis non formidat, neq; metuit iſta mala, nullo ne ergo doloris ſenſu afficitur?*

Dictum illud Philoſophi quod extat cap. 6. lib. 3. ἄφοβος γάρ τις καὶ ὁ ἀνδρεῖος, *ab omni metu liber eſt & ſolutus vir fortis*, non ἁπλῶς eſt vſurpandum. Explicat enim ſeſe author eodem & ſequenti capite dicens; vir autem fortis imperterritus atque impauidus eſt: ſed vt homo. Proinde formidabilia quoque pertimeſcit, ſed vt oportet & ratio poſtulat. Per fortitudinem enim non exuit vir fortis naturam animalis, cuius proprium eſt ſentire. Sentit itaque tum propter cauſam efficientem ſenſus quam obtinet; quia non eſt truncus, aut lapis; tum propter cauſam finalem, laudem nempe & gloriam; nam is qui dolorem conſtanter perfert, laudatur; & quantò quis maiorem dolorem conſtantius tolerat, tantò maiorem laudem conſequitur. Sentit autem vt homo fortis, non vt δειλός; nam hic opprobrium de ſuo conſequitur ſenſu, ille laudem: ideò vir fortis turbatur à malis, ſed non perturbatur, neque vnquam à præſentis animi conſilio aut ratione diſcedit, idque propter honeſtatem.

18 *Sed ſi vir fortis verſatur circa formidabilia & grauia pericula, intereſtne eius quæuis ſubire diſcrimina?*

Vir fortis non quæuis pericula adit & ſuſcipit, ſed pericula his tribus requiſitis prædita. 1, Vt ſint honeſta: debet enim vir fortis omnia facere τοῦ καλοῦ ἕνεκα, hone-

ſtatis gratia. 2, Vt ex eis laudem poſſit reportare. actio enim quam nulla comitatur laus, aut ſubſequi poteſt, vitium eſt, non virtus. 3, Vt ſint in publicum vtilia. Sic enim Plato: Non ſolum ſcientia quæ eſt remota à iuſtitia, calliditas potius, quam ſapientia eſt appellanda; verum etiam animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non vtilitate communi impellatur, audaciæ potius nomen habet, quàm fortitudinis. Atque hinc iam patet, quam ſint temerarii illi iuuenes, qui ab aliquo laceſſiti, propter priuatas cauſas, eaſque ſæpenumero leuiſſimas, ſtatim ad arma prouolant, quæque vix manibus tractare didicerunt, alterius aut ſuæ ceruici, prout fortuna fauet, imprudentes non ſine magnis tandem doloribus infigunt. Quem pruritum pugnandi etſi inprimis Italorum corpora hiſtorici inuaſiſſe referant, qui poſt Longobardorum in Italiàm aduentum, dum hæc gens iuris & legum imperita, quasvis lites ferro dirimere conſueuerat, morem iſtum vitioſiſſimum à natione barbara traxerunt; longè tamen magis dolendum eſt, pernicioſiſſimam hanc conſuetudinem ad fines vſque noſtros eſſe propagatam: Siquidem nihil iam paſſim in Germania, Polonia & alibi frequentius videris, quàm tales monomachias, vbi ſi vel robore corporis, vel fortuna & caſu aliquo alter altero ſuperior euaſerit, ad maiores ſubinde auſus prætextu & ſpecie fortitudinis intenſius armatur. Verum dum hæc faciunt, non ſatis intelligere videntur naturam fortitudinis, quæ non habet locum ibi, vbi res legibus perfici debet; poteſt autem & nominis boni integra fama defendi, & quarumuis iniuriarum tempeſtas ac violentia depelli, tranquillâ ſtante pace patriæ, & incorrupto legum manente vigore. Itaque non vtendum eſt tum armis, cum vti poſſumus legibus. Neque enim ob priuatam victoriam gloria fortitudinis comparatur, ſed ob publicam, id eſt, talem quam pro patria obtinemus; quomodo genuinam effigiem fortitudinis pulcherrimo carmine pictam Homerus Iliad. 10. nobis ſpectandam proponit, vbi introducit Hectorem milites ſuos his verbis adhortantem;

——Res est pulcherrima mortem
Pro patria oppetere, & saluos præstare penates,
Coniugia, infantes, patriam, dulcesq; parentes
Morte sua, &c.

19 *Vtrum is, qui impauida mente in repentinis & præter spem atque expectationem subortis periculis impauidè versatur, fortior sit eo, qui præmeditatus ad pugnam accedit, vel qui terrores & pericula præuidit?*

Fortitudo consideratur vel quoad suam οὐσίαν, & sic magis cernitur in præuisis periculis vitæ quam in subitaneis, vtpote cum in prioribus magis à prudentia regatur, & rectæ rationis expeditiori consilio vtatur: vel spectatur cum certa quadam conditione, quoad nempè ὕπαρξιν suam, & sic vrgente necessitate dimicandi in subitis clarius & luculentius conspicitur; idque propter causas, quibus tunc fortitudo incitatur & roboratur, nempè ob metum depulsum; neque enim ibi timendum est, vbi audere oportet; nam talem culpam non cunctanter sequeretur grauis pœna. Deinde ob periculum susceptum, in quo aut vincendum, aut succumbendum. Vltimo propter honorem, qui tantò maior est, quantò fuit victoria in non præuiso periculo difficilior. Aristoteles idem nobiscum sentit lib. 4. Eth. c. 8. Itaque, inquit, fortitudinis laudem id magis habet, quod est in repentinis terroribus sese imperterritum minimeque perturbatum præbere, quàm in præuisis. Et addit causam duplicem: vel, quia hæc animi constantia magis ab habitu proficiscitur; vel quia etiam minus præparationis habet: nam quæ multò ante prospecta sunt, in iis quilibet animi cognitione ac ratione consilium cœperit. At in repentinis ea præstare, id est habitus.

20 *An deceat fraus & dolus virum fortem, atque adeò an conueniat forti hostem fallere?*

Virum fortem decet fallere hostem per stratagemata, non per dolum malum aut perfidiam. Sicut autem

fraus est malum quid, & non decet virum bonum; qui enim fraudulenter agit, iniustè agit; ita vir fortis alienus est à fraude, quia alienus est ab iniustitia. Interim hostis immanitati licebit opponere viro forti stratagemata, quæ à quibusdam dicuntur *dolus bonus*. Iubet enim natura vt nos defendamus. Amor patriæ exigit à nobis, vt hostis abigendi & omnium iniuriarum propulsandarum diligens cura suscipiatur. Deniq; ipsæ leges belli potestatem integram relinquũt struendi tales insidias hosti, quæ nullam ignominiæ maculam nobis inurunt. Fraudes verò & insidiæ eiusmodi, per quas vel fides hosti semel data violatur, vel dedecus famæ bonæ accersitur, penitus viro forti fugiendæ sunt. Quod etiam fecisse legimus Caium Fabricium, ad quem cum Pyrrhi Regis medicus clam in castra veniret, & in tollendo è viuis per venenum Rege Pyrrho operam suam ei offerret, Fabricius vinctum eum ad Pyrrhum misit, & de hominis infidelitate admonuit. Vnde egregium posthac virtutis testimonium ab hoste reportauit, quod sol videlicet citius sit mutaturus cursum suum, quam Fabricius mutaturus cursum honestatis. Ideò & Cicero ait 1. Off. *Neminem qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis & malitia esse laudem adeptum: nihil enim honestum est quod iustitia vacat.*

21 *Cum fortitudo consistat in duobus, fiducia nempe & metu, æquéne in vtroque, an in alterutro magis consistit?*

Mouet hoc problema Aristoteles lib. 9. cap. 9. cuius sententiam amplectimur, statuentes in metu magis cerni, & occupatam esse fortitudinem circa hunc potius, quam circa fiduciam: idque propterea, quod quæuis virtus circa id pressius versatur, à quo magis perficitur, fortitudo autem magis perficitur à formidabilibus; quia obiectum eius sunt τὰ φοβερά. At metus eadem respicit, prout Philosophus citat. libro 3. capite 6. definiens metum inquit, quod sit *προσδοκία τοῦ κακοῦ, expectatio imminentis mali.* Fiducia contra obiectum bonum, suaue & gratum spectat: confidere enim

enim eſt hominis bona ſpe freti, beneq; ſperantis. Cum ergo fortis verſetur circa difficilia, difficilius autem ſit res moleſtas toleranter pati, quam à iucundis abſtinere, circa metum magis verſabitur fortitudo, quam circa fiduciam; illius enim obiectum eſt difficile & ingratum, huius mollius ac ſuaue. Adde quod metus acuat fortitudinem & curam idoneorum mediorum ad actionem fortitudinis ritè obeundam excitet: fiducia contra ſoluit eam & laxat. Ideo ratione finis quoque metus magis pertinebit ad fortitudinem quam fiducia.

22 *An in omni mortis genere fortitudo elucent?*

Negatiuam partem tuetur Ariſtoteles loco ſupra citato; nec in omni, inquit, mortis genere vir fortis cernitur: vt ſi quis in mari naufragio pereat, vel in morbis conficiatur. Fortitudo enim non tantum reſpicit obiectum, ſed etiam exigit certum finem & circumſtantias loci & temporis: itaque etiamſi ipſum obiectum ſit omnium horribilium horribiliſſimum, ni tamen vel finis honeſtus adſit, vel ſi publica deſideretur vtilitas, aut ſi aliquod ex illis tribus requiſitis abſit, quæ 18. problemate recenſuimus, is qui cum obiecto fortitudinis luctam ſuſcipiet, nomen viri fortis non conſequetur. Honeſti enim cauſa fortis vir & ſuffert & agit omnia quæ fortitudini conſentanea ſunt. Temerè autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam & belluarum ſimile eſt: ſed cum tempus neceſſitasque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſufferenda.

23 *An Audacia ſimul poſſit conſiſtere cum Fortitudine?*

Vulgus audaciam inter virtutes numerat; ſed ſentit vt vulgus; audacia enim virtus eſſe non poteſt, cum repugnet prudentiæ: vt inquit Comicus Græcus:

ἐςὶ τὸ τολμᾶν, ὦ φίλ᾽, ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Audacia aliena ſapiente eſt à viro.

Si itaque non ſpectat ad virum prudentem, non pertinebit etiam ad virum fortem; hic enim eſt ſapiens & prudens, ſicut contra audax eſt & inſipiens & imprudens; inſtar enim furentis beſtiæ ſine vllo diſcrimine & rectæ

rationis consilio in quæuis pericula præceps oculis, vt vulgò dicitur clausis, ruit. Quod autem Homerus inquit;

Omnibus in rebus potior vir fortis & audax,
Sit licet hospes, & è longinquis venerit oris.

Sciendum est, Poëtam aut in lata significatione vsurpare ibi vocabulum *audacis*, quod nonnunquam denotat vehementiorem ac incitatiorem motum animi, qualis solet esse in viris fortibus, atque ita vocem *audacis*, esse tanquam synonymon quoddam additum dictioni *Fortis*; aut etiam iuxta opinionem communem loqui, eò quod similitudinem magnam habeat audacia cum Fortitudine, sicut etiam Philosophus dicit; quod quibuscunque in rebus potest, audax fortem imitatur. At dicat aliquis, si audacia est vitium, cur ergo canit Poeta?

Audentes Fortuna iuuat.

Et Claudius ad Prob. scribit:

Fors iuuat audentes; prisci sententia vatis.

Respondeo, id raro fieri, & apprimè dubiè euenire, propterea quod eiusmodi effectus qui subsequuntur audaciam, non sunt eius proprii & essentiales, sed tantum accidentarii, & non nisi beneficio solius fortunæ producti. Quia enim fortuna, quæ occasioni consimilis & familiaris, crinita in fronte, calua in occipitio, dum se offert audacibus, audacter ab eis arripitur, à modestis contra propter modestiam eorum frequentius negligitur; hinc accidit, quod audaces opportunitatem nacti in agendo prosperum suæ actionis consequantur euentum: Occasio enim, prout Menander loquitur, multos viros non existentes facit.

EPIMETRA META-PHYSICA.

1 *An veritas rectè dicatur simplex, falsitas multiplex?*

Veritas respectu vnius non potest esse varia & multiplex, sed oportet eam esse simplicem, vnicam & indiuisam; idque propterea, quia Entitas siue Essentia omniũ Entium

Entium vnica est; Ens autem & verum conuertuntur: ita vt quicquid sit Ens, sit etiam verum, & è contra, quicquid sit verum, sit Ens. Hinc ergo fit, quod veritas nunquam cum veritate pugnat, neque verum à vero vnquam discrepat; quia nempe simplex & vnica est. Quod videtur etiam cognouisse Euripides cum inquit: *Veritatis oratio simplex est, mendacium autē varium & multiplex.* Vbi non tantum intelligēdus est sermo perspicuus, clarus, & ab ambiguitate immunis, qui veritati cōuenit; sed imprimis id accommodandum esse naturæ veritatis puto, quæ perinde est vnica & simplex, vt est vnica & simplex cuiusque rei essentia. Sicut igitur in vna re non possunt esse multæ essentiæ, ita in vna re non possunt esse multæ veritates. De qua simplicitate veritatis ex Thoma Aquinate prçclarè sentit & disputat Franciscus Suarez Disp. 9. sect. 3. contex. 13. itemque clarissimus Philosophus *Clemens Timplerus* lib. 2. suæ Metaph. c. 8. Q. 16.

2 *Cur veritas sit inuicta & perpetua?*

Vocis huius ambiguitates multæ sunt; duarum tamē mentio ad solutionem præsentis problematis sufficiet. Nam veritas aliquādo sumitur Ethicè, moraliter, & sic significat virtutē, quâ imbutus aliquis studet vt omnia sua dicta, omnesque gestus concordent cum mente & corde, atque adeo ne aliud quid promat lingua & gestu, quàm mente & corde habeat recōditum; quæ virtus etiam veracitas, sinceritas, & animi candor dicitur, opponiturque mēdacio, simulationi & hypocrisi: & talis veritas non semper est firma & constans, sed aliquādo vim passa ad variationem inclinat, idque non per se aut per suam naturam; hæc enim æqualiter eundem vbique tenorem, & quouis tempore constanter seruat; verum ratione subiecti: is enim qui semel aliquid veri dixit, illud idem potest alio tempore in dubium vocare. Quod etiam accōmodari potest veritati cognitionis: nā multi, prout exempla testantur, cognitam & amplexam aliquam veram sententiam, vel philosophicam, vel theologicā, cū a Sophistis, siue alterius generis hominibus, opposita fuerunt dogmatis contrarii argumenta, aut si ipsi quædam in mente sua fabricarunt, quæ soluere non poterant, subinde commutantes in falsam, prætextu

quodam alterius veritatis reliquerunt. Deinde veritas capitur Metaphysicè, pro affectione Entis, & sic est perpetua & inuicta; quia veritas talis nõ pendet ab opinione & iudicio hominum, sed per naturam rebus est implantata. Itaque tam est impossibile mutari eam aut seiungi ab Ente, vt est impossibile Ens fieri non Ens.

3 *Vnde falsitas rerum pendeat, & an sit aliqua efficiens causa falsi?*

Prout veritas rerum pendet ab intellectu primo, cui in quantum sunt conformes & congruæ, omnes res veræ dicuntur; sic falsitas earum oritur ex recessu à mente Diuina, & ex aberratione ab eo conceptu ac imagine, quam Deus in mente sua cõstanter retinet. Itaque hinc videri potest, Deum nequaquam esse falsitatis rerum authorem quia perpetuò eundem habet archetypum cuiusque rei; sed ipsasmet res, dum ab illo exemplari diuortium faciunt, sibi suæque naturæ corruptionem & deprauationem attrahere. Liquet quoque ex eo, causam efficientem proprie dictam nullã esse mali aut falsi; causa enim efficiens arguit potentiam agendi nõ imbecillitatem causandi. Sicut itaque impossibile est non ens fieri ab ente quatenus est Ens, atque adeo non Ens habere pro causa Ens vt est perfectionis particeps; Sic enim sibi simile Ens perfectum produceret, non autem non Ens: ita impossibile est falsum produci à vero: Si autem non producitur à vero, neque ab Ente: Si non ab Ente, neque à causa efficiente; Ens enim & causa efficiens mutuò sese ponunt, quia omnis actio, multò magis affectio quæ est actionis perfectio, prçsupponit agentẽ, id autẽ quod agit necesse est esse; quod .n. non est, agere non põt. Si itaq; Ens necesse est habere causã efficientẽ, aut ipsum Ens esse causam efficientẽ, aut ipsam causam efficientem esse Ens; necesse est quoque falsum, quod non est Ens; non habere Ens pro causa: & si non est eius causa Ens vt Ens, non erit etiã causa efficiens, quia Ens & efficiens inuicem cõsequi oportet. Et est sanè omnibus manifestum, cum qui in agendo deficit, non efficere id, quod aut debebat, aut efficiendum susceperat. Ita si quis certandi gratia intra duo stadia currat, nec metam

tam præfixam attingat, sed in medio cursum abrumpat, non dicitur is perfecisse cursum, aut susceptum continuasse motum, sed in motu defecisse. Quocirca neque falsum potest dici habere causam efficientẽ, sed aut deficientem, aut planè nõ Ens, prout etiam ipsum falsum non est effectus sed defectus. Nec difficulter respondebitur ad id si quis obiiciat: malum seu falsum non semper fuit, oportuit ergo illud esse vel à se, vel ab alio; Si ab alio, necesse est illud habere causam efficientem propriè dictam, quæ est principium à quo effectus dependet: nam falsum & non Ens conuertuntur; vt ergo nemo rectè dixerit non Ens, quatenus est nõ Ens, aliquando cœpisse esse, ita quoque rectè dici non potest, falsum aliquãdo cœpisse esse, & idcirco esse vel à se vel ab alio. Si quis porrò dicat mendacii authorem certum esse & falsi, respõsio itidem prompta est, non idem esse falsum & mendacium, sicut non idem veritas & veriloquium.

EPIMETRA OPTICA.

I *An Optica sit pars Geometriæ?*

Dedimus hactenus Geometrica aliquot Problemata & Mechanica; iam ad Optica veniamus; inter quæ primum hoc sit, *an Optica Geometriæ pars possit vocari.* Quod quidem simpliciter negamus; Etsi enim omnis pars subordinetur toti suo, tamen non statim quicquid alteri subordinatur, est pars eius cui subordinatur: Etiam filia matri subordinatur, & tamen pars matris non est. Subordinatur ergo, siue vt Philosophi loquuntur, subalternatur Optica Geometriæ, non vt pars, sed vt inferius suo superiori, vt relatum suo absoluto. Geometria considerat lineam & omnem quantitatem cõtinuam absolutè sine vlla qualitate accedente; sed Opticus sumit à Geometra Lineam & Figuram, eamque contemplatur non absolutè, sed vestitam & decoratam certâ qualitate, nempè tum luce, tum colore. Sic nempe & Arithmeticus considerat numerum absolutè; sed Musicus eundem numerum considerat in sono & cantu.

2 *An locus radiaturæ sit & corpus perspicuum & solidum: & an maior fiat radiorum collectio in loco solido quam diaphano?*

Radiaturam in vtroque corpore simplicem fieri concedimus; maiori verò gradu & intensiorem spargi per corpus solidum quam diaphanum negamus.

3 *Cum autem lineæ radiosæ non sint vnius generis, sed quædam earum perpendiculariter, quædam verò obliquè procurrant, danturne in forma cuiusque rei, atque adeò pyramide illuminationis, tot lineæ rectæ, quot obliquæ: siue an axis tantum solius pyramidis Opticæ sit perpendicularis, num verò plures?*

Plures quàm vnum in Pyramide Optica rectos radios incidentiæ non posse inueniri, hinc patet, quia in quauis re visa vnicum datur centrum, respectu nempe vnius superficiei secundum quam formatur idolum; quia autem est vnicum centrum, vnicus etiam erit axis pyramidis; axis enim nihil aliud est quam linea, quæ à centro superficiei visibilis obiecti spargitur ad centrum oculi. Sicut ergò eò quod sint plura puncta in obiecto visiuo, datur etiam plura puncta in visu lineas obliquas terminantia: ita quia vnicũ tantum punctũ exactè mediũ est in visibili, vnicum etiam ei oportebit respondere axem rectè tã in medio, quàm in instrumento visus extensum.

4 *Cur verò axem oportet esse perpendicularem?*

Quia si esset declinans super superficiem visus, quando formæ peruenirent ad illam superficiem, discriminarentur ordine, & mutarentur ipsarum dispositiones propter declinationẽ axis. Vt ergo forma rei visę integra & non refracta perueniret in superficiem crystallini, ordinataq; reciperetur intra oculum secundum ordinem partium superficie rei visæ, & vt forma puncti quod est apud extremitatem axis in superficie rei visæ, perueniret ad punctum, quod est super axem in superficie Crystallini, oportebat axem solum, mediam nempè lineam esse rectam. Habet enim præ reliquis lineis axis iste prærogatiuam hanc, quod solus perpendicularis & rectus

sine

ne vlla refractione transeat per Crystallini punctum à centro corneæ per ipsam superficiem corneæ superpositam illi puncto; reliquas verò refringi necesse sit, & sic vim quasi prius intra oculum passas, tandem in superficie crystallini vnitas perpendicularique associatas rectificari & extendi. Quod etiam demonstrat celeberrimus Opticus Arabs Alhäzenius lib 2. suæ Opt. c. 1. concl. 7. & ex eo Vitel. li. 3. Theor. 24. Schemate ibid. proposito.

5 *Vtrum distincta visio fiat per rectam lineam à visibili ad superficiem visus sparsam: &, vtrum singula visibilis puncta eundem obtineant situm in superficie visus, quem in visibili?*

De eo non ambigitur, quod quicquid videtur, videatur per radium, lineam coloratã & pellucidam. Verum hæc cum non sit vna, sed alia & alia; quædam enim perpendicularis, quædam verò ad obliquitatem declinans, id in dubium magis vocari potest, quod in quæstione proposuimus. Est autem verior affirmatiua sententia, cuius rationes tales reddi possunt: Quia lineæ declinantes eatenus inseruiunt visui, quatenus reducuntur ad radium incidentiæ rectum, cum quo coniunctæ efficiunt pyramidem irradiationis. Deinde, quia, prout ex aliis problematibus apparebit, radii obliqui, vtpote multi, turbant visionem, hic autem vnus & simplex iuuat eam & perficit. Denique, quia hic solus recta protractus penetrat cẽtrum oculi, ideò hic quoque solus inter lineas obliquas præcipuum est videndi adminiculum. Quibus rationibus posset & alia addi ex Alhäzenii Opt. lib 1. Vbi dicit *operationem lucis venientis super perpendiculares, esse fortiorem operatione lucis venientis super lineas inclinatas.* Quod autem ad puncta visibilis attinet, oportet singula eundem obtinere situm in superficie visus quem in visibili; quia visibile sub eadem forma sub qua est, videri debet: non videretur autem ita vt est, si forma rei visibilis aliter ordinaretur in oculi superficie, quam est ordinata in superficie rei visæ. Ideo etiam Vitellio lib. 2. suæ Opticæ tradit eximium Theorema: *nullam refractionem transmutare situm partium formæ redactæ, sed solum augere vel minuere figuram.*

6 *Si visio per axem pyramidis Opticæ distinctior est quam per aliam lineam, eritne etiam certior per hanc quam per aliam, & per aliam tantò certior, quantò huic propior?*

Omninò, vt patet ex hac hypothesi. Visionem simplicem omnium esse accuratissimam, quia in ea omnes sunt radii recti; visionem verò angulatam incertam, quia hìc sunt radii refracti, variati & aucti. Consectarium ergo hinc est, eum radium qui accedit magis ad visionem simplicem, siue eum radium qui efficit visionem simplicem, certiorem efficere visionem eo radio qui efficit compositam. Talis autem est axis pyramidis, qui solus, vt problemate quarto diximus, cum omnes reliquæ lineæ radiales obliquentur super superficiem vitrei humoris, & omnes formæ ac omnia puncta quæ sunt in ea reflectantur, transit rectus per diaphanitatem tunicarum oculi, eiusque punctus extēditur secundum rectitudinem axis, quousque perueniat ad locum gyrationis concaui nerui. Apparet igitur distinctam & certam visionem fieri secundum perpendiculares lineas à punctis rei visæ ad oculi superficiē productas; indistinctam verò visionem fieri per lineas non perpendiculares, & ita visionem indistinctam coadiuuare distinctam. Simul qnoque hinc liquet, per viciniores huic axi lineas certiorem fieri visionem, quam per remotas & procul distantes.

7 *An omne visum totum simul æqualiter videatur?*

Negat Euclides in præfat. & 1. The. Opt. & cum eo Vitellio lib. 3. concl. 48. vbi hanc rationē reddit: Quoniam, inquit, siue aliquod visum existat in axe communi, siue extra illum, semper punctum eius cui incidunt axes visuales, certius videtur quam puncta quibus incidunt radii remoti; ideò patet, quod nullum visum totum simul æqualiter videtur. Sed & alia ratio, quam ponit TH. 49. vbi demonstrat, Impossibile esse plura simul æqualiter videri posse, huc transferri debet: Totum enim dicitur respectu suarum partium quarum est totū; cum ergo hæ variæ sint & diuersæ; nam & aliæ aliis maiores, aliæ minores, aliæ plus coloris in se recipientes, aliæ

minus,

minus, fit hinc, vt non possint omnes æqualiter oculos videntis subire; quanto enim aliquid obscurius est, & quantò exilius ac tenuius, tanto ægrius ac debilius visu apprehenditur; & quia partes non videntur æqualiter, neque totum simul æqualiter videri potest.

8 *Cum variæ formæ variorum obiectorum vno & eodem tempore visu percipiantur, & cum ex quouis visibili non vna forma spargatur, sed infinitæ procurrant, qui fit cur non plures cuiuslibet rei visibilis formas apprehendamus, sed vnam tantum?*

Noluit natura prouida mater, corpora sensus capacia, præcipuè verò hominem, qui ex visu, tanquam nobilissimo sensu, nobilissimam voluptatem percipere debebat, tam crassæ hallucinationi & tetro errori esse obnoxium, vt dum vna res videnda foret, subinde plures oculis vsurparet, atque ita pro vna multas simul easdem videret. Ideò vt id malum promptius auerteret, instruxit sensorium visus tali neruo, qui formas duas infixas duobus mediis duarum superficierum vtriusque visus, antequam ad se perueniant, vniret, easque superponeret sibi & ex duabus efficeret vnam. Quæ tamē ratio præter id, quod Physica & Medica sit, quodq; nos hoc in loco parũ attingat, nōdum etiā totam difficultatem sufficienter tollere videtur: nam, cur vnus & idem oculus, qui varios colores & figuras rerum simul apprehēdit, vnius rei vnicum tantum admittit idolum (est autem id in confesso apud Opticos, in duobus oculis duas tantum formari pyramides, vnius & eiusdē obiecti) cum tamen vnius obiecti multæ spargãtur imagines & plurimę formentur pyramides: cur ergo ad suscipiendas plurium obiectorum plures imagines aptus est vnus & idem oculus, idem vero ad vnius obiecti multas intromittendas imagines planè ineptus? Ad solutionem huius quæstionis nihil mihi facere videtur superior responsio; alia igitur ex abditis ipsius Opticæ petenda fuerit; fieri videlicet id propter ipsam pyramidem, quæ in vno medio formata eaque vna, plures iam in eodem loco formari

non permittens; occupauit enim sola spacium, sola etiam & vnica ad oppositum visum defertur. Hinc ergo quia diuersorum obiectorum formæ per diuersa media ferũtur, diuersæ quoque & multæ pyramides intra oculum recipiuntur; & quia vnius oculi distantia tanta est ab alterius situ, vt in diuerso loco radiaturæ pingi possit pyramis optica, fit quoque, vt oculus aliam admittat Pyramidem dexter, aliam sinister; alium enim hic occupat situm & positionem, alium ille.

9 *Quî fit quòd obiectum visiuum percipiatur melius vno oculo clauso, quam apertis duobus?*

Distantia quidem rerum melius percipitur vtroque oculo aperto; quam alterutro clauso; sed ipsæ res præsertim minutæ & longius dissitæ, clarius & distinctius cernuntur alterutro vel clauso, vel saltem contracto; idque propterea, quia inter vidẽdum, dum vtrumque oculum aperimus, copiosa & nimis magna infusio linearum impedit visum, ne ipsum axem apprehendat: vbi autem alter oculus clauditur, alter verò stringitur & coarctatur, ibi reliquis radiis obliquis, qui impediunt distinctum visum exclusis, facilius apprehenditur oculo radius rectus incidentiæ. Quod quidem τὸ ὅτι quantumuis sagittarii & sclopetarii ignari huius disciplinæ Mathematicæ norint, ipsum tamen τὸ διότι ignorant.

10 *Qua causa est, quod cum curru aut naui vehimur, littora nobis, aut montes moueri videantur?*

Omnis forma rei visibilis quæcunque per pyramidem videtur, sic ordinatur, vt eius conus sit in humore Crystallino, qui est centrum oculi; basis verò in obiecto visibili: ideò cum celeriter aliquis curru aut naui vehitur, fastigiũ pyramidis in oculis mouetur, cuius vertice cõmoto, quia is cum ipsa basi cohæret, basis quoque nobis obuerti videtur, & cum ea simul ista res, in qua hæret basis.

F I N I S.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Diſputatio XXV.

Quæ eſt Ethica quinta,

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS AD ALIVM RELATIS,

PVBLICE HABITA IN GYMNASIO DANTISCANO,
10. *Iunii.*

Reſpondente

ADAMO RVBACO Cuſlinenſi Pomerano.

Magnificum, Nobilem & Strenuum Virum

GERHARDVM BRANDESIVM,

Burggrafium Regium & Procoſ. in ampliſſima Rep. Dantiſcana,

Dominum ſuum ſubmiſsè honorandum, præſenti Diſputatione honorat

ADAMVS RVBACVS
Reſpondens.

THESES DE VIRTVTIBVS, QVÆ AD ALIOS POTISSIMVM REFERVNTVR, NEMPE DE IVSTItia particulari, *Liberalitate*, *Magnificentia*, *Comitate*, & *Vrbanitate*.

1 A Virtutibus, quæ nos ipsos magis concernebant, transimus ad eas, quæ alios potissimum spectant.

2 Virtus alium spectans gubernat vel voluntatem tribuendi aliquid alteri; vel affectum & gestum cum alio conuersandi.

3 Ea, quæ gubernat voluntatem tribuendi aliquid, iterum est vel debiti, vel gratuiti; quarum illa dicitur *Iustitia particularis*; ista vocatur *Officiositas* & *Liberalitas*.

4 Iustitia particularis est virtus tribuens alteri ex debito, quod suum est in certo & particulari obiecto.

5 Estq; vel Distributiua, vel Commutatiua.

6 Distributiua Iustitia est, quæ seruat æqualitatem siue proportionem Geometricam in tribuendo eo quod quisque meretur.

7 Et hæc quidem vel latius sumitur; vel strictius.

8 Latius sumpta iterum est vel erga superiores; vel erga pares; Et erga superiores quidem vel statu & dignitate, vel beneficiis, quarum illa *Obseruantia*, hæc *Gratitudo* dicitur.

9 Obseruantia est Iustitia distributiua, quâ

debitam reuerentiam præstamus iis, quos Deus, Natura & Lex à nobis coli vult.

10 Eius partes siue actus sunt sex: Primò, Subiectio, cum agnoscimus nos alicui personæ iure subiectos esse. 2, amor eius personæ. 3, timor. 4, honor, quem internè & externè tribuimus. 5, obedientia & obsequium. 6, præstatio debitorum officiorum.

11 Opponitur Obseruantiæ in defectu Irreuerentia, item simulata reuerẽtia & ὀφθαλμοδουλία; in excessu nimius & illicitus cultus.

12 Gratitudo est Iustitia distributiua, per quam beneficia ab aliis accepta beneficiis vel eiusdem generis, vel diuersi, id est, vel factis, vel animi & verborum honore compensamus.

13 Gratitudinis ergò actus siue partes sunt 4.

1, agnitio beneficii accepti.

2, memoria beneficii.

3, contestatiō ingenua beneficii accepti.

4, compensatio ipso facto, si ea sit in nostris viribus.

14 Opponitur Gratitudini in defectu Ingratitudo; in excessu vitium rarius & innominatum, quo illis nos offerimus gratos, à quibus nihil beneficii accepimus.

15 Erga pares Iustitia distributiua nomine caret, & est virtus, per quam de hominibus honestis honestè & moderatè sentimus, eorumque existimationi nec verbis, nec factis detrahimus.

16 Opponitur in defectu Calumnia, in excessu nimia laus & prædicatio aliorum.

17 Sic de Iustitia distributiua latius acceptâ: Strictius accepta est, per quam ex officio certo distribui-

distribuimus vel præmia, vel pœnas pro ratione meriti & personarum.

18 Opponitur Iniustitia distributiua, quâ vel nimiũ, vel nimis parum merentibus tribuimus.

19 Sequitur commutatiua Iustitia, per quam in obligationibus & contractibus ac commutationibus fidem & æqualitatem rerum seruamus, & suum cuique tribuimus.

20 Medium siue instrumentum & mensura huius Iustitiæ est vel naturale, nempe Indigentia & vsus diuersarum rerum in diuersis terris & populis; vel artificiale, nempè Nummus siue pecunia.

21 Opponitur ei Iniustitia Commutatiua, quâ vel iniquè res commutandæ æstimantur, vel res commutandæ corrumpuntur, malæ pro bonis commutantur, aut iniquis ponderibus & mensuris traduntur; vel in soluendis rerum pretiis fraus fit; & minus pro re commutanda soluitur quam debebat.

22 Fuit de Iustitia: sequitur virtus tribuens indebitũ, quæ est vel Officiositas, vel Liberalitas.

23 Officiositas est virtus, per quam aliorum commodis libenter & pro viribus nostris seruimus; iisque nostra consilia promptè & fideliter communicamus, atque alia officiorum genera præstamus: Cui opponitur in excessu nimia circa alios satagentia; in defectu inofficiositas.

24 Liberalitas est virtus, per quam aliis communicamus etiam sumptus, aut alia quæ sumptibus correspondent.

25 Eaque consideratur vel in genere, vel in specie.

26 Liberalitas in genere iterum vel in gradu mediocri ſpectatur, vel in excellenti.

27 Liberalitas in gradu mediocri eſt, quam exercemus etiam in mediocribus poſſeſſionibus & opibus conſtituti.

28 Ei opponitur in exceſſu prodigalitas opū mediocrium: in defectu Auaritia ſiue ſordes.

29 Liberalitas in gradu excellēti dicitur *Magnificentia*, quæ exercetur circa amplos ſumptus & magnas diuitias.

30 Opponitur Magnificentiæ in exceſſu ἀπειροκαλία & βαναυσία, Luxus ſiue inepta & inutilis magnorū ſumptuum in res non neceſſarias profuſio, quæ fit oſtentationis cauſa. In defectu μικροπρέπεια, auaritia & ſordes in magnis opibus.

31 Liberalitas in ſpecie, eſt tum Eleemoſyna, tum Hoſpitalitas.

32 Eleemoſyna eſt Liberalitas erga pauperes & egenos.

33 Hoſpitalitas eſt vel erga peregrinos & aduenas.

34 Vidimus virtutem in tribuendo: reſtat virtus ὁμιλητικὴ in conuerſando cum aliis, quæ eſt tum Comitas tum Vrbanitas.

35 Comitas eſt virtus ὁμιλητικὴ ſocialis, per quā cum aliis ſeriò quidem, ſed placidè & ſine offenſione verſamur ac viuimus; dicitur & *Humanitas, Affabilitas, Popularitas, Facilitas.*

36 Eius actus & partes ſunt:

1 Aliis ad nos facilem aditum præbere, & venientes ſuauiter excipere, & alios etiam officiosè inuiſere.

2 Communicare & colloqui ac conferre

cum

cum aliis, ita vt grati iis ſimus, nec temerè aut iuſtè quenquam offendamus.

3 Diſceſſuros à nobis conuenienti tempore & modo dimittamus.

37 Opponitur Comitati in exceſſu ἀρέσκεια, blandiendi & placendi ſtudium, quo præter modum & decus honeſtatis in omnibus dictis & factis perplacere ſtudemus iis cum quibus conuerſamur. In defectu autem opponitur δυσκολία, moroſitas, quâ nemini, ne in honeſtis quidem rebus placere cupimus; ſed omnium aliorum dicta & facta faſtidimus.

38 Vrbanitas, εὐτραπελία, eſt virtus ὁμιλητική, ſocialis, per quam conuerſatio iocis & facetiis ſuauiter conditur.

39 Eius partes ſiue actus duo ſunt; nempe primò ſales & iocos aptos & argutos poſſe mouere: pòſt ſales & iocos poſſe, vt decet, ferre.

40 Opponitur Vrbanitati in exceſſu βωμολοχία, quâ in iocando & modus & decorum negligitur, nec ducitur ratio vel honeſtatis vel circũſtantiæ loci, temporis & perſonarum. In defectu ἀγροικία, ſiue ἀγριότης ruſticitas, cum nec ipſi aptè iocari, nec aliorum ſales & iocos æquo animo ferre poſſumus.

PROBLEMATA.

1 *Vtrum præter iustitiam vniuersalem sit aliqua particularis, quæ diuersa sit & distincta ab vniuersali?*

MAgnas Philosophorum principi Aristoteli debemus gratias, quod vt aliâs sæpe, ita quoq; præsenti in materia ingeniis discentium tam sapienter consultum iuerit, & ab aliis confusè dicta eruditis distinctionibus ad normas artium accommodârit. Euoluens enim accuratius prolixam & intricatam Platonis de iustitia 1. & 2. de Repub. disputationem, distinctione opus esse vidit, quâ modi loquendi apud Platonem discernerentur, & confusio, quæ tum intellectum, tum memoriam turbat, euitaretur. Quocirca reliquit nobis accommodatissimam & ex ipsis naturæ fontibus deriuatam Iustitiæ distinctionem in *vniuersalem* & *particularē.* Nec desunt rationes, quibus ea distinctio firmiter stabilitur. Nam præterquam quod obiectis, fine & effectis à se inuicem differant, etiam ex opposito, nempe iniustitia particulari idipsum manifestè ostendi potest, quippe cum non omnes, qui legis alicuius aut virtutis moralis terminos egrediuntur, statim sint particulariter iniusti habendi; exempli causa, Homo ebriosus peccat contra leges Sobrietatis & Temperantiæ: sic item homo timidus contra leges fortitudinis; hi & similes etiamsi sint vniuersaliter iniusti, quatenus nempè legibus eam obedientiam, quæ debetur, non præstant; tamen non ita statim determinatè & directè peccant contra iustitiam particularem distributiuam vel commutatiuam.

2 *An ius simplicis talionis, quod* Pythagoricum *vocant, per omnia sit probandum?*

Tuemur negatiuam. Quia enim inæquales sunt personarum in hac vita conditiones, inæquales etiam pœnæ se-

niæ secundũ proportionẽ Geometricam decernendę fuerint; exempli gratia, si homo quidam plebeius gladio percussisset principem vel consulem, vtique non seruabitur ius repassionis simplex, ita vt iste plebeius iterum percutiatur, sicut ipse principem percussit, sed pro dignitate personæ pœnas luere debet, non pro modo actionis seu delicti. Præterea diuersitas ac dissimilitudo actionum eidem iuri reclamare videtur. Si enim, verbi gratia, errore quodam siue ex imprudentia alterum quempiam verberassem, non statim iuxta naturam Talionis pari modo ab imprudente essem verberandus; quia quod per imprudentiam factum est, id per imprudentiam retaliari nequit. Vnde etiam in iure ciuili hoc ius à Prætoribus mutatum videmus, vt videre est *lib.4. Instit. tit.4. §. Pœna autem.* Sin vero de talione Analogica siue proportionali, in qua & personæ & res distribuendæ ac permutandę ad certam æqualitatem secundum proportionem reducuntur, loquaris, vtique concedendum omnino, ius Talionis esse & ipsum naturæ ius & ipsam æquitatem: sublata enim bonorum retributione & malorum vindicta, existeret in ciuili societate omniũ rerum confusio, & fœda seruitus ac tyrannis.

3 *An iustitia iudicialis etiam admittat* προσωποληψίαν; *& si non admittat, sitne iustitia distributiua contraria?*

Memorabilis est sententia Ciceronis 3. Offic. Cum iudici est dicenda sententia, inquit, meminerit, se Deum habere testem, id est, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus diuinius. Et Phocylidis:

Πᾶσι δίκαια νέμειν, μηδὲ κρίσιν ἐς χάριν ἕλκειν.

Omnib. iusta distribue, neq; iudicium ad gratiam trahas.

Et D. Paulus ad Roman. 2. προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ οὐκ ἔστι. Vnde Lucianus de Areopagitis refert, eos propterea noctu & in tenebris iudicare fuisse consuetos, ne ad dicentes respicere possent, sed ad ea, quæ dicerentur. Hinc etiam factum existimamus, quod in bene constitutis Rebuspubl. ab eminentiori Magistratu

acerrimæ in eiuſmodi iudices pœnæ fuerint decretæ, qui in diiudicandis controuerſiis forenſibus poſthabita cauſæ bonitate, legitimiq; iuris tenore oculos ſuos ad alicuius perſonæ dignitatem aut cognationem, eiuſve preces vel pretium, fauorem, odium coniectant. Idcirco Ariſt. 5. Eth. c. 4. iudicem nominauit δίκαιον ἔμψυχον, id eſt, *ius animatum*, ſiue *iuſtitiam animatam*, quemadmodum & Cic. 2. De leg. Quæ cum veriſſima ſint, quid quæſo iniquius ac peruerſius fieri poteſt, quam à iudice in alicuius fauorem iuſtitiam corrumpi. id enim eſt, ea autoritate, quæ in cuſtodiam iuſtitiæ diuinitus ordinata eſt, in eius exitium & internecionem abuti. Perinde hoc foret, ac ſi ipſa ſe iuſtitia propriis manibus dilaniaret, aut certe ſi ratio ipſa contra ſeipſam ageret. At, dicat aliquis; Cum in iuſtitia diſtributiua valeat proportio Geometrica, quâ reſpiciuntur non tantum res, ſed & perſonæ: Ergo reſpectus perſonarum non pugnabit cum iuſtitia iudiciali? Reſponſionem ſuppeditat definitio Proſopolepſiæ, quod videlicet ſit reſpectus perſonarum, quo reſpiciuntur eæ qualitates perſonæ, quæ nihil ad propoſitam rem, de qua in iudicio acriter controuertitur, pertinent; exempli gratia, quando lis eſt de hæreditate, de emptione & venditione, de homicidio, non debet tunc fieri reſpectus perſonæ, ita vt vel abſoluatur dignior, vel ei aliquid iniqui adiudicetur.

4. *Quænam proportio ſeruanda in iuſtitia commutatiua, vt poſſit fieri iuſta permutatio?*

Iam animo luſtranda venit altera iuſtitiæ particularis ſpecies, iuſtitia nempe commutatiua; ſpecies, inquã, in ſocietate ciuili vſq; adeo neceſſaria, vt vita hominum nullo eâ carere modo poſſit. Quia enim Deus & Natura non omnia vno in loco naſci voluêre, ſed euidentes ob cauſas hac in regione illud, in altera itidem aliud prouenire, vt ita vnius regionis homines egerent rebus aut fructibus in altera regione productis; idcirco requirebatur remedium aliquod, cuius beneficio res in aliis regionibus felicius productæ in exteras nationes defectu earundem laborantes exportari poſſent. id quod com-

commerciorum permutatione olim fiebat, quibus cõmerciis ceu baſis & regula ſubſternitur iuſtitia commutatiua, quæ permutationem mercium æquiſſimâ lance ita ponderabat, ne altera pars permutantium poſſet de nimio lucro gloriari, altera verò de nimio damno conqueri. Hinc ergo, vt quæſtionem attingamus, ad euitandam rerum commutandarum inæqualitatem Ariſt. 5.Eth.c.3.docet, in iuſtitia commutatiua ſtrictè ſeruandam eſſe proportionem Arithmeticam. Proportio autem Arithmetica, definientibus Mathematicis, illa dicitur, quando inter 4.vel plures numeros inſtituitur comparatio, in qua eſt identitas ſiue æqualitas interuallorum; ſiue, vt magis perſpicuè loquar, *idem numerus paribus interuallis à ſe inuicem diſtans*; exempli gratia, 1.2.3.4. dicuntur habere proportionem Arithmeticam, quia vnus numerus ab alio æqualiter diſtat, nempe vnitate. Inſtituatur ergo iam applicatio huius proportionis ad iuſtitiam commutatiuam. Sicut in Arithmetica proportione non quæritur collatio rationum, ſed tantum ſpectatur æqualitas differentiæ in interuallis numerorum ordine ſeſe ſequentium: ſic etiam in Iuſtitia commutatiua ſumma quæritur æqualitas. Ratio autem hæc eſt; quia in permutationibus rerum, atq; adeo in emptione & venditione nuda & ſimplex ſpectanda eſt æqualitas ſine vllo perſonarum reſpectu, ita vt non opus ſit conſiderare, vtrum ille quo cum permutas aut contrahis, ſit nobilis vel ruſticus, magiſtratus vel ſubditus, doctus vel indoctus, &c. ſed ſimpliciter pretium & æqualitatem rei permutandæ attendas. Quæ æqualitatis compenſatio niſi obtineret, & pretium mercibus adæquaretur, vtiq; alterutra pars permutantium ad ſummam deuolueretur egeſtatem; alterutra autem cum alius detrimento ad maximas perueniret pecunias; quod eſt contra receptam Iuris regulam; *Nemo debet locupletari cum alterius damno & iniuria*, l. iure naturæ 126.ff.de R.I. Et viget in Iuſtitia commutatiua perpetuo illud Iuriſconſultorum: *Do vt des, Facio vt facias*, ſicut habetur *l. naturâ. ff. de præſcript. verborum.*

5 *In diſtributione iniqua vter iniuſtius agit; an is, qui plus diſtribuit, an vero is, qui plus accipit?*

Si rem absolutè & in se consideres, certum est, vtrumque iniustitiæ laborare vitio, & eum, qui iniquè distribuit, vt & alium, qui iniquè accipit. Si vero rem comparatè accipias, id est, si iniustè distribuentem cum iniuste accipiente conferas, vtique meritò Aristotelis sententię subscribimus, qui lib.5.Eth.cap.10.docet, eum potius iniustius agere, qui iniquè distribuit, quam qui iniquè accipit. Cui sententiæ rationes nullo modo contemnendæ suffragantur. Nam 1. iniquæ distributionis initium ac principium magis proficiscitur à distribuente; quam accipiẽte, cui aliunde accedit aliquid, quod est iniustum, nempe ab ipso distribuente. 2, magis libera est voluntas distribuentis, quam accipientis; hic enim accipit, non quantum ipse vult, sed quãtum à distribuente datur. Denique in distribuentis potestate est dare, atque idcirco causa est, cur alter accipiat. Vnde concluditur, eum qui plus dat, plus peccare, quam illum, qui iniquè accipit. Quæ tamen sententia Aristotelis eatenus obtinet, quatenus is, qui distribuit, nullâ vi ac violentiâ externâ mouetur ad iniquè distribuẽdum; & præterea, quatenus non per ignorantiam aut imprudentiam quis iniquè erogat. Si enim coactus & errore quodam ductus iniustè distribuat, vtiq; simpliciter iniustus dici haud poterit, sicut & Arist. citato loco non diffitetur.

6 *An pretia rerum commutandarum siue annona arbitrio ac æstimationi mercatorum sit permittenda?*

Tanti valet res, quanti vendi potest, dicitur *l. pretia. ff. ad legem Falcidiam.* Quo iuris dicto multi abutuntur ad iniqua pretia rebus statuenda; ii præsertim, qui monopolia instituunt. Sed toto cœlo errant. Neque enim tam vastum sensum habet hæc regula, quantum quidẽ verba sonant. Quocirca negatiuam Problematis cum Aristotele, aliisque Ethicis ac Iureconsultis amplexi, nequaquam arbitrium mercatoris ceu medium & mensuram iustitiæ commutatiuæ dignoscimus; idque propterea 1. quia cum, teste Aristotele 1. Polit. cap. 9. iustitia commutatiua naturæ vestigia persequatur, necesse quoq;

quoque erit, vt illud ipsum, per quod rerum pretia in permutationibus æstimantur, sit quiddam ex natura dependens. 2, medium seu instrumentum & mensura (hæc enim omnia æquipollent) cuiuslibet rei debet esse determinata, nec multitudine ac quantitate infinita, vt sapientissimè citato loco Philosophus asserit: æstimatio autem mercatoris in diuitiis congerendis occupati & multitudine & quantitate est infinita, dum nempe nullo habito respectu tantum petit ac recipit pretium pro sua re, quantum ab emente saltem extorquere potest.

7 *Quis igitur legitimus pretiorum in commutandis rebus taxator?*

Eum suppeditat Aristoteles talem, qui & naturæ amicus & quantitate non infinitus est, 5. Eth. cap. 5. & quidem duplicem, primarium & secundarium. Primarium dicit esse τὴν χρείαν, indigentiam ac vsum rerum, qui vsus rerum cum interdum carior sit, & magis necessarius, interdum verò laxior & minus necessarius, ideo etiam pretia rerum pro indigentiæ & necessitatis exigentia vel augenda, vel minuenda erunt. Nec rationi hoc est contrarium. Etenim si nemo alterius mercibus indigeret, omnis rerum humanarum conquiesceret commutatio. Vnde facili negotio est videre, rerum pretia indigentiæ admetienda esse, quatenus nempe in vsus veniunt humanos, non vero quatenus per naturam tales vel tales sunt. Secundaria autem commutationis mensura est annona publica, mercatorum iniquitate non corrupta; vbi ex multis ducenda est ratio: modo enim attendenda est necessitas rei, modo copia & inopia; item negotiationis labor, cura, industria, preterea venditorũ emptorumq; frequentia, & eiusmodi alia, quæ mercator cautus respectare debet.

8 *An Indigentia sit vinculum humanæ societatis?*

Memorabilis est sententia Aristotelis dicto loco, vbi inquit: ἡ χρεία συνέχει πάντα. *Indigentia omnia in se continet & quasi vinculo copulat.* Quibus verbis Philosophus nihil aliud voluit significare, quam indigentiam esse vinculum, quo societas inter homines connectitur

& conseruatur. Et sanè rem ita se habere non tantum rationes, sed etiam quotidiana experientia euincit. Si enim nulla fuisset in genere humano indigentia, sanè homines nunquam contractuum vinculo se inuicem obstrinxissent. Vnde & Platoni in Lyside, vbi de Amicitia pertractat, prope calcem Dialogi *Indigentia mater amoris* vocatur, ex quo amore deinceps amicitia ortum ducit, quæ necessario indigentiam aliquam efflagitat, sicut hac de re fusius disputat Fr. Picolomineus grad. 7. Philos. moralis, c. 5. Verum experientia tam manifestè Problema nostrum confirmat, vt rationibus multis idipsum probare otiosum planè sit. Dentur enim, verbi gratia, duæ regiones longis itinerum interuallis à se inuicem disiunctæ, quarum altera vini inopia laborat & frumento abundat, altera vero frumenti inops, vini autem diues est. Harum duarum regionum mercatores possunt inter se commercia exercere, ita vt secundum analogiam Arithmeticam vinum pro frumento, & cōtra frumentum pro vino permutent. Et hac ratione, inquit Aristoteles, non tantum commercia exercent; verum etiam simul societatem constituunt, quam fortassis nō sanxissent, nisi Indigentia stimulum admouisset.

9 *Vtrum quis licitè possit rem ab alio minoris emere, quam valeat?*

Si strictam Iustitiæ commutatiuæ regulam sequi velimus, vtique nemo rem alienam minoris emere debet, quam valet. Et si fortè venditor artis suæ imperitus ex ignorantia vel alio quodam errore rem suam minoris æstimet, quam debebat, tum vtiq; Iustitia commutatiua dictitat, plus ei esse dandum, nempe tantum, quanti res vendita æstimari ex iustitia potest. Qua in re valde excelluisse Q. Mutium Scæuolam testis est Rutilius in eius vita; qui cum fundum aliquando empturus pretium sibi legitimum indicare iussisset; & postquam venditor indicasset, apertè & ingenuè dixit, se pluris fundum æstimare, addiditq; præterea centena millia. Quod si vero plenarius venditoris consensus accesserit, ita vt ex libera voluntate aliquid velit de iure suo remittere, tunc vtique

vtiq; iustè rem viliori pretio salua Iustitia commutatiua coëmere possum.

10 *Vtrum quis iustè possit rem suam pluris vendere, quam in se valeat?*

Eminet inter naturæ Leges ea quam Saluator noster suâ voce singulariter sanctificauit: *Quacunque vultis, vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Ex quibus verbis consectarium hoc elicitur, quod cum nemo sibi velit rem iusto carius vendi, nemo etiam debeat carius vendere alteri. Et esset sanè eiusmodi venditio summa cum fraude ac dolo coniuncta, quem tamen dolum vt ab omni contractuum specie, ita quoque ab emptionis & venditionis celebratione leges simpliciter remotum volunt. Vnde etiam D. Paulus 1. Thessal. cap. 4. monet, *ne quis fratrem suum in negotio fraude circumueniat*; quoniam, inquit, *vindex est Dominus de his omnibus.* Et egregia imprimis est sententia Ciceronis de Offic. *Tollendum est*, inquit, *in rebus contrahendis omne mendacium*; non licitatorem venditor, neque qui contra se licitetur, emptor apponet. Etenim vbi adest fraus, ibi voluntarium abest, ac subinde Iustitia fit charitati aduersa. Accedit, quod per eiusmodi contractum, cum nempè res pluris venditur, quam in se valet, anteuertantur Iustitiæ commutatiuæ leges; vtpote cuius opus & κατόρθωμα siue excellens effectus est, æqualitatem & analogiam mercium contrahendarum ita seruare, ne alterutra pars permutantium ab alia nimis iniustè grauetur, atque adeo alter cum alterius detrimento vel ditescat, vel ad extremam redigatur inopiam. Potest tamen nihilosecius venditio secundum accidens legitima æstimari, quatenus nempe res vendenda in vtilitatem ementis cedit; exempli gratia, si fundus meus per se non nisi decem valeret, mihi tamen, quia domus seu ædificium aliquod ibi extrui oportunè poterit, valet duodecim, vtique possum licitè salua Iustitia commutatiua hoc ipsum ex te pretium tum petere, tum etiam iustè recipere: quia quilibet totum vendere potest, quod ad se pertinet & suum est. In hoc autem casu non tantum res, sed & rei emolumentum vendenti accrescit, non emen-

ti; quod si enim vtilitas rei ementis pretio accresceret, tum liceret, e.g. Pharmacopolis tanti pharmaca sua vẽdere, quanti valet salus in infirmo, quod dictu absurdum est.

11 *An pecunia sint verum & adæquatum Liberalitatis obiectum?*

Venit iam animo dispicienda Liberalitas, quæ, definiente Aristotele 4. Ethic. cap. 1. est *virtus mediocritatem seruans in dandis accipiendisque pecuniis.* Vnde videre non est difficile, verum & adæquatum Liberalitatis obiectum esse τὰ χρήματα, diuitias, pecuniam. Quo nomine hîc non tantum intelligimus monetam principis aut regis alicuius sigillo signatam, quâ in contractu emptionis & venditionis legitime perficiendo vtimur; sed generaliter includimus omnes alias facultates, quas verè possidemus, & quarum pretium nummo ac pecuniaria æstimatione definiri potest; quales sunt agri, domus, prædia, metalla, &c. Quam latissimam vocabuli acceptionem etiam Iurisconsulti admittunt, vt videre est *l. Pecunia* 128 *ff. de V.S.* Esse autem pecunias ita latè acceptas adæquatum Liberalitatis obiectum, non operæ pretium videtur multis rationibus probare. Quia enim hic vnicus Liberalitati scopus est propositus, hæc vnica cura, vt nobis verum in ciuili hac societate pecuniarum vsum ostendat, & vero cuiusq; rei rectus ac legitimus vsus à propria eius virtute dependet, vtique circa nullam aliam rem, quam circa pecunias gubernandas occupabitur Liberalitas: sicut enim animum in delitiis Temperantia; ita manum in diuitiis regit Liberalitas. Præterea nullo alio nomine laudatur liberalis, quam hoc, quod nempe pecunias honestè acquisitas moderari, inque bonum ac salutarem vsum tam sibi quam aliis conuertere sciat; sicut è contrario auari & prodigi, quod hæc præstare vel nolint vel ignorent, vituperantur. Neque enim facile audies liberalem, quatenus liberalis est, ab aliis commendari ob res præclare gestas, ob actionem iustitiæ, ob appetitum honoris vel alterius cuiusdam virtutis habitum; sed tantum propter legitimum pecuniarum tam dando quam accipiendo vsum;

vſum; ita vt non incongruè Ariſtot. liberalem definiat ὃς ἄριστα χρῆται τῷ πλούτῳ, id eſt, eum, qui rectè diuitiis vtitur.

12 *An illi liberales, qui aliis beneficia præſtant, vt vel maiora beneficia reportent, vel aliorum beneuolentiam ſibi concilient in aliqua re?*

Nullo modo: quia non agunt τοῦ καλοῦ ἕνεκα, id eſt, honeſtatis gratia, ſed propter alium aliquem finem verę liberalitati contrarium, vtpote lucri & quæſtus cauſa; dant enim munera, vt capiant munera, atque hoc modo ex liberalitate faciunt quandam mercaturam, in qua beneficia beneficiis venduntur & emuntur: de quibus admodum eleganter Plutarchus: *Parum*, inquit, *liberalis eſt, qui expectat viciſſitudinem.* Sola ea liberalitas eſt, quæ nullam expectat officiorum compenſationem, ſed duntaxat virtutis (nempe honeſtatis) dignitatem. Idem cogitandum de iis, qui hoc fine beneficia aliis præſtant, vt fauorem & gratiam eorum ſibi parent; quales ſunt illi, qui iudices, aduocatos & alios coram iudicio cauſam agentes muneribus & pretio labefactant, vt ita eos meritis arctius ſibi aſtringant, deuinctioreſque reddant. His merito annumeramus eos, qui liberalitatem exercent, vt petituri honores in Republ. aliis præferri & citius ad altiſſimum dignitatis gradum euehi poſſint; quo fine liberalitatem exercuiſſe legitur Tiberius Gracchus, de quo hiſtoriæ referunt, quod cum populum Romanum propter celeriter ſubortam annonæ caritatem frumenti inopia laboraturum præſentiſceret, frumentum aliunde copioſè aduectum gratis inter populum diſtribuerit, vt eo commodius populi ſuffragia in ſuas partes pertraheret, atque ita adminiſtrationem Reipub. eo facilius nanciſceretur. Concludimus igitur merito cum Ariſtotele, eos qui propter alium aliquem finem liberalitatem exercent, quam ſplendorem honeſtatis, nequaquam liberales eſſe nominandos.

13 *An liberalis omnibus promiſcuè teneatur dare?*

Liberalitate nihil eſt naturæ accommodatius, ſed multas habet cautiones, inquit Cic. 1. Offic. Nam liberalitatem rectè honeſteq; exerciturus modum eiuſdem colendæ non ignorare debet, qui modus ob varias circumſtantias varias etiam ſortitur cautelas & obſeruationes, quas eruditè ſummaque cum diligentia collegit Philoſophus lib. 4. Eth. c. 1. ex quibus vna eſt quam Problema proponit: Non dandum eſſe τοῖς τυχοῦσι quibuſuis, ſed iis tantum, quibus dare oportet, id eſt, quos dignos beneficiis iudicamus: ſi enim quis indignis daret, is vtique videretur gemmas porcis obiicere. At quæritur, ſi quis malitioſus atque adeo beneficio indignus, extremè tamen egens, opem noſtram ardentius imploret, ſitne ipſi aliquid ex liberalitate erogandum? Reſpõdemus erogandum eſſe ex liberalitate ſpeciatim ſic dicta, quæ circa Eleemoſynas verſatur; vbi egeſtas ſupplet dignitatem accipientis; ita vt etiam in indignos hæc liberalitas exerceri poſſit; hoc tamen diſcrimine, vt pauperes digni præferantur indignioribus, ſi nempè vtriſq; opitulari non valeamus. Id quod diximus, Ariſtoteles ſuo ipſius nos exemplo edocere voluit, à quo eleemoſynam cum peteret homo improbus, ſed extremè egenus, non recuſauit: quo nomine cũ reprehenderetur, reſpondit, non homini ſe dare, ſed humanitati ſiue naturæ humanæ, quam iſte mendicus ſecum haberet communem.

14 *An ſemper, qui multa elargitur, liberalior ſit eo, qui pauciora, atq; adeò an pauper poſſit eſſe liberalis?*

Etſi vulgò ille liberalior habeatur, qui ob bonorum abundantiam plurimum elargitus eſt; nihil tamen obſtat, quo minus & is liberalis vocetur, qui propter diuitiarum inopiam pauciora dat; imo interdum eſt liberalior eo, qui plura offert; cũ erogationis vis non ex quantitate & multitudine eorum, quæ donantur, ſed ex animo donantis ęſtimanda ſit, ſecundum illud χαρίτων ὁ θυμὸς ἄριστος. Vnde Cic. in Off. *In conferendo beneficio*, inquit, *plus animus, quam ſenſus operatur, magis præponderat beneuolentia, quam poſſibilitas reddendi muneris.* Et poteſt

fieri

fieri, vt is qui pauca largitus est, dederit ἡδέως καὶ ἀλύπως, id est, hilariter & cum quadam animi iucunditate; alter vero contra grauatim & cum molestia atque ostentatione. Quod Saluatoris nostri iudicio & testimonio probare possumus, cui maximopere prædicatur paupercula illa vidua, quæ tantum duos obulos in gazophylacium immiserat, quam omnes reliqui Pharisæi & Scribæ, qui amplissima iniecerant munera. Nimirum Pharisæi & Scribæ ex abundantia & ostentatione, egena autem vidua ex penuria & laudata animi propensione dederat. Hinc Aristoteles sapienter admodum monet, in collatione beneficiorum respiciendas inprimis esse facultates; quas si obtineas locupletiores auctioresq;, plenis etiam manibus necessitate vrgente dabis; sin vero tenuiores, vtique remissiori etiam manu tibi dandum fuerit, & cauendum, ne aliis per tuam beneficentiam sit relaxatio, tibi verò angustia. Vnde iam altera quæstio non difficulter soluitur, *An pauper possit esse liberalis.* Fatemur quidem vltro, quod Liberalitatis maiestas & splendor clarius in iis, qui fortunæ bonis affluunt, enitescat, quam quibus est res angusta domi: interim tamen cum & pauperes suam in hac vita sudore & labore paratam habeant possessionem, licèt amplis & Crœsi diuitiis non stipatam, vtique etiam de eo, quod Deus concessit, aliis elargiri possunt. Neque enim Liberalitas requirit μεγάλα χρήματα, vt Magnificentia, sed etiam locum habet in mediocribus & exiguis facultatibus, quas pauperibus denegare absurdum est. Accedit insuper, quod liberalitas atque adeo beneficia pauperum plerunque lætiori fronte, magisque pio animo exhibeantur, quam diuitum, qui tibi poterunt, si lubet, summa ista beneficia magnifice prædicata non tantum priuatim, sed etiam publicè coram omnib. exprobrare; quo genere hominum nihil est odiosius, nihilque molestius; ita vt optimè dixerit Fabius quidam Verrucosus, referente Seneca lib. 2. de Benef. *Beneficium ab homine ambitioso & tergiuersante profectum esse instar panis lapidosi, quem esurienti quidem acceptare necessarium est, sed cōcedere acerbum ac molestum.* Denique non raro etiam fit, vt pauper aliquis Irus munusculo suo leuidensi plus e-

molumenti afferat, quam diues aliquis Crœſus copioſo argento & auro, quo non ita ad ſalutem vti frui poſſis: quo nomine Plutarchus commendat Artaxerxem Perſarum regem, quod nempe aquam à ruſtico quodam opportunè oblatam, æquiſſimo animo acceperit, inquiens: Non eſt minus regium atque adeò liberale paruula accipere, quam largiri magna. Egregiè Seneca Epiſtola 83. Sæpe, inquit, diuitiæ cateruatim in domum infuſæ hoc non potuère, quod opportunè dati mille denarii. Multum enim intereſt, an donaueris, an verò ſuccurreris; an ſeruauerit illum tua liberalitas; an inſtruxerit. Sæpe quod datur exiguum eſt, quod ſequitur ex eo magnum eſt.

15 *An liberalis beneficia aliis exhibenda procraſtinare debeat?*

Omnium ſuffragiis negatiua defenditur. *Bis dat, qui cito dat*, inquit Plautus; cui ſuauiſſimè accinit Poëta Græcus Lucianus:

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι, ἢ δὲ βραδυνὴ
πᾶσα χάρις κενέη μήδε λέγοιτο χάρις. Auſonius ita vertit epigr. 93.

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt gratia; namq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Et Ariſtoteles loco ſæpius citato: *Tempeſtiuè* inquit *eſſe dandum abſque procraſtinatione.* Quales ſententiæ quã plurimæ apud authores hinc inde ſparſæ colligi poſſunt. Neque rationes reclamant: Nam tardiora beneficia inter manus dantis diu hærentia accipienti parum vel etiam nihil vtilitatis afferre poſſunt, cum non oportuno tempore ſint exhibita. Præterea liberalitas atq; adeò beneficia de die in diem protracta accipienti minus ſunt grata. Mora enim nimia ingratum reddit, & parum amabile, quicquid etiam dederis. Atque idcirco non ita grato & læto animo accipit, neque etiam accepta magnopere ſtudet recompenſare. Accedit tertiò, quod videaris inuitus ac quodammodo contra voluntatem dediſſe, remq; datam ęgrè dimiſiſſe, tanquam tibi eriperetur. Quæ præcipua eſt cauſa cur *preminummus*, vt ſic loquar, (Druckpfenning) liberalis haberi nequeat.

queat. Denique idipſum planè eſt contra naturam & proprietatem Liberalitatis, quæ quicquid largitur, & promtè, & vltro, & properanter largitur, ſicut præclarè hac de re Seneca lib.3. de Benef. Omnis, inquit, benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis cito facere: Si de die in diem trahens profuit, non ex animo fecit; itaq; duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicæ voluntatis.

16 *Vtrũ vitiũ, Prodigalitas, an Auaritia, deterius?*

Facta diligentiori, vt par eſt, collatione, apparebit manifeſtè, Prodigalitatem minus vitium eſſe, quam Auaritiam, quæ eſt omnium vitiorum radix ac mater. Prodigalitas enim eiuſmodi genus vitii eſt, quod progreſſu temporis poſſit emendari, inque viam virtutis facilius reduci; ſi nempe quis crebras admonitiones accommodatè inſtituat, & aliquãto exactius deformitatem vitii ob oculos ponat, ſicuti exempla in hiſtoriis nõ pauca occurrunt, quæ teſtantur, ex prodigis tandem effectos eſſe homines frugi. Sed imprimis curari poteſt Prodigalitas inopiâ & neceſſitate. Quinetiam per ſe tandem obſoleſcit & deſinit, accedente nimirum ætate prouectiori, quæ ob ἀδυναμίαν, ſeu virium imbecillitatem magis ad Auaritiam, quam Prodigalitatem vergit. De auaritia autem planè contraria res eſt; hęc enim difficulter admodum ſanari poteſt, cum ſit pectoribus hominum per naturæ corruptionem quodammodo implantata; naturalia autem difficulter mutantur, ſecundum illud: *Naturam expellas furcã, tamen vſque recurret.* Et Cic. 4. Tuſc. *Illi morbo*, inquit, *qui permanat in venas, & inhæret in viſceribus, nec inueteratus euelli poteſt, Auaritia nomen eſt.* Et quia Auaritia eſt vitium ſenectutis, ſenectus autem non facile poteſt flecti, fit, vt auaritia pectoribus humanis non ita facilè eripi poſſit. Vnde Diogenes ſolitus fuit dicere; *Senem velle docere & monere, vt aliter agat, quam conſueuit agere, idem eſſe, ac ſi quis mortuo velit medicinam præbere.* Creſcit nimirum vitium hoc cum ætate hominis, etiam tum, quando intemperantia & alia eiuſmodi vitia decreſcũt, vſque adeo, vt duret vſque ad mortem ipſam: Vnde pulchre Seneca; *Auarus niſi cum moritur, nil rectè facit.*

Et Hieronymus: *Cum cætera vitia senescente homine senescant, sola auaritia iuuenescit.* Accedit insuper, quod prodigalitas respectu auaritiæ longè maiorem habeat cum virtute agnationem & similitudinem, cum liberalem & benignum in dando imitetur, & magis promptus sit in largiendo, quàm accipiendo; cum contra Auaritia nihil omnino commercii cum virtute habeat, nec in dando, nec in accipiendo. Denique etiam non raro fit, vt prodigus largitionibus suis alicui vtilitatem afferat, si non honestam, saltem iucundam; cum auarus contra, dum semper ab aliis accipit, nemini sit vtilis, ne quidem sibiipsi, atque adeò sit similis cani custodienti cumulum fœni, quo nec ipse vescitur, nec alios vti sinit. Autoritatis vnicum producimus locum, nempe Pauli 1. Timoth. 6. vbi Apostolus turpitudinem vitii huius viuis suis coloribus depicturus inquit; ἡ φιλαργυρία ἐστιν ῥίζα πάντων τῶν κακῶν: *Studium pecuniæ*, seu *Auaritia, est radix omnium malorum.*

17 *An Magnificentia sit distincta virtus à liberalitate?*

Non abs re dubitatur; vtraque enim virtus circa idem obiectum siue materiam occupatur, nempe circa τὰ χρήματα, id est, opes & pecunias, ex quibus proinde sumptus generari possunt. Præterea quoque omnis Magnificentia tum rectè exercetur, cum liberalitatis vsum non destruit, adeo, vt nullus ferè sit magnificus, nisi qui idem sit liberalis. Verum Aristoteles 4. Ethic. cap. 2. tribus modis distinguit Magnificentiam à liberalitate; 1, quantitate, seu obiecti inæqualitate. Nam liberalitas versatur circa mediocres expensas: Magnificentia autem in magnis faciendis sumptibus occupatur, quod ipsa nominis notatio arguit. Vnde & Græci hanc virtutem denominarunt; dicitur enim μεγαλοπρέπεια, ἀπὸ τοῦ μεγέθους, à magnitudine; quia magnifici officium est scire & nosse, quomodo magni sumptus sint faciendi. 2, differunt actione seu officio: Propria enim liberalitatis actio est dare; Magnificentiæ autem magnos sumptus facere. 3, Consecutione: Omnis enim magnificus est liberalis, sed nō cōtra, omnis liberalis

liberalis magnificus. Nam cum eos liberaliter sumptus suppeditat, quos & quemadmodũ decet, tum in iis magnifici splendor elucet, ita vt Magnificentia sit magnitudo quædam liberalitatis in magnis & præclaris sumptibus faciendis.

18 *An omnes illi magnifici dicendi, qui magnos sumptus faciunt?*

Ita videtur innuere origo vocis: à magnis enim sumptibus faciendis nomen obtinuit Magnificentia. Sed res spectanda est, verba non pendenda, inquit Cicero De Orat. Quocirca Aristoteles 4. Eth. c.2. longè aliter rem determinat, & Magnificentiæ naturam atque officia certis quibusdam notis accuratissime circumscribit, quibus notis nisi quis apprimè sit nobilitatus, vtique titulum Magnificentiæ sibi nunquam iustè poterit vindicare. Et sanè si omnes isti Magnificentiæ titulo dignandi essent, iam sanè infinitum magnificorum catalogum in mundo haberemus, cum tamen vera Magnificentia, perinde vt Magnanimitas, teste experientia, sit rarissima in terris auis, & quam paucissimis per natutam suam competant, sicut ex sequenti Problemate clarius patebit.

19 *An igitur promiscuè omnibus personis & hominibus competit Magnificentia?*

Minimè; Nam qui Magnificentiam exercere vult, illum oportet amplioribus opibus & facultatibus esse instructum, quæ cum non omnibus æquè abundanter suppetant, idcirco quoque non omnes Magnificentiæ splendore inclarescere possunt. Præterea etsi diuitiis honestè acquisitis quis abundet, & interim non genere, virtute & dignitate alios antecellat; vtique non potest sumptibus siue operibus, quæ facere conatur, decus & splendorem conciliare. Hinc Aristoteles citato loco inquit, eos tantum reuera esse magnificos, qui præter diuitias singulari quadam & velut heroicâ autoritate pollent, vt possint ex sua persona operi ad perfectionem deducto honorem & decus afferre, ceu sunt

Reges, Principes, Comites, Barones, Magnates, &c. qui eiusmodi sumptus & splendide sustinere, & cum autoritate impendere possunt. Et sane si quis priuatus seu plebeius opibus suis magnificētiam aliquam ostentaret, omnium ludibrio exponeretur, sicuti Martialis festiue deridet quendam tonsorem nomine Lycinum, qui volebat sibi marmoreum variisque imaginibus illustratum sepulchrum extruere. Nimirum magnificus facit magnos sumptus, non in res absurdas, ineptas & leuitatem quandam sapientes; sed in res honestas & tales, quibus insignem euidentemque possit Reip. adferre vtilitatem. Vnde non immerito ab Historicis reprehenditur Tiberius, quod cuidam potatori, qui cæteros potando superârat, totamque vini amphoram propinauerat, dimidiam imperii partem obtulerit.

20 *An Magnificentia sit virtus heroica?*

Dubitandi occasio non leuis exoritur: Quia enim Magnificentia dicitur esse Liberalitas cum gradu eminentiæ, videbitur vtique, nihil esse aliud, quam virtus Heroica. Sed responsio nō est difficilis: Concesso enim, Magnificentiam esse quandam eminentem liberalitatem, eminentia tamen ista plures adhuc potest recipere gradus: quemadmodum enim in qualitatibus Physicis, e. g. calore, frigore, siccitate, humiditate, datur non tantum secundus gradus, sed etiam tertius, etiam quartus; prout Medici accuratissimè definiuerunt, herbas quasdam esse primo, quasdam secundo, quasdam tertio gradu, calidas; ita etiam in virtutibus moralibus se res habet. Quocirca etsi fortassis Magnificentia gradu vno atque altero liberalitatem excedat, adeo vt comparata cum liberalitate possit heroicæ virtutis speciem atque imaginem induere: tamen absolutè loquēdo nondum virtus heroica cēseri debet, propterea quia est virtus moralis, quæ & prædita & destituta heroico splendore inueniri potest. Exemplo res illustrata fiet clarior. Sicut tepor comparatus cum summo frigore est calor; collatus vero cum summo feruore est frigus; ita & magnificentia collata cum communi liberalitate virtus heroica dici potest. Interim autem si vlterior comparatio

paratio & eleuatio graduum fiat, erit communis aliqua magnificentia, quæ cum excellentiori gradu comparata, planè non sit heroica, atque adeo vltra quam magnificentia verè heroica dari possit: quomodo acutè quæstionem determinat Fr. Piccolh. gr. 6. Philos. mor. cap. 5. his verbis: Non enim, inquit, omnis magnificentia heroica est, sed ea tantum, quæ vel maximè fulget, vel ad finem eminentiorem eleuat. Facta tamen comparatione inter magnificentiam & liberalitatem, similitudine tantum & proportione dicere valemus, magnificentiam esse heroicam liberalitatem: quâ in sententia & nos acquiescimus.

21 *An repugnet Comitati seria admonitio & libera reprehensio amici?*

Non habet vulgus eum pro comi & humano, qui vitia eius, cum quo versatur, liberè reprehendit. Sed si naturam comitatis exactius expendas, manifestè apparebit, reprehensionem eiusmodi potius excellentissimum esse comitatis effectum. Quia enim vt aliâs omnis virtutis, ita & Comitatis proprium est prodesse; idcirco nullo alio modo prodesse possumus errore lapsis, quam si eos modestè & φιλανθρώπως errorum admoneamus, atque ex erroris via in viam virtutis reducere conitamur; vt ita modesta & libera reprehensio amici omninò sit pars quædam humanitatis, quâ absente Humanitas rectè coli & exerceri nequit. Vnde & Arist. 4. Ethic. cap. 6. vult, vt comis aduertens castigationem illam præsenti tempore molestam esse & minus gratam, postea vero admodum fructuosam, nullo modo eam intermittat, neque hac in parte offensionem sibi metuat. Cui sententiæ Aristotelis planè diuinæ adstipulatur dictum Pauli ad Hebr. 12. *Omnis*, inquit, *castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudii, sed molestiæ: at postea fructum tranquillum iustitiæ reddit, iis, qui per illam fuerunt exercitati.*

23 *An à ludis & iocis simpliciter abstinendum?*

Producat fortasse quis locum Pauli ad Ephes. 5. ℣. 4. vbi Apostolus tria in sermonibus & oratione vitia reprehendit, nempe αἰσχρότητα, obscœnitatem, μωρολογίαν,

ſtultiloquium, & denique εὐτραπελίαν, Vrbanitatem, cui, vt adæquatum obiectum ſubſternuntur ludi & ioci. Verum ipſa contextus ſeries nodum hunc auerruncat; quippe quæ ſubinfert, vocabulum εὐτραπελίας, quod vrbanitatem Græcis autoribus hodie ſonat, vſurpari καταχρηστικῶς, pro extremo virtutis huius, nempè pro abuſu iocorum, atque adeo pro βωμολοχία, ſeu ſcurrilitate. Quomodo etiam accipienda omninò eſſe exiſtimarim alia loca ſcripturæ, quibus ludi & ioci malè audiunt. Loquuntur enim de verbis & geſtibus illiberalibus, & turpitudinem quandam præ ſe ferentibus, atque adeò ludum dehoneſtantibus, quales potiſſimum gentibus naturâ & moribus incultis in vſu erant; vt & Comicis ac Satyricis Poëtis nonnullis; non enim de his loquimur, qui Poëmatis ſuis hominum vitia ingenuè reiectis ambagioſis verborum inuolucris ſub ioco taxabant, ſicuti videre eſt apud Horatium lib. 1. Serm. Satyr. 4. vbi inquit Poëta:

> *Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëtæ,*
> *Atque alii, quorum Comœdia priſca, virorum eſt,*
> *Si quis erat dignus deſcribi, quod malus, aut fur,*
> *Quod mœchus foret, aut ſicarius, aut alioqui*
> *Famoſus: multa cum libertate notabant.*

Quocirca, vt ad rem veniamus, luſus & iocus per ſe non contrariantur virtuti, quatenus nempe ſale Mercurii ſeu ſapientiæ condîti animum ad virtutem & res ſerias promptius alacriuſque obeundas inſtaurant. Per laborem enim ac occupationes, ad quas ſuſtinendas homo diuinitus, ceu auis ad volatum, natus dicitur, ſpiritus vitales, (conteſtantibus Phyſicis omnibus) mirum quam debilitantur, debilitatis autem, &, vt ita loquar, detritis aſſiduo vſu ſpiritibus exſiccatur cor; quo exſiccato, nequit homo, quod ab eo exigitur, amplius perficere penſum; adeò vt ſi magnum ſuſtinere laborem continuò debeat, omninò opus ſit quadam animi recreatione, ſeu iucunda conuerſatione, per quam cor laborum exercitio violenter conſtrictum dilatetur, ſpiritibusque vitalibus pabulum ſuum, humor nempe natiuus laborando quaſi ſuffocatus, reſtituatur; qua de re ſapienter monet Ouid. 1. de Ponto:

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
Immodicus contra carpit vtrumque labor.

Et Aristoteles lib. 8. Polit. cap. 3. *Qui laborant*, inquit, *relaxatione egent, & huius gratia est iocus*, &c. Et paulò post: *Non satis est*, inquit, *posse rectè versari in negotio expediendo, sed etiam oportet rectè posse ocium sectari.* Satisfiet igitur Problemati distinctione iocorum illa, quam Cicero 1. De Offic. suppeditat; cuius verba placet vltimo loco adscribere: Duplex, inquit, est omninò iocandi genus: " Vnum illiberale, petulans & flagitiosum atque obscœ- " num; alterum elegans, vrbanum, ingeniosum & face- " tum: facilis autem, inquit, est distinctio ingenui & illi- " beralis ioci: alter enim si tempore fiat, ac remisso ani- " mo, homine libero est dignus; alter vero non item, cum " rerum turpitudini adhibeatur obscœnitas verborum. " Quâ Ciceronis sententiâ coronidem Ethicis hisce Problematibus imponimus.

EPIMETRVM META-PHYSICVM.

An veritati simplici opponatur mera & pura in mente ignorantia?

Affirmatiuam partem tuetur quidam ex recentibus Metaphysicis, cum ita inquit: Quando rei simplicis species in mente est, tum vera est; si vero species non est in mente, tum nulla est, &, per consequens, nec vera, nec falsa est. Et addit exemplum: Qui Rhinocerotis, inquit, imaginem in mente concepit, habet in mente sua veritatem; qui vero Rhinocerotem esse ignorat, is nihil falsi intelligit, sed planè nihil intelligit de Rhinocerote. Sed quo minus sententiæ huic assentiamur, subsequentes rationes suadent: 1, quia hac ratione veritas simplex constituetur tantum intra conceptum & mentem hominis, atque adeo ignorantia illa pura hominis, quæ extra eundem nihil est, videtur opponi Enti, quod reuera etiam extra hominis conceptum datur. 2, tolletur eiusmodi ratione discrimen inter ignoran-

tiam puræ negationis & prauæ diſpoſitionis; quod tamen diſcrimen plurimum vtilitatis in Philoſophia afferre Syſtema Logicum circa doctrinam de Syllogiſmo apparenti & fallaci docet. 3, doctrina Logica de terminis ſimplicibus, (de quibus tamen alioquin non malè ſentit, contrariæ ſententiæ patronus) eorumque explicatio infirmatur, vtpotè cui dextrè inſtitutæ non tantum opponitur pura illa, qualis in mente infantium & idiotarum obtinet, ignorantia ſeu pura negatio thematis, ſed etiam obſcuritas, fucoſaque thematis cuiuſdam explicatio. Aduerſatur denique ſententia hæc communi omnium hominum locutioni, vero ſimplici non meram veri ignorantiam, ſed apparentiam opponentium. exempli gratia: Si adeas aurificem quendam, & quæras, an vero auro opponatur pura auri ignorantia; reſpondebit ſanè, non ignorantiam, ſed falſitatem, id eſt, Aurum alchymiſticum, apparens & fucatum. Sic etiam nemo veræ & bonæ monetæ puram eiuſdem negationem opponi dixerit, ſed adulterinam & deprauatam. Concludimus itaque firmiter, veritati ſimplici propriè Falſitatem opponi ſimplicem, id eſt, apparentiam, fucum & laruam rei, non verò puram putam in mente ignorantiam. Argumenta quæ afferuntur ex quibuſdam Ariſtotelis textibus eruta quomodo enodanda ſint, in ipſo diſputationis actu liquido patebit.

EPIMETRVM CATOPTRICVM.

Qui fiat, quod ſpeculum Cylindricum elaboratè fabrefactum, directèque collocatum imagines in aere monſtroſas repræſentet?

Prodigioſa, humanamque fidem penè ſuperantia ſcribuntur de ſpeculis paſſim apud autores; inter quos inprimis eſt Vitellio, præſtantiſſimus Opticus lib. 7. propoſit. 60. & ex recentioribus Hieronymus Cardanus, lib. 4. ſubtil. pag. 165. & aliquot ſeq. quo in loco tum iucundiſſimæ

cundissima alia de speculis, eorumque fabrica assignat Problemata, tum etiam Epimetrum hoc nostrum admiratione dignissimum suppeditat. Τὸ ὅτι præter autores experientia quoque manifestè comprobat. Quod si enim speculum conuexum Cylindricum artificio singulari confectum à tenui suspensum filo in conclaui obice munito statuas, rimulamque quandam per fenestram seu parietem relinquas laruâ seu imagine aliquâ pictâ superinductam, ita vt è speculo per foramen istud possis cernere rem, quam extra fenestram posuisti; tum intuenda sese offeret in conclaui imago quædam horribilis, monstrosa & exsanguis instar spectri infernalis. Causam vero mirabilis huius effectus Optici eam crediderunt, quod cum reflexio à speculo columnari seu Cylindrico retroacta fiat per radios admodum distortos & anfractuosos, inde etiam accidat, vt imago valdè informis & insperata oculis designetur. Hinc mulieres veneficæ, effascinatoresque moderni, nectendis insidiis assueti nefarias hominibus obtrudere norunt offucias, præstigiasque, idque ex superstitioso speculi huius abusu; vtpote qui, vt res videatur diuinior, indicto ieiunio, consultores suos adducere assolent in conclaue illud, veluti ad Sanctum Sanctorum, ibidemque varios adhibere exorcismos & adiurationes, tanquam nimirum manes ex inferis euocaturi. Et quia speculum illud tenui suspensum filo subinde tremit ac mouetur, fit, vt etiam imago ac spectrum appareat tremulum, consultorique suspenso gradu appropinquare paulatim videatur, adeo, vt sæpenumero exhorrescens exclamitare incipiat, tanquam spectrum fugiens.

FINIS.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXVI.

Quæ est Ethica sexta.

DE VIRTVTIBVS MORALIBVS,

quæ partim nos ipsos spectant, partim alios.

INSTITVTA IN GYMNASIO DANTISCANO

22. Iulij.

Respondente

JOHANNE GEORGIO SCHVVAben Dantiscano.

AD
Magnificos, & Amplissimos
Viros,

Dn. IOHANNEM LINDANVM
inclitæ Reipub. Dantiscanæ
CONSVLEM,

Dn. IOHANNEM BROITEN
Dn. ADRIANVM LINDANVM
Eiusdem Reipub.
SENATORES,

Dominos & Mœcenates suos,
Cultus & obseruantiæ suæ Testimonium,
quàm potest
demississimè atque subiectissimè
defert

JOHANNES GEORGIVS
SCHWABE Dantiscanus.

THESES
DE VIRTVTIBVS MORALIBVS, PARTIM AD NOS IPSOS RELATIS, PARTIM AD ALIOS;
nempe de
Mansuetudine, Philesychia, Veracitate, Taciturnitate, Ciuilitate & Grauitate.

1 Ducit nos Methodus disciplinæ Ethicæ ad virtutem moralem eam, quæ partim ad nos ipsos pertinet, partim ad alium.

2 Ista autem virtus duplex est: vel enim ad internum magis affectum refertur; vel ad externum quoque sermonem & gestum.

3 Prioris generis est Mansuetudo, & Philesychia.

4 Mansuetudo est virtus, quæ mediocritatem seruat in irascendo & vindicando.

5 Huic in excessu opponitur Iracundia; in defectu Stupor & Lentitudo.

6 Philesychia, siue studium tranquillitatis est virtus, quâ studemus tranquillè viuere & concorditer, ita vt sollicitè caueamus omnes occasiones, quibus offendi possunt vel alii à nobis, vel nos ab aliis.

7 Huic in excessu opponitur φιλοχεργία, studium turbarum & offensionum; in defectu nimia timiditas & metus etiam iustæ offensionis.

8 Posterioris generis virtus est Veracitas, Taciturnitas, Ciuilitas & Grauitas.

9 Veracitas consideratur vel absolutè, vel restrictè.

10 Abso-

10 Absolutè considerata Veracitas est virtus, per quam idipsum quod sentimus, quodque in affectibus nostris reconditum habemus verbis, (sub quibus scriptura) vt & gestibus verè significamus: quæ virtus respectu conuersationis cum hominibus, etiam *Candor* dicitur.

11 Ei opponitur Mendacium, quod vel in genere spectatur, vt est vitium, quo rebus & menti simul, vel menti tantum contraria, proferimus; vel in specie respectu dicentis, & sic sub se complectitur excessum, nempe arrogantiam, quâ ea quæ non habemus, nobis arrogamus: & defectum, nempe Ironiam & dissimulationem, quâ ea, quæ nobis adsunt, negamus, & contraria fingimus.

12 Restrictè considerata Veritas dicitur *Fides*, quâ nec promittimus aliud, quam quod seruare possumus & decreuimus, & quæ promisimus, seruamus ac præstamus reipsa.

13 Huic opponitur perfidia, siue violatio fidei datæ & promissionis.

14 Taciturnitas est virtus moderatrix sermonis (sub quo & gestus & scriptura.) Eius partes siue officia sunt quatuor:

1. Loqui necessaria & vtilia.
2. Loqui accommodata suæ & alterius personæ, locis item & temporibus.
3. Loqui quantum decet.
4. Loquenda loqui, & secreta tacere.

15 Opponitur taciturnitati in excessu loquacitas, Garrulitas, Futilitas, atque adeò secretorum effutitio; in defectu nimia Taciturnitas, ac Silentium.

16 Sequitur Ciuilitas, quæ est virtus quâ ad decentem elegantiam componitur totum corpus omnisque eius gestus & habitus.

17 Ciuilitatis partes & officia sunt quatuor:

1, Mundicies corporis & omnium membrorum eius.

2, Ornatus & elegātia corporis & vestium cuiusque conditioni conueniens.

3, Decens compositio incessus & aliorum gestuum corporis, vt vocis & risus, sumptionis cibi & potus, atque aliarum externarum actionum.

4, Decentia honoris & aliarum ceremoniarum, quæ in hominum conuersatione & cœtu vsurpantur pro circūstantiis loci, temporis, personarum.

18 Opponitur Ciuilitati in defectu Inciuilitas, Immundicies, Indecentia & Rusticitas, circa illa quatuor iam numerata; in excessu, nimia ciuilitas & affectatio decentiæ.

19 Restat Grauitas, quæ est Virtus componens mores & gestus atque actiones omnes externas ad seueritatem cuiusque statui ac conditioni conuenientem; Græcis eleganter dicitur σεμνότης.

20 Ei in defectu opponitur Leuitas seu Vanitas; in excessu morosa toruitas.

PROBLEMATA.

1 *Quid Mansuetudo differat à Clementia?*

MAnsuetudo generalis virtus est & priuati hominis in pri-

in priuatum; sed Clementia specialior est & eorum propria, qui in magistratu sunt & iurisdictionem habent. Seneca id docuit, cum lib.1. de Clementia, cap.3. ita loquitur; *Clementia est Temperantia animi in potestate vlciscendi.* Strictius ergo definitur Clementia, quod sit lenitas superioris erga inferiorẽ in cõstituendis pœnis.

2 *An Mansuetudo iubeat quasuis iniurias & calumnias sufferre?*

Occasionem huic quæstioni mouendæ Aristoteles præbuit cap.5. lib.4. Ethicor. vbi monet, ne indiscriminatim quasuis iniurias mussitemus; seruile enim id esse & homine ingenuo indignum. Scriptura autẽ sacra contrarium statuere videtur, quando iubet, vt diligamus inimicos nostros, & benè precemur ei qui maledicit nobis. Sed non pugnant ista; siquidem diligere quoque eum possumus, cuius aduersum nos iniurias non ferimus. Et sunt Iniuriæ duplices. Quædã quæ ad nostram personam priuatim pertinent; quædam verò magis publicè & in officium nostrum, quod gerimus commissæ. Illas dissimilare decet & occultare, istas minimè. Id quod sanctissimorum hominum exemplis docuerunt sacræ literæ. Ipse Saluator non tacuit, cum colaphum ei impegisset Pontificis minister. *Si malè locutus sum*, inquit, *testare de malo; si bene, cur me cædis?* Iohan.18. ỹ.23.

3 *An ira in se considerata sit malum quid; & an liceat viro bono irasci?*

Nempè vetus & verum dictum est: *Mentem non habet, qui iram non habet.* Et sanè multorum bonorum causa ira in homine existit; Iræ beneficio homo praua odit & auersatur mala, infensissimusque scelerum redditur hostis. Id quod grauissimis verbis docet D. Basilius, inquiens: *Ira debet rationi accubare tanquam canis pastori, quo increpet allatretque vitium & vitiosos veluti lupos.* Per iram quoque homo alacrior & vegetior ad obeunda munia grauissima redditur. Sanguis enim ira attenuatur, Spiritusque extenuantur, qui per totum corpus diffusi, omnia membra, omnesque articulos quodammodo viuificant, in iisque vires instaurant. Accedit authoritas

Ambrosii, præclarè de hac re dicentis: *Ira est passio grauissima, quam ratio emollit & comprimit.* Emolliri enim potest, eradicari non potest; quoniam animus qui est rationis capax, nō est suarum passionum dominus, sed reprehensor. Differunt autem Ira & Iracundia, vt notum est. Ira enim est affectus, cui affectui si nimium indulgeatur, & si id sæpius fiat, gignitur in animo habitus vitiosus, qui Iracundia dicitur, vt eleganter Plutarchus in libello περὶ ἀοργησίας docet, inquiens: *Crebræ offensæ & continentes iræ habitum in animo procreant malum, qui postea Iracundiæ nomen obtinet.* Quod si libet in abdita naturæ penetrare mysteria, & inde huius rei causam depromere, hanc reperiemus; Assiduitate nempè irascendi fel & bilem flauam sumere incremētum, bilis autem flaua vbi incremētum accepit, facilè deinde se exonerat, vnde proni & procliues ad iram homines redduntur. Porro aduersus morbum præcipitis iræ, atque adeo etiam iracundiæ, præsens pharmacū Augusto suppeditauit Athenodorus Philosophus; *Caue,* dixit, *Cæsar, ne quid iratus dixeris vel feceris, priusquam 24. Græcarum literarum elementa memoria percurreris & ordine recensueris.* Moram nempe interponendam suasit Athenodorus, vt ira deferuere, & concitatio illa, quæ momentanea est, parui temporis interiectu concidere posset, siquidem vt eleganter & eruditè Poëta canit:

Vt fragilis glacies interit ira morâ.

Diligenter & sedulò hoc Plato obseruauit, qui vnicè studebat, ne quid in primo iræ æstu faceret; cumque aliquando iratus in seruum irrueret, retrahens se dixit: *Vapulares, nisi iratus essem.* Omnium optimè illud Statii huc quadrare videtur:

——— Ne frena animo permitte calenti,
Da spatium, tenuemq; moram, mala cuncta ministrat
Impetus. ———

4 *An ira sit necessaria viro forti?*

Peripateticum dogma est: *Iram esse cotem fortitudinis.* Quod quidem grauissimi aliquot Scriptores impugnare videntur. Imprimis Plutarchus, qui diserte in egregio libello, quem de ira coërcenda scripsit, inquit: Fortitudini

dini

dini bile nil opus est. Et addit; eos, qui iræ œstro perciti ad arma ruunt, infeliciter plærumque & aduerso Marte pugnare: rationemque hanc ponit: Quia, inquit, furiosi impetus iræ, quoniam nulla ratione nulloque iudicio reguntur, putridi sunt & facilè retunduntur. Authoritas accedit acutissimi Scaligeri, idem exercitatione 208. asserentis. Quo quidem in loco expresse docet, sine omni iracundia non solum posse, sed etiam debere esse virum fortem. Verum hæc lis commodè componitur, si obseruetur distinctio iræ, quæ bifariam consideratur, nempe vel vt Affectus, vel vt Habitus. Si consideretur ira vt affectus, omnino viro forti eam concedendam, & nullo modo ab eo remouendam dicimus; in hunc enim finem à DEO homini datus est affectus iræ, vt per eum homo vegetior & promptior reddatur ad subeunda munia. Et quomodo, quæso, miles se fortem & strenuũ in bello præbere posset, si iræ prorsus esset expers? quomodo in hostium densissimas prorumperet copias, nisi contra aduersarium iustam concepisset iram? Et hoc sensu ira cos fortitudinis dicitur. Si autem ira spectetur tanquam habitus (qui non tam Ira, quam Iracundia dici merebatur) tum facilè concesserimus, procul iram hoc sensu acceptam à viro forti remouendam esse; is enim qui habitum Iracundiæ contraxit tanquam ratione sanâ priuatus, præceps in pericula ruit, atque idcirco nomen viri fortis mereri neutiquam potest.

5 *Quomodo Dolor & Voluptas iræ comites dici possint?*

Mirum videri possit, quod Aristoteles lib. 4. Ethic. c. 5. iræ duos contrarios comites adiungat, nempe voluptatem & dolorem, cum duo contraria in vno eodemque subiecto esse non possint. Dicimus ergo diuerso respectu iram comitari & dolorem & voluptatem. Dolor iram sequitur, quia ira oritur ex accepta iniuria aliove damno, cuius memoria dolorem facit. Iram ex altera parte comitatur voluptas, quatenus nempè vindicta, eiusque inferendæ præmeditatio iucunda est.

6 *Iranè, an voluptas difficilius coerceatur?*

Etiamsi Ira sit sæuientis instar bestiæ, & omnes rectæ rationis habenas excutiat; voluptas verò suauissimè homini abblandiatur, citius tamen & faciliori labore coërceri iram quam voluptatem statuimus his rationibus. Quarum prima sit: Quod ira non est innata & enutrita nobiscum, vt quidem voluptas, quæ à primo vitæ exordio statim nobis adhæret, vt eam cum lacte materno hausisse videamur. At verò vitium quo diutius homini adhæsit, eò altiores in eius pectore radices egit, sic vt difficulter deinde euelli possit. Accedit altera ratio, quod voluptas titillationibus suis iucundissimè hominum animos demulceat, & suis illecebris & quasi incantamentis ad se alliciat. Ira verò econtra dum vehementer in corpore humano concitat sanguinem, & spiritus acriter commouet, homini non satis accepta est, sed molestissima. Cum autem homo duce natura auersetur molesta, iisque maiori conatu resistat, quàm rebus iucundis, sequitur iram citius supprimi posse quàm voluptatem. Adde denique quod voluptas hãc habeat naturam, vt adeò tacitè & occultè se in hominum mentes immiscere & insinuare possit, vt homo nesciat se vitio vllo infectum & inquinatum esse. At verò ira eminet, & omnibus aperta est; Ex oculis ira patet, ex fronte, imò tota facies iram in homine prodit. Sequitur ergo & hinc vulnus ab ira inflictum citius sanari posse; quam vulnus profectum à voluptate. facilius quippe est iis resistere, quæ aperta sunt, quam iis quæ latent, & in occulto manent.

7 *Cur mulieres vt plurimum vitio iracundiæ laborent?*

Plutarchus in libello superius citato de ira coërcenda, statuit ex animi impotentia mentisque ac iudicii imbecillitate hoc in sexu fœmineo euenire; fit enim hinc vt mulier irâ accensa & inflammata sibi excidat, atque extra potestatem constituta cupiditatibus & affectibus moderari nequeat, aut perturbatos animi motus minus coercere, aut iis ratione mentisque iudicio obsistere, oblata leuissima nulliusque momenti occasione

sione frenum rationis excutit, & in quælibet indiscriminatim ruit. Sed & alia ratio est magis propinqua, quod mulier sit temperamento atq; adeò humoribus & spiritibus mollibus, laxis, fluidis, sic vt bilis incensa, cõfestim & sine omni remora se per totum corpus & in omnia membra diffundat, ac sanguinis circa cor subitam ebullitionem excitet, eiusmodi tamen quæ mox deferueat. Quemadmodum vsu videmus venire in igne, qui leuiores stipulas cito corripit, & sublimem flammam excitat, sed quæ cito conquiescat & sopiatur; sic quoque mulier celeriter quidem irâ inflammatur, mirisq; modis tumultuatur, verum fremitus ille in corpore minus forti atq; animoso, tum etiam humido, confestim mitigatur ac reprimitur.

8 *Vtrum Iracundia, an verò lentitudo siue iræ vacuitas sit deterior?*

Vt rectè hæc quæstio decidatur, diligenter nobis vtriusq; vitii natura expendenda fuerit, & videndum vtrũ eorum plus incommodi & detrimenti de se procreet. Ac primò quidem verissima est Nazianzeni sententia, quando inquit: *Vtrumq; malum est, indulgentia blanda, & implacabilis seueritas*; vt enim illa nimium laxat habenas, ita hæc immodicâ astrictione strangulat. Quod si verò *σύγκρισις* instituatur, & quæratur, vtrum ex his duobus vitiis sit deterius, sanè distinguendum fuerit inter homines in genere siue Ethicè consideratos, & inter homines consideratos in specie siue Oeconomicè ac Politicè. Si hominem Ethicè consideres, statuimus cum Aristotele, Iracundiam esse vitium deterius lentitudine, idque propter duas has rationes: Primo quidem, quia frequentius circa iracundiam peccatur, quam circa lentitudinem. Quis enim credat, tantam reperiri copiam eorum, qui iræ expertes sint, quanta reperitur eorum, qui iræ stimulis agitantur? Secundò, quia minus accommodata ad societatem vitæ est Iracundia, quam Lentitudo. Cum hominibus enim iracundis, qui citò & ob leuẽ quamque causam in iram prorumpunt, nemo libenter conuersatur. Sin verò in specie, nempe Oeconomicè & Politicè hominem spectes, eum nempe cui gubernacula

vel domus vel Reipub. commissa sunt; vtiq; deterior est lentitudo, quam Iracundiæ illa prima species, quæ *excandescentia* & *zelus* dicitur. Quod docere voluit Aristoteles, quando inquit lib. 7. Polit. cap. 7. ὀργὴν esse τῶν ἀρχόντων, *Iram esse rem necessariam imperantibus*, & θυμὸν esse ἀρχικόν τι, *iram esse Imperatorium quid*. Debet enim Magistratus esse vindex scelerum, debet in legum transgressores seuerè animaduertere; id quod facere non poterit, si vitio lentitudinis nimium laboret.

9 *An Philesychia sit distincta ab Amicitia?*

Obsequium amicos parit, inquit Comicus. ex quibus verbis liquet, Amicitiam & Philesychiam arcto quodã nexu inter se copulatas esse. Neq; tamen propterea confundi & commisceri debent, sed tenendum est inter illas discrimen, quod Philosophus habet lib. 4. Eth. c. 6. Philesychiam nempe latissimè suos extendere terminos, dũ id sibi habet propositum, vt nemo in ciuili conuersatione offendatur, sed pax & tranquillitas inter omnes colatur. Amicitia verò angustis inclusa est cancellis, & consistit inter duos vel tres homines, qui suauiter in exercitio virtutis conspirant. Hoc discrimen etiam innuit Stephanus Guazzus libro 1. de ciuili Conuersat. quando inquit: *Cum multis conuersandum casu, cum paucis electione.* Nec est quod quis inferat, duabus hisce virtutibus eadem opponi extrema, nempe assentationem & contentionem. Opponuntur quidem, sed diuerso planè respectu. Philesychiæ opponuntur quatenus sunt industriâ elaborati habitus: Amicitiæ verò quatenus sunt affectus à Natura nobis insiti, sunt enim morosi, sunt etiam placidi à natura, sunt qui vsu difficiles, sunt qui arte blandientes fiunt.

10 *An dicens verum aliquando mentiri possit?*

Distinguere oportet inter vera loqui & veraciter loqui; Verum loquitur, qui rebus consentanea loquitur; Veraciter loquitur, qui non rebus tantum, sed & menti suæ ac cogitationibus consentanea loquitur; imo & is-

veraci-

veraciter loquitur, qui si non rebus consentaneum dicat, saltem ita loquitur vt sentit. Fieri ergò potest vt aliquis dicens verum, exempli gratia, Antipodes sunt, mẽtiatur tamen, id est, vera quidem, sed non veraciter loquatur, si credat Antipodes non esse. Aliter hanc quæstionem determinat Scaliger, quando exerc. 2. distinguit inter mentiri & falsum dicere; Non mentitur, inquit, " qui se verum putat dicere, etiamsi falsum dicat, verbi " gratia: Si quis noua, quæ ab aliis scripta & nunciata " sunt, aliis quoque narret, & putet esse vera, cum tamen " sint falsa, is quidem falsum dicit, sed propterea non " mentitur. Coincidit autem hæc Scaligeri decisio cum " nostra.

II *An* mendacium, *quod* officiosum *vocant, sit licitum, atq; adeò an liceat interdum simulare?*

Est ista grauis, ardua, & scriptorum tricis inuoluta quæstio. Sunt enim qui de hac controuersia sic statuant. Mendacium maioris boni consequendi causa nonnunquam veniam mereri; atque adeò Mendacium mentiendi libidine & consilio susceptum per se quidem & simpliciter esse vituperandum, sed tamen excusatione dignum esse, & fortè etiam laude, respectu maioris boni, quod inde prouenit, id quod *mendacium officiosum* appellant. Sunt & alii quibus Plato subscribit, qui priuatis id quidem non licere putant; sed Magistratui Reipubl. causa & commodo hoc mendacium concedendum esse. Ista omnia non consistunt ad tribunal & Iudicium Spiritus sancti, cuius ista Lex & Regula est; *Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Quare si mendacium officiosum sumatur propriè prout verba sonant, tum planè à viro bono remouendum est, idque propterea; quod sicut virtus licita est, sic è contrario virtutis oppositum illicitum est & malum, ex quo bonum sperari non possit, sic vt contradictio videatur in adiecto, si quis dicat se boni alicuius causa mentiri. Mendacium enim vt vitiũ est, sic per se nihil boni efficit, atq; adeò nec bonum publicum suâ naturâ procurat. Si verò mẽdaciũ officiosum per catachresin quandam sumatur, ita vt

epitheton officii innuere videtur, pro temperamento veritatis & Prudentiæ, vt mendacium officiosum idem significet, ac non dicere omne verum, vel non dicere illis quibus non obligaris, vel non dicere ita sicut nō obligaris, atq; adeò si diuersitas quædam apertæ veracitatis, non autem contrarietas & pugna intelligatur, dici potest mendacium officiosum licitum esse. Neq; enim tenemur omne verum dicere, nec omnibus, nec quouis loco & tempore, sicut latius in Ethicis prælectionibus explicatum est. Ex iisdem porrò fundamentis etiam illa quæstio soluitur: *An liceat interdum simulare*? Distinguenda enim simulatio, quæ aliquando speciem mendacii significat, & temerè nulloq; cogente suscipitur, de quibus simulatoribus vir & Poëta clarus inquit:

Odi illos ceu claustra Erebi, quicunq; loquuntur
Ore aliud, tacitoq; aliud sub pectore condunt.

Nōnunquam verò simulatio accipitur pro effectu Prudentiæ: & hoc sensu acceptam simulationem omninò viro bono licere dicimus. Exempla huius simulationis inprimis luculenta conspiciuntur in bellis, vbi strenui duces, quando vident violentia nil geri posse; versutia vtuntur, vt pulchrè dici solet; quo non peruenire potest leonina, vulpina assuenda est; fallunt sæpè hostem simulando se hac iter suscepturos & alio postea flectunt, quæ sanè simulationes tantum abest vt reprehensionem mereantur, vt potius laudem ac gloriam augeant.

12 *Socrates cum dissimulatione & Ironia in omni suo sermone sit vsus, quæritur an vitiosè egerit?*

Socrates cum interrogaretur quam artem sciret, dicere solitus est, *id vnum se scire quod nihil sciret*. Quod eius dictum reprehendi non debet, & habuit suas rationes Socrates, ob quas hac Ironiâ vteretur. Primò enim se nihil scire professus est, Deum nempè respiciens, & eius sapientiam immensam considerans: Si enim Sapientia humana, quæ exilis, debilis, manca & imperfecta est, conferatur cum sapientia æterni Dei, quæ immensa & omnibus numeris est absoluta, ecquid est sapientia hominis, quam vmbra & mera inscitia, quæ sapientiæ nomen

men neutiquam meretur? Deinde & ad refellendam Sophistarum vanam arrogantiam hac ironiâ vsus est Socrates. Sophistæ enim tunc temporis erant plurimi, qui se nimium efferebant, eô quod falsam eruditionis persuasionem induerant, cum tamen nihil scirent. Socrates itaque submisse de se sentiens, extenuabat suam eruditionem, & id faciebat, vt Sophistarum vanam arrogantiam comprimeret, stultam iactantiam corrigeret, & superbam animi elationem tolleret. Et sanè quod Socrates propter ironiam istam non sit pro mendace habendus, sed potius pro verace & veritatis amante, Philosophus probat lib. 4. Eth. c. 7. vbi veraci hoc proprium tribuit, quod sit ἐλαττωτικός, id est, talis, qui mauult sua attenuare quam amplificare. Extenuatio enim modestiæ significationem habet.

13 *Arrogantia an ironiâ sit peior?*

Ex diligenti horum extremorum collatione apparet, Arrogantiam longius à medio, nempe Veracitate, recedere, atque adeò deteriorem esse; tum quod magis aduersetur iustitiæ; dum enim nimium sibi aliquis tribuit, & ea sibi arrogat, quæ non habet, plurimum aliis detrahit; vendicat enim id sibi, quod aliis iure merito debebatur; tum etiam, quia Arrogantia magis conuersationi iucundæ contrariatur quam ironia. Hominum enim natura sic comparata est, vt non facile ferre possit aliquem, qui se supra omnes efferens, alto supercilio alios despicit & præ se contemnit, ac si neminem habeat secundum.

14 *An adulatio sit mendacii species?*

Qui id vnicè studet, vt hominum gratiam & fauorem quibuslibet abblandiendo aucupetur, is veritatis normam & regulam sequi minimè potest; non enim vllus homo est, qui suo careat næuo. Adulatores itaque mendacii crimen incurrere necesse est. Et est hæc fermè adulatorum natura & proprietas, vt à voluntate vultum, ab animo verba, à mente linguam, ab intellectu loquelam amplo dissensionis interuallo dissibilent, & plerumque exterius plausibiliter applaudendo collaudent eos, quos interius contradictoria derisione

defraudant, foris vultu applaudunt virgineo, intus detractionis pungunt aculeo, foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus calumniarum euomunt tempestates. Sic vt non incommodè à nobilissimo Stephano Guazzo Adulatores lib. 1. de ciuili conuersatione, as-
„ similentur Polypo. Sicuti enim hic pro rei qualitate, cui
„ adhæret colorem mutat: Ita & illi pro auscultantium captu mutant opiniones. Quam ob causam etiam à vetusto quodam scriptore dicti sunt *Amici-Inimici*, quandoquidem sub dulcibus verbis amarum & venenatum sensum habent absconditum, nō secus atq; sub esca hamus latet, aut sub floribus serpens.

15 *Vtrum maledicus sit tolerabilior adulatore?*

Græci si cui precari vellent exitium, iubebant eum ad coruos adire; sed Antisthenes Philosophus dicere consueuit, κρεῖττον εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν; *satius esse in coruos incidere quam in adulatores*; quorum os adeò venenosum spirat halitum, vt lethaliter animum eius, qui patulas eis aures præbet, inficiat. Et sanè si rem ipsam probè ponderemus, vnanimi voce fatebimur, plus laudis mereri obtrectatorem, quam Adulatorem, idque non tantum ratio firmissima, verum etiam grauissimorum virorum authoritates confirmant. Ratio ducitur ab vtriusque proprio effecto. Obtrectatoris maledicta vergunt subindè in vtilitatem illius, in quem coniiciuntur; siquidem detegunt nostra errata, vt eò melius in posterum ab iis cauere nobis possimus. Adulatoris verò blanditiæ, non tantum nemini sunt vsui, sed & totæ ad perniciem illius, qui iis delectatur, comparatæ. Quod animaduertit Imperator Sigismundus, qui cum ab impudente quodam adulatore *Deum se nominari intelligeret, colaphum homini impegit*. Ac cum quæreret ille, *cur me verberas?* Respondit Imperator, *cur me mordes Adulator?* Authoritates quod attinet, inter illas prima est Augustini, qui inquit; *Plus lingua adulatoris persequitur, quam manus persequentis*. Altera est Pythagoræ, qui, vt refert Stobæus Serm. 12. χαῖρε, dicit, τοῖς ἐλέγχουσί σε

μᾶλλον,

μᾶλλον, ἢ τοῖς κολακεύουσιν, *Gaude potius arguentibus quam adulantibus, & tanquam deteriores inimicis, adulatores auersare.* Accedit & Plutarchi grauissimi Scriptoris authoritas, qui gaudendum esse docet commercio reprehendentium & non adulantium, additque rationem; Hi enim gratificando dissoluunt, illi molestiam exhibendo excitant & erigunt.

16 *Sintne laudes ab adulatore profectæ, refutandæ à viro sapiente, an verò admittendæ?*

Neutrum caret incommodo; si enim eas refutauerit, suspicabuntur homines eum laudes istas in hunc finem à se amoliri, vt tanquam modestus & humilis postea laudetur: sin verò admiserit, gloriæ & laudis auidum se ostendet. Quare si hæc incommoda declinare & euitare velit, sequi eum oportet consilium doctissimi cuiusdam scriptoris, qui iubet, vt vel penitus se istiusmodi laudationibus subducat, nec attentas eis præbeat aures; vel virum illum nobilem imitetur, qui cum diu & patienter auscultasset impudenti cuidam, a quo capiti ipsius quasi corolla titulorum & nimiarum laudum erat imposita, dixit tandem: *Non scio equidem, quid istis tuis laudibus debeam facere? si illas reiicio, te adulatorem arguo; si recipio, me inanis gloriæ cupidum ostendo. Partiamur igitur inter nos has laudes, & partem earum mihi concedens, tu alteram partem capito.* Sapientem sanè nobilis hic diuisionem laudum instituit. Quia enim adulatio semper veritatis aliquid admixtum habet, prudens ille fuit acceptando veritatem & mendacium adulatori relinquendo. Hoc dubio sublato renascitur aliud. Quæritur enim; Si quis non amore tantum, sed & opportuna occasione ductus, vera aliquem laude legitima & in notabili quadam eius actione fundata, corā & in os fuerit prosecutus, eritne officii eius qui laudatur, eam refutare aut cum silentio admittere? Cui dubio hoc responsi subiicimus: Quandoquidem tacere signum esset futurum aut superbiæ, aut leuitatis, primo laudes illas ad Deū tanquam causam omnium bonorū referēdas

esse; deinde morali quadam modestia opera danda, vt aliquantum imminuatur gloria & earundem laudum socii participes reddantur; id quod factitasse Pyrrhus fertur, qui subitam & felicem victoriam è bello reportans, cum intelligeret se *aquilam* à suis militibus nuncupari, si *ego aquila sum* respondit, *vos vtiq; in causa estis*; siquidem brachiis & armis vestris, quasi pennis me subleuastis & sustinuistis.

17 *Vbi de Taciturnitate in Ethicis sit tractandum?*

Taciturnitas nunc animo contemplanda venit virtutum multarum custos & quasi tutrix ac curatrix, sic vt non immeritò de ea Poëta canat:

Eximia est virtus præstare silentia rebus;
Et contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Verum cum Aristoteles in libris suis Ethicis de hac virtute non tradat, quæritur *vbinam ei locus sit assignandus.* Sunt qui doctrinam de Taciturnitate subiiciendam statuant doctrinæ de temperantia; dicentes, nihil aliud esse taciturnitatem, quam linguæ temperantiam. Quæ sententia probanda non videtur, eò quod illi qui ita sentiunt, vocem Temperantiæ nimis latâ significatione acceperint. Temperantia enim propriè sic dicta est virtus modum obseruans in nutrimento & Venere. Nos autem Taciturnitatis doctrinam doctrinæ Veracitatis subiungendam existimamus; quia hæc virtus partim ad nos, partim etiam ad alios refertur, perinde vt veritas.

18 *Quid sentiendum sit de facto Laurentii, qui vitam perdere maluit quam indicare Ecclesiæ thesauros præfecto, Imperatoris nomine id postulanti?*

Taciturnitatis species est Fidem promissi silentii seruare. In hac taciturnitatis specie cum excelluerit Laurentius, libet hanc de eo instituere quæstionem; *An nempe excusari possit, quod vitam suam tanti non æstimauerit, quanti fidem datam silentii?* Nam cum sub Xisto Episcopo Romanæ Ecclesiæ præcipuus esset ex Collegio

Diacono-

Diaconorum, ad quos olim ex Apostolorum instituto eleemosynarum & redituum, quibus ministri Ecclesiarum & pauperes alebantur, custodia, cura & distributio pertinebat, ac ab Episcopo suo, qui ob confessionẽ fidei ad suppliciũ rapiebatur, mandata accepisset, vt thesauros Ecclesiæ sibi concreditos custodiret: dedit fidem Laurentius, quam etiam adeò constanter seruauit, vt licèt à Præfecto vrbis pecuniæ inhiante, in craticulam, cui ardentes prunæ substratæ erant coniiceretur, tamen fidem semel datam neutiquam frangeret. Non videtur, dicet aliquis, rectè fecisse Laurentius, quod præfecto Imperatoris nomine & mandato petenti thesauros Ecclesiæ se opposuit, cum potuerit pecuniæ amissione, & suam vitam redimere, & crudelitatem efferi Tyranni placare, ob hanc exacerbationem ferocius grassaturi in Ecclesiam. Sed aliter longè se rès habet: non enim hic erat verus scopus Tyranni, vt thesauros Ecclesiæ in suã possessionem pertraheret, non tàm spectabat pecuniam, quam vt Ecclesiam suis bonis spoliaret, & eò commodius postea eam supprimere & penitus exstirpare posset. Si ergò Laurentius prodidisset Ecclesiæ thesauros, præterquam quod violatæ, quam dederat, fidei scelere se polluisset, efficacem causam præbuisset delendi ministerium Euangelii & confirmandi cultus idolorum.

19 *Sermo cur cautè regendus?*

Sæpissimè accidit vt reliquarum virtutum præmia intercipiantur iis, qui sermone rectè vti nequeunt, & qui nesciunt linguam suam moderari. Quare non incommodè lingua assimilata est nauis clauo, qui etsi minima pars nauis est, eam tamen & saluat & deprimit. Sic lingua etiamsi membrum sit exiguum, in mala tamẽ plurima hominem præcipitare potest: id quod innuere voluit magnus ille Solon; cum enim Rex quidam Ægypti, vt iudicium illius periclitaretur, ouem ad sacrificandum illi misisset, imponendo ipsi vt optimam & pessimam illius partem seligeret, sibique remitteret. Solon Regis imperio obsequens, linguam ei remisit. Causa autem ob quam tàm cautè sermo sit regendus,

duplex dari poteſt. Primò, quia lingua humana eſt mẽbrum valdè mobile, id eſt, tale, quod homo ſine labore aut difficultate aliqua vſurpat, quodq; omnium minimè defatigatur, hinc nempe libenter hoc membro vtitur. Deinde, quia cum homo ſit animal ſociale, & verò verba ſint vinculum ſocietatis, ideò ruit ad verba & ſermonem, & niſi tùm adhibetur cautio, facilè id loquimur, cuius nos poſtea vehementer poſſit pœnitere.

EPIMETRA.

METAPHYSICVM.

An falſitas à natura rebus inſit?

ATHenagoræ dictum memorabile eſt: *Falſitatem quidem non eſſe rem, ſed rebus tamen annaſci hominũ vel errore, vel malitiâ.* Et ſanè quod falſitas à natura rebus ineſſe non poſſit, haud difficile eſt probare. Veritas enim & Ens conuertuntur, ita vt eo ipſo, quod aliquid Ens eſt, etiam verum ſit, & propterea quod quid verum eſt, etiam Ens ſit. Vnde ſequitur etiam falſum & non Ens conuerti. Probatur idipſum ex abſurdo, quod è contraria ſententia reſultat. Si enim falſitas rebus à natura ineſſet, neceſſe foret illam à Deo ſuam habere originem, à quo omnes res ſecundum naturam pendent tanquam à prima realitate ſiue eſſentia; quod dicere impium eſt, & aduerſatur naturæ Dei à quo ceu fonte omnis Veritas promanat. Statuimus ergo falſitatem rebus à natura non ineſſe, ſed promanare ab opinione & errore hominum & ab eorum malitia, & fraude, quæ apparentiam quandam externam & fucum rebus conciliat, primò verò & quidem potiſſimum à ſummo & primo omnium Entium hoſte, & patre mendacii Diabolo.

ASTRO-

ASTRONOMICVM.

An adhuc absolutam habeamus scientiam Astronomicam?

AB Opticis corollariis ad Astronomica vocamur, inter quæ primum esto de ipsa scientia Astronomica, quam multis partibus adhuc non absolutam esse testari potest vel solus Mercurii motus, de quo pauca certa & explanata artifices tradiderunt; sed & superiores tres Planetæ, Saturnus, Iupiter & Mars, intra obscuritatis & incertitudinis nubes occultantur; vt nihil nũc attingamus de stellis fixis earumque motu; ita vt omninò dignum sit consideratione id, quod scribit clarissimus Henricus Wolfius lib. 2. de temp. cap. 6. *Credo*, inquit, *motuum cœlestium & temporis exactam cognitionem Deum homines consultò celasse & reseruasse sibi.* Et Christophorus Clauius lib. 1. Apologiæ suæ pro Calendario Gregoriano cap. 4. "Deus de industria Planetarum stellarumque motus tantis difficultatibus voluit inuoluere, vt semper inueniamus quod admiremur, neque homines desinant opera Dei inquirere, aut ingenia ipsorum cessarent atque torperent, sicut dicitur Ecclesiast. cap. 9. *Et mundum tradidit disputationi eorum.*"

ΣΥΓΧΑΡΜΑ

AD RESPONDENTEM.

SPectandus in certamine Pallados
Luctaris, ictus impiger excipis,
Nixus Johouæ, Præsidisq;
Auxilio & clypeo potenti.
Belli secundos expetis exitus?
Cum laude, veri proruet integrum.
Vis firma victorem, secundis
Auspiciisque feres trophæum.
Assurge saltem, pectore & arduo
Obsiste nunc insultibus hostium.
Quos excitabunt; Sed quod omen
Præmeditor? Referes trophæum.

Iohannes Fridwald E.

CVRSVS

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXVII.

Inter Ethicas primi triennii postrema,

DE VIRTVTE MORALI PER ANALOGIAM DICTA, DEQVE

Virtute excellenti siue Heroica, & deniq; de *Amicitia.*

PVBLICE HABITA IN GYMNASIO DANTISCANO,

26. Augusti, Anno 1606.

Respondente

MICHAELE BLANCKIO

Dantiscano.

Generis Nobilitate

Eruditionis laude

Vitæ integritate

Conspicuis Viris

Dn. IOHANNI FELDSTEDE hæreditario in Ziskendorff/ *&c.*

Dn. PHILIPPO LACKE Reipublicæ patriæ à Secretis,

Dn. IACOBO KLEFELD,

Dn. NICOLAO BODEKER,

Ciuibus & Mercatoribus Ciuitatis Gedan. primariis,

Mæcenatibus & patronis summopere colendis,

Has quales quales studiorum suorum primitias, animiq; grati symbolum

submissè offert

MICHAEL BLANCKIVS.

THESES
DE VIRTVTE MORALI MEDIOCRI ANALOGICE' DICTA, DE VIRTVTE HEROICA ET DE Amicitia.

1 Expendimus virtutem moralem perfectè ac propriè dictam; sequitur virtus imperfectè & κατ' ἀναλογίαν sive per similitudinem dicta, quam & *semivirtutem* appellant.

2 Virtus imperfecta dicitur, quæ nõ est plenus habitus, sed tantùm dispositio ad naturam affectuum declinans.

3 Virtus imperfecta dicitur vel ratione generis tantùm, vel ratione generis & effectorum simul.

4 Ratione generis tantùm imperfecta virtus triplex est: quædam quoad nos ipsos; quædã quoad alium; quędam deniq; partim ad nos, partim ad alium.

5 Virtus imperfecta quoad nos dicitur *Pudor*, qui vel in genere spectatur; vel in specie.

6 In genere Pudor est, qui latè consideratur sine respectu certæ ætatis.

7 In specie Pudor est, qui strictè consideratur respectu ætatis puerilis & iuuenilis, & dicitur propriè *Verecundia*.

8 Vtroq; modo consideratus Pudor est vel ante commissum dedecus; vel post dedecus.

9 Pudor ante dedecus est virtus, continens metum Infamiæ cum amore honesti coniunctũ.

10 Pudor post commissum dedecus est virtus,

continens dolorem admiſſi dedecoris cum conſtanti amore honeſti poſthac proſequendi coniunctum.

11 Opponitur Pudori in exceſſu δυσωπία, pudor ruſticus, vbi eius nos pudet cuius non debebat pudere; in defectu ἀναισχυντία. Impudentia, cum nempe nec vllus eſt infamiæ metus, nec dolor ob dedecus admiſſum.

12 Virtus Imperfecta quoad alium eſt Sympatheia, Gaudium in alienis bonis & Immunitas à ſuſpicione.

13 Sympatheia eſt virtus quâ alienis malis cõdolemus.

14 Sympatheia vel abſolutè ſpectatur; vel cũ certo gradu, & dicitur *Miſericordia*, cum nempe in magnis malis vehementius condolemus & cupimus patienti ſubuenire.

15 Opponitur Sympathiæ atq; adeò etiã Miſericordię in exceſſu immoderata cõmotio; in defectu ἀπάθεια & Immiſericordia & ἐπιχαιρεκακία.

16 Gaudium in bonis alienis eſt virtus, per quam congaudemus aliorum bonis, & iis gratulamur.

17 Ei opponitur, in exceſſu immoderata congratulatio; in defectu Inuidia, cum vel non volumus aliis communicare illa bona, quæ poteramus, vel ſi aliunde communicata ſint, triſtamur ac dolemus, ac poſſidentem propterea odimus.

18 Immunitas à ſuſpicione eſt virtus, per quam non facilè aliquid mali de altero præſumimus.

19 Ei opponitur, in defectu ſtupor, cum ne quidem ob iuſtam & grauem cauſam mali quid

præſumi-

præsumitur; in excessu Suspicacitas, cum sine iustis & magnis causis mala præsumimus de aliis.

20 Virtus imperfecta partim nos, partim alios spectans; Ea est tũ Æmulatio, tũ Pœnitentia.

21 Æmulatio est virtus imperfecta, inferens animi perturbationem quandam ob bonum alterius, non ex eo concepta, quod alter isto bono fruatur, sed quod nos quoque istud bonum habere & possidere desideremus.

22 Ei in excessu opponitur nimia indignatio ob bonum alterius; in defectu animi abiectio, quâ nihil sumus solliciti an alter nobis sit excellentior, an non.

23 Pœnitẽtia est virtus imperfecta, per quam seriò dolemus violatã honestatẽ & cõmissum aliquod vitium, & firmiter proponimus illud posthac cauere ac vitam honestè agere.

24 Ei in excessu opponitur desperatio ob violatum honestum; in defectu Impatientia & Securitas.

25 Restat virtus imperfecta quæ ratione generis simul & effectorum, est tum Continentia, tum Patientia.

26 Continentia vel in genere consideratur; vel in specie.

27 In genere considerata continentia, est lucta quædam virtutis cum vitio; sic tamen vt virtus vincat.

28 Continentia in specie est virtus, quâ colluctamur cum cupiditatibus & voluptatibus cibi, potus, veneris, iræ, linguæ.

29 Opponitur Continentiæ in excessu nimia Continentia; in defectu Incontinentia.

30 Incontinentia est vel præcipitantia vel infirmitas.

31 Præcipitantia est incontinentia, quâ quis subito ad peccandum abripitur.

32 Infirmitas, ἀσθένεια, est incontinentia, quâ quis prauis cupiditatibus & affectibus aliquadiu resistens, tandem ad malum prolabitur; Et hæc incontinentia priori deterior est.

33 Patientia restat hoc loco considerandæ, vt virtus imperfecta, quæ casus & aduersitates, quæ nobis accidunt, perfert vt potest.

34 Eius extremum in excessu est Obduratio; in defectu Impatientia & mollities.

35 Hucusque de virtute morali absolutè cōsiderata; virtus moralis considerata cum gradu, est vel mediocris, vel excellens, siue heroica.

36 Virtus moralis mediocris est, quam communes & mediocres naturæ possident & exercēt.

37 Virtus moralis heroica est, quam naturæ singulares excellentes & heroicæ possidēt & heroicè exercent; itaque non specie, sed gradu tantum differt à virtutibus moralibus mediocribus, perinde vt feruor differt à tepôre.

38 Et hęc quidem heroica virtus rarissima est, quam nec temere quis sibi arrogare, vel aliis tribuere debeat. Vix enim singula secula singulos Heroas ferunt.

39 Virtuti Heroicæ opponitur Feritas, & Immanitas, vitium nempe tale, quod malitiam humanæ naturæ superare videtur, & ad naturā diabolicam accedere.

40 Fuit Disciplinæ Ethicæ pars prior, quæ est de virtute morali tanquam primo medio ducente ad

te ad Bonum ciuile: restat altera pars, eaque breuissima de Amicitia, tanquam altero medio boni siue felicitatis ciuilis.

41 Amicitia autem est vel perfectè, vel imperfectè dicta.

42 Amicitia perfectè dicta, est vnio bonorum in mutuo amore tam virtutis ipsius, tum sui ipsorum propter virtutem, quam mutuis officiis colunt. dicitur *amicitia honesta*.

43 Amicitia imperfecta est vnio in vtili & iucundo, quæ eatenus tantum bona est & laudabilis, quatenus vnionem in virtute morali, id est, amicitiam honestam respicit & ab ea pendet: vocatur *amicitia vtilis & iucunda*.

Et hic finis esto Ethicarum Thesium, quibus nobis propositum fuit, compendium ac synopsin Disciplinæ Ethicæ breuissimam concinnare.

PROBLEMATA.

1 *Cur Verecundia, Continentia, &c. dicantur virtutes imperfectæ?*

DIcuntur istæ virtutes imperfectæ: primo ratione generis: siquidem virtus perfecta est firma & constans qualitas, quæ altis in mentes hominum radicibus infixa nec senio euelli, nec igne comburi, nec naufragio perire potest, nec vnquam florere desinit, Cic. teste; Semiuirtus autem est saltem passio quædam, & deinde ex passione leuis aliqua expressio siue dispositio voluntatis & affectuum. Neque ad extremum vsque vitæ halitum homini inest; sed vt Hyæna & Ichneumon nunc mas nunc fœmina: ita hæc breuissimo temporis

interuallo sæpè mutatur. 2, ratione obiecti: Illa enim plenè domat appetitum moralem, ita vt nihil affectet quod honestatis fines transgrediatur: hæc nondum plenè habet voluntatem & appetitum domitum, vt vel in continente videre est. 3. Ratione causæ: Illa enim præceptis & vsu acquiritur: hæc non tam crebris actionum exercitiis, quam vel natura implantatur, vel etiam vnius exemplo concitatur. Quocirca à Philosopho lib. 6. c. 13. φυσικαὶ ἀρεταὶ appellantur hi affectus, certisq; notis insigniuntur, quibus cognosci queant.

2 *An pudor conueniat omni ætati?*

Non leuis de hac re intercedit controuersia Aristoteli cum Platone. Ille quidem verbis expressis c. 9. lib. 4. Ethic. Nicom. negat, inquiens: *Non omni ætati hic affectus* (verecundiam puta) *congruit, sed iuuenili.* Et paulò post: *Laudamus quidem ex iuuenibus verecundos, senem vero nemo laudaret quod sit verecundus.* Cui refragari videtur Platonis vox, quâ Iouem dum metueret humano generi ne periret, misisse Mercurium qui pudorem & iustitiam omnibus & singulis tribueret, profitetur. Nec dissentire tutò licebit: si præclara verecundiæ encomia intueamur, quam pro multis egregie exornat Val. Max. lib. 4. c. 5. *Parens*, inquit, *est omnis honesti consilii, tutela solennium officiorum, magistra innocentiæ, chara proximis, accepta alienis, omni loco & tempore amabilem præ se vultum ferens.* Quin & à Cic. *Custos virtutum omnium dedecus fugiens & laudem maximã sequens* appellatur. Quod si hæc vera sunt, vt sunt; quis Verecundiã & senibus detrahere ausit? Sed lis tota distinguendo dirimitur. Verecundiæ enim vox interdum sumitur strictè & specialiter, & sic senibus non conuenit verecundari: interdum latè, pro omni pudore, & sic etiam in senem cadit, quamuis nec sic quidem satis laudabiliter; verum enim est illud Philosophi: *Nihil oportere senem agere eorum, propter quæ pudor existere solet.* CL. Piccol. congruere verecundiam omni ætati affirmat: quia, ait, dantur senes ætate, iuuenes moribus, quibus minus malum est verecundari, quam sine verecundia patrare scelera.

3 Cur

3 *Cur Verecundia purpuret genas, & cur quidam pudore affecti erubescant, quidam palleant?*

Huius rei causam expositurus Seneca sic inquit: Bo- " num in adolescente signum est, cum illi ex alto rubor " suffunditur: magis in iuuenibus apparet, quibus & plus " caloris est, & tenera frons: veteranos nihilominus & " senes tingit. In hocne verò acquiescendum? minime; " ob insufficientem causarum enumerationem nondum res acu tacta. Nos animi eius sensa verbis paulò clarioribus exprimere conabimur: Sciendum autem, pudorem concitari ex amore honesti, & metu infamiæ. Qui duo affectus concurrentes cor vehementius impellunt, cum duo agentia sint fortiora vno. Cor vehementius commotum impellit spiritus, & simul sanguinem venis inclusum: sanguis commotus attenuatur & fertur sursum, & quidem versus eam partem, quò maxima copia spirituum ruit, nempe ad instrumenta sensuum: & quia tenuiores & molliores musculi circa latera buccarum & circa genas, ideo sanguis sanguinisque color euidentius ibi apparet. Nouit hoc Diogenes, adolescenti cuidam erubescenti atque ob id perturbato, respondens: *Macte fili confide, istiusmodi est virtutis tinctura.* Si autem cor & temperamentum non sit rectè compositum, atque adeo vbi metus tantum infamiæ adest & non simul amor honestatis, ibi sanguis spiritusque potius recedunt versus cor, tanquam ad fontem suum, in quo conseruentur, & ob id vitiosæ naturæ non tam erubescunt, quam pallescunt, ad infamiæ turpitudinisque metum. Et sic mens Catonis percipitur, qui sibi magis placere iuuenes aiebat rubentes quam pallentes; quòd rubor arguat probatam indolem, pallor non item.

4 *An Impudentia sit deterior pudore rustico?*

Quamuis neutrius suscipere velim patrocinium, tamē maiorem huic quam illi veniam deberi affirmârim. Et quidem propterea; quia propius ad naturam verecundiæ accedit: parum enim a recta actione declinans

non vituperatur, neq; in maius neque in minus, sed qui plus declinat, vt refert Aristoteles lib. 2. c. vlt. 2. Accedit Prudentiæ monitum, quo plerumque ad excessum magis, quam defectum fugere iubemur; quia excessus difficilius mutari & emendari potest. 3. minus malũ est, nec tam execrandæ vitiorum multitudini obnoxium, illa verò maximus in cœtu hominum morbus est, vt Euripides canit: & iuxta Xenophontem, Μεγίστη ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. 4, Neque illud negari potest, quod plærosque nimium pudeat ad euitandam turpitudinis maculam, & quod ciuilitatis præceptis facilimè corrigantur: De impudẽtia verò vtinam idem asseuerare liceret! Cuius rationem reddit Plutarch. Quisquis pudore vacat, non sentit dolorem ex turpibus factis; & quia non sentit dolorem, non cupit emendare, sed semel verecundiæ fines transgressus, gnauiter posthac fit impudens. Nam *Redire nescit, cum semel perit pudor*, vt Comicus ait.

5 *Cur natura imbecilles & timidi, vt & literati, facilius ad* συμπάθειαν *commoueantur, quam alioquin alii?*

Imbecilles & timidi facilè mouẽtur ad misericordiã, quia horum cor rarum & minus compactum, quale est in sexu muliebri, qui & ob eandem causam facilè alterius miseria commouetur. Doctrina exculti: quia norũt res rectè expendere, & quia imagines istæ pulcherrimarum rerum, quas in natura didicerunt, magnum naturæ & hominum amorem impresserunt; nã ex pulchritudine oritur amor, vt rectè dicere possimus: *Didicisse fideliter artes, Emollit corda*, &c. Accedit & hoc, quod exculti literis varias historias legerunt, ex quibus discunt, quam facilè hoc ipsis possit accidere, quod alii experiuntur: Nam

Accidit in puncto quod non speratur in anno;
Et perit in puncto, quod non reparatur in anno.

6 *Quî fiat, quod adeo commune vitium sit Inuidia?*

Quid amabo, communius? *Figulus figulo, faber fabro inuidet:*

inuidet: Inuidiā nemo nisi pessimus quisque caret. Acquiescimus autem & quidem lubentissimè in ratione ab Adoardo Gualando cap. 4. lib. 3. methodi Philosophiæ moralis tradita, cuius verba subscribere libuit: Cum, inquit, quilibet propriam perfectionem, & eximias optet voluptates; idcirco nobilissima omnium facultatum obiecta expetit, ipsasque facultates, quam exactissimè fieri possit, ad eas percipiendas accommodatas. Verum quia quid absolutè optimum sit, vel optimè affectum cognitu difficilimum est, & si probè cognosceretur, non ita facilè illud adipsci possemus; ideo fit, vt aliorum, præsertim æqualium, bona spectemus, eaque aut æquare aut etiam superare conemur. Cumque assecuti illa simus, alia maiora prosequimur, oculos assiduè in eos coniicientes, quos nobis æquales aut paulò superiores existimamus, vt eos primum æquare, deinde etiā superare possimus. Ita vt cum omnes ferè viuentes vicisse videamur, cum defunctis etiam certemus, si quos egregios fuisse iudicemus: quod si nulli huiusmodi iudicentur, cum nasciturus certamus, vel cum nobismet ipsis, vt ea demum videamur cupere, quæ nullus vnquam possederit, aut potis sit possidere. Etenim omnis homo natura non minus posse quam scire desiderat, cum sint agendi principia. Hinc fit, vt ii, qui vere opibus nō excellunt, nihilo secius glorientur, & iactent, ostententque se ac sua bona; vt credantur habere eximia omnia, & cæteris admirationi sint ac laudentur. Laus enim quanquam præcipuæ virtutis signum videtur: est etiam omnium bonorum indicium. Hac autem de causa non modo sua bona inquirunt homines, verum & aliorum mala. Hinc oriuntur inuidiæ, detractiones, irrisiones, aliaque eiusmodi. Hæc ille. Mirum tamen profecto est, pestem hanc tam tetram passim per omnes mundi totius regiones, vrbes, vicosque vagari, quæ non tam alios, (vt testatur Ambrosius) quàm eum, qui possidet, lacerare solet. Et memorabile est Paradoxum Gregorii Nazianzeni: Inuidia est omnium perturbationum iustissima & iniustissima. Iniustissima, quia est odium alienæ felicitatis, respectu superiorum, quia eis nō æquatur; respectu inferiorum, ne sibi æquentur,

» respectu parium quia sibi æquantur, vt præclarè Augu-
» stinus. Iustissima, quia dominum, inquit Greg. suum
» exedit & consumit dira malignaque lues, quia dolosè
» adeò pectoribus hominum illabitur, vt prius omnia
» occupet quam sentiatur ingredi. Dæmon vernaculus ac
» familiaris qui admittitur facilè, sed non nisi magno la-
» bore eiicitur. Hæc ille. Et sane si dicta hæc altiori men-
tis indagine inquiramus, fides minimè iis erit detra-
henda. Nam & ratione animi & corporis sibi maximè
obest inuidus; Ratione animi: 1, quia virtutum cultu-
ram negligit, sine qua efferescat oportet, ne ad frugem
bonam eueniat. Hinc honesti nihil, nihil præclari ge-
rit, sed in turpissima nequam hominum colluuie delite-
scit. Neque negari illud potest, quod æternam ignomi-
niæ labem cōtrahit, dum bonorum interitum exoptat,
desiderioque maximo expectat. Vincere eosdem nequit:
Bono.n.vt grauiter Cicero, nequidquā mali euenire po-
test nec viuo nec mortuo, nec vnquam eius res negli-
gentur à Deo immortali. Aut si fato quodam vincat,
ecquid præmii, quid laudis remanet? elephantos vena-
tur, muscas capit. Siquidem vir bonus feliciter agens
(εὐτυχῶν) commune bonum est ciuitatis & vniuscuius-
que qui felicitatis eius particeps fieri cupit. Hac igitur
ratione sibi quoque inuidus nocet. Si spectetur corpus,
proh Deum quot expositum morborum telis! Et qui-
dem propterea, quod dum ægris alienam felicitatem o-
culis intuetur, tristitiam animo concipit, quæ natiuum
cordis calorem extinguit, & iter velut morti præparat.
Quid plura? hinc

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes;
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi mouere dolores,
Nec fruitur somno, &c.

Vt graphica Ouidii descriptione erudimur.
Et Virgilii de Liuore:

Liuor tabificum malis venenum
Intactus vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

7 *Quatenus*

7 *Quatenus probanda sit vox illa vulgo trita*: Suſpicio non cadit in virum bonum?

Sæpè abuti hoc dicto ſolent homines, & id applicare ad Prudentiam, per quam iubemur non facilè omnibus fidere, cum tamen aliud ſit, non facile fidere, aliud mali quid de altero ſuſpicari. Nam cum non fidimus alteri, nobis ſaltem cauere volumus: & quidem Prudentiæ impulſu: *Nuſquam enim tuta fides*, & celebre eſt illud Epicharmi:

Conſtat in hoc neruo ſapientia, fidere nulli,
Aut ſi vis vlli fidere, fide parum.

Suſpicantes autem de aliquo mali aliquid, vtique iidem iniuriam facimus. Et hæc improborum indoles eſt. Vt enim quiſque eſt optimus, ita difficilime eſſe alios improbos ſuſpicatur. Cic. ad Q. F.

8 *An Æmulatio ſit reipub. vtilis?*

Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quisque maximè gloria ducitur; quapropter rerũ ab aliis geſtarũ magnitudinem ſuperare, & quo maiora venerint, eo maiora poſſidere conamur. Reipublicæ emolumento & commodo? Ita putârim. Quis enim DEI O. M. laudes prędicari, artiũ humaniorum ſtudia propagari, Reipub. ſalutẽ augeri, propugnari, cõſeruari non optet? at qui id præſtent niſi virtutum laude clari? quorum quò plures eò certior de reipub. tranquillitate ſpes reſtat. Verum enimuero quomodo talium numerus creſcat, ni quisq; vel æquare vel ſuperare præclaras ingenii dotes aliorum ſtudeat, neque naturam vno partu effœtam arbitretur? O beatam rempub. cuius ciues virtutis amore incenſi illuſtrium facinora ſuſpiciunt, eaque non verbis, ſed ipſa re exprimere omni neruorum impetu ſatagunt! Nunquam Roma ad ea perueniſſet honorum faſtigia, niſi plerisque eius ciuibus tale quid perſuaſum fuiſſet. Neque interim inficias eo, facilime æmulationis affectum mutari in odium & inuidiam; ſed notum ſit ſufficere, ſi non omnino, ſaltem ex aliqua parte hominum excellentium laudes in nos transferamus. Ambitione non æmulatione ducebantur Cæſar & Pompeius; quo-

rum alter parem, alter maiorem ferre noluit. Alioquin æmulatio suis terminis circumscripta equus est currum vitæ nostræ in cœlum deuehens. Vt meritò Hesiodi musa cecinerit ἀγαθὴ δ' ἔρις, &c. *Salutaris est æmulatio hominibus.*

9 *An Themistocles trophæi Miltiadis* æmulus *potius quam* inuidus *appellari debeat?*

Libuit facinus Themistoclis non ignobile alioquin in dubium vocare, quo inuidiæ & æmulationis propria viuis suis coloribus depingi & ab omnibus discerni queant. Hic adolescens etiamnum potabat & scortabatur, referente Plutarcho; sed postquam Miltiades ad Marathonem Persas vicisset, non amplius offendebatur Themistocles in tabernis; sed insani instar huc illuc, modo sursum modo deorsum, per vicos & plateas noctu cursitabat. Quærentibus qui id fieret, respondit: *Miltiadis trophæum me non sinit dormire.* Quæ si ad Lydium veritatis lapidem expendamus, euanescet facile eorum opinio, qui inuidiæ Themistoclis ea asscribunt. Constat enim insigne aliquod indolis animique specimen hoc facto Themistoclis editum fuisse, nefas credentis, nisi vt genere ita & virtute Miltiadi præstaret, aut par fieret: à quo quantum abhorreant inuidi, iis patebit, qui inuidiæ innatum cogitabunt, famæ bonitatem non tantum altis velut superciliis repudiare, sed aliis eò laborantes aditum intercludere, atque eorum salutem ægerrimè ferre. Nonne inuidi eorum omissis quibus inuident virtutibus, solis saltem vitiis incubant? ea exaggerant, in vulgus dispergunt, quamuis ad interitum viam parant? Diuersum in Themistocleo apparuit ingenio, qui nobilem Miltiadis victoria a gente ignobili reportatam voce quá potuit clarissima in apertum protulit, virtutis non vitiorum præco existens. Et ne multus sim: Inuidia in malis, æmulatio in bonis regnat naturis, qualis in Themistocle fuit.

10 *Rectène*

10 *Recténe in Ethicis de Pœnitentia agatur?*

Vendicat ſibi hunc locum Theologus, ſed longè alio fine quam Ethicus. Ille ſpiritualem conſiderat & ſalutarem, quæ non eſt niſi in hominibus fide ſaluifica præditis: Hic tantum moralem, quæ etiam fuit in honeſtis Ethnicis. Sicut ergo aliud eſt Honeſtas, aliud Pietas: ita aliud quoque eſt dolor ob honeſtatem violatam, de quo hoc loco agimus: aliud ob pietatem violatam, de quo Theologus tractat.

11 *Num is qui in concepta animo ſententia praua perſeuerat, continens potius quàm pertinax appellari mereat?*

Quæſtionis huius occaſionem præbet Ariſt. lib. 2. Eth. cum dicit: *Si in omni opinione permanentem reddit continentia, mala eſt quemadmodum ſi in falſa: Atque ſi ab omni opinione efficit diſcedentem, erit aliqua bona incontinentia.* Quæ verba quid ſibi velint haud ægre percipitur, modo notetur duplices eſſe eos qui à ſentẽtia & propoſito diſcedunt, vt idem monet c. 9. quidam id faciunt amore honeſtatis & veritatis, vt nempe non prius animum mutent, niſi rationibus euidentibus conuincantur. Sunt qui faciant id quadam animi leuitate, & commodi alicuius & lucri delitiis irretiti. Priores verè ſunt continentes, & neutiquã pertinaciæ veneno delibuti: Continens enim perſeuerat in honeſto propoſito & in ſententia vera: quod ſi non ſit bona, patitur ſe ab eadem dimoueri: pertinax ſemel mente conceptam opinionem tuetur, nec ſe ab ea depelli concedit, vnde & ἰσχυρογνώμων à Philoſopho appellatur. Poſteriores autem incontinentes ſunt, propterea quia voluptatis œſtro perciti cum aëre animum mutant.

12 *Incontinens peccetne ſciens?*

Grauis Ariſtoteli cum Platone de hac quæſtione intercedit controuerſia: ille negat, hic affirmat, hoc fretus fundamento. Si ſcientia eſt fortiſſimum & potentiſſi-

mum quid in homine, ab inferiori, concupiſcentia ſcilicet, vinci non poterit. Antecedens probat, quia nimirum eſt dux appetitionum & actionum, eſtque boni & mali iudex. Ariſtoteles experientiæ teſtimonio nititur. Sed nulla remanebit difficultas, ſi vocabulū ſcientiæ ſano ſenſu accipiatur, quod vel habitum vel actum denotat: Habitu incontinens præditus eſt; non enim ignorat quid apprehendendum reiiciendumque ſit, ſed actu deſtituitur, cum ob perturbationum vim & impetum impeditus in portu veræ rationis permanere non valet, ſed cum videat meliora, tamen deteriora ſequitur. 2, Deinde peccat quoque incontinens ſcientiâ generali; quando nempe exploratum habet, turpia eſſe fugienda, voluptatumque incantamenta eſſe condemnanda: interim in ſpecie ignorat hoc vel illud cuius amore capitur eſſe vitandum. 3, Diſtinctis temporum interuallis conſiderari debet. 1, ante actionem, tumque præditus eſt ſcientiâ tam generali quam ſpeciali. 2, in actione, tunc enim ſimilis eſt ignoranti; quia animus perturbatus eſt prauis affectibus, vt non poſſit eâ notitiâ quam habet frui. 3, poſt actionem; tunc enim redit ad notitiam quam ante habuit, ita vt incipiat eum facti pœnitere.

13 *An incontinens alimenti & Veneris, deteſtabilior ſit incontinente iræ?*

Affirmat Ariſtoteles c. 6. lib. 7. his argumentis: 1, quia incontinens iræ aliqua ex parte audit rationem, eiusque mandatum conatur exequi, quæ iubet illatam iniuriam vindicari, tantum in eo peccat, quod nimis cito, antequam plenum rationis mandatum acceperit, aut etiam nimis acerbè ad vindictam properat, quapropter & celeribus miniſtris comparatur, qui priuſquam ſenſa domini perceperint excurrunt, poſteaque officium minus rectè faciunt: Incontinens autem cibi & Veneris nullo modo audit rationem, ſed ſolo ſenſu fertur & prolectatur voluptate guſtus & tactus. 2, Altera cauſa, quia incontinens iræ magis apte agit: voluptuarii autem agunt callidè & occultè, ſeque in tabernis abdunt. 3, Iræ incontinentia proficiſcitur à tempera-

temperamento, contra verò à voluptate magis incontinentia Veneris & alimenti. 4, quia iusto dolore incontinens iræ videtur excitari ad vindictam; voluptuarius autem nullum habet honestum prætextum, sed ex mera petulantia peccat.

14 *An virtus heroica specie differat à mediocri?*

In virtutum genere ea maximè fulget eximiamque in animis hominum parit admirationem, quæ *heroica* dicitur, & hominem super hominis condicionem eleuat. Rarior autem & acquisitu difficilis est, ob id *diuina* appellata. Quapropter inuēti sunt qui distinguerent eam specie à reliquis; sed horum sententia consistere non potest. Nam primo vtraque virtus tam mediocris quàm heroica idem habet genus, nempe habitum; neque enim casu quodam hæc virtus heroibus inest, sed multo labore, multo sudore acquiritur. 2, circa idem versantur obiectum, nempe voluptatem & appetitum rationalem & ad finem eundem collimant, nimirum felicitatem ciuilem. Concludimus ergo gradu tantum, non specie heroicam virtutem à virtute mediocri differre, quod & in Thesibus professi sumus.

15 *Quæ sit causa virtutis heroicæ?*

DEVM vt conditorem, ita & informatorem heroum & causam primam ac principalem nemò negarit. Quia tamen Deus sine mediis opera sua ordinaria in effectum nō producit, idcirco & in heroe media spectanda sunt, eaque vel interna, vel externa. Interna sunt, ardens illud & inexplebile, quo heroum plærique ducuntur, desiderium finis cuiusdam eminentioris, dum nempe vulgari hominum sorte neglecta altiora spirant, publicæ non priuatæ rei curam gerentes. Externa sunt: 1, propositi executio, executionisque cōstantia: ne eius, quæ est in virtutum radicibus amarulentia aut oneris grauitate deterreantur, nec voluptatum illecebris irretiti, prouinciam semel initam deserant, nec affectibus impediantur; sed quod semel cœperunt acerrimè persequantur. Fortuna quoque multum auxilii submini-

ſtrat: quia herois eſt ea vincere quibus paſſim humana conditio ſuccumbit.

16 *An heroes rectè æquiparentur Deo?*

Homerus Hectoris enarraturus laudes, Priamum talia fantem introducit:

—— οὐδὲ ἐῴκει
Ἀνδρός γε θνητοῦ πάϊς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

Et plurimos ethnicarum gentium heroes deorum cum hominibus concubitu oriundos credula vetuſtas credidit. Nimirum, quia hac virtute præditi magis ad DEI quam hominis ſimilitudinem accedere videbantur. Et rectè quidem. Etenim plerique mortalium mediocres tantum impetus habent, & aſſuefacti ſunt, vt actiones virtuti conſentaneas mediocres edant: pauciſſimi vltra hos virtutum gradus euehi ſtudent: ob raritatem itaque vt etiam peculiarem eminentiam, meritò vulgarem hominum vitam & ſtatum ſuperare dicuntur illi, in quibus heroica virtus elucet. Cum neque in hominum poteſtate ſit, ſic vel aliter naſci, & ſingulari quodam modo & afflatu diuino ad hanc virtutem ſit opus.

17 *An virtus heroica reperiatur in muliere?*

Si natura fœminam ſolertem, induſtria literatam, educatio piam, experientia ſapientem facit, quidni & heroem? Semiramis, Zenobia & aliæ è vetuſtate teſtes citari poſſunt planè heroicę virtutis fœminæ; Sed & noſtrum ſeculum heroinis non deſtituitur; Ne longius abeam, in medium prodeat illa Angliæ totius ſpes, decus, gloria, ELISABETHA, cuius ingenii aciem cum prōpta animi magnitudine ad ſtuporem vſque miramur. Quæ ſanè tela ſunt non imbellia pro imbelli ſexu. Nihilominus hac laude ſpoliari ab Ariſtotele videntur, qui 1. Pol. c.4. nulla ratione eam mulierum quam virorum virtutem eſſe ait. Quid hic? res tota limitando determinatur. Nempe fœminarum natura dupliciter conſideratur, vel ordinarie quatenus hic ſexus eſt maſculino inferior, ob temperamētum humidū frigidumque

& ſic

& sic nullo pacto locum in muliere hæc virtus habet; vtpote quæ respicit ingenium acre, excellens, igneúm; vel extraordinariè, quatenus nimirum DEVS sexu hunc masculis interdum virtutibus exornat, atque adeò ex fœminis viros facit, si non corpore, saltem animo.

18 *Cur filii heroum vtplurimum noxæ?*

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Canit quidem egregiè Poëta; sed sæpè regula fallit. In Cyro quæ refulsit naturæ generositas? quæ animi fortitudo? mortem eius nemo non doluit grauissime, vitam nemo non exoptauit ardentissime. At in filio Cambyse, quæ morum fœditas, quæ scelerum horribilitas? sexcenta alia occurrunt exempla. Causam in nutritione liberorum positam esse dixerim Nam si filii parentum pollere debeant dotibus, idem quoque temperamentum corporis (cuius constitutionem animi mores sequuntur) a parentibus trahant necesse est. Quod quidem commodiori ratione implantari nequit quam lacte materno, quod nihil aliud est nisi sanguis alteratus, ipsaque eius substantia. Cum verò, proh dolor, id moris sit vt plærique non matrum, sed nutricum curæ committantur, earumque lacte nutriantur, fit, vt cum lacte nouo nouam attrahant substantiam, & non parentum, sed nutricum corruptissimarum moribus imbuantur. Accedit quod vna cum lacte materno liberis instilletur amor matris, atque adeo matres ardẽtius liberos amẽt, quibus substantiã suam communicarunt; vbi autem amor ardentior, ibi educatio felicior. Qui cum languescat in istis mulieribus, non vsque adeò strenuam educationi curam impendunt, omniaque appetitui, voluptati, ne dicam nequitiæ fræna laxant. Sed & magnis negotiis occupati Heroës domesticæ educationis, quã debebant, curã gerere non possunt, vnde indulgentiori istâ & dissolutiori disciplinâ filii cor-

rupti à virtute patrum degenerant. Quin & hoc fine DEVS talia exempla vult extare, vt agnoſcamus, virtutem excellentem non eſſe rem hæreditariam, ſed donum cœleſte, quod à DEO ſit imprimis petendum atque expectandum.

19 *Cur exitus heroum ſæpè ſint infelices?*

Plena ſunt hiſtoriarum volumina de infelici & triſti heroum exitu, cuius cauſas inueſtiganti duæ occurrent: quia heroes igneæ ſunt naturæ, & ob ſpirituum copiam varios ſentiunt impetus, quorum vehementia abripiuntur & à vera rationis norma deflectentes in miſeriarum abyſſum præcipitantur. Altera ſita eſt in inuidiæ magnitudine, cuius cum idem gradus eſt ac virtutis, idcirco inuidiæ telis expoſiti anguem in ſinu fouent, atque ab inuidis in magnas calamitates coniiciuntur; quod exemplum Scipionis & aliorum plurimorum teſtatur.

20 *Quale vitium ſit Feritas ſeu immanitas, & an ſit deterior vitio communi?*

Quemadmodum virtus Heroica eſt fulgor virtutis eleuans nos ſupra humanam conditionem; ita feritas eſt peruerſio humanæ appetitionis infra eandem nos deprimens. Cum ergo id quod præſtantiori opponitur ſit quiddam deterius, videri poteſt, quam execrabilior vitio feritas ſit, innuente Ariſtotele lib. 7. c. 1. Rurſus idipſum negat Philoſophus, ſibique contradicere videtur eodem lib. c. 6. inquiens: ἔλαττον δὲ θηριότης κακίας. *Minus quiddam eſt feritas vitio.* Sed lis tota diſtinguendo componitur. Feritas enim vſum rationis excludit vel omnino, quod rarius: vel magna ex parte, quod ſæpius propter humorum vitioſorum copiam aut aſſuetudinem. Si excludit rationem, vtique vitio non eſt deterior. Si autem rationem coniunctam habet, vtique omni vitio longè eſt deteſtabilior.

21 *Quodnam ſit Amicitiæ genus?*

Solem è mundo tollere videntur, qui amicitiam è

vita

vita tollunt, quâ nihil à Deo immortali melius habemus, excepta sapientiâ, nihil iucundius. Itaq; non igni, non aëre, non aquâ, pluribus in locis vtimur quam Amicitiâ. Quin Arist.1.c.lib.8. amicitiæ encomia & vtilitates indagat, vt eo vehementius dolendum sit, rei tam insignis essentiam inenarrabili definitionum varietate obscuratam clarè à nobis non conspici posse. Ponitur autem à multis Ethicis genus amicitiæ virtus, quibus quo minus adstipulemur, sequentes seriò mandant Canones Logici. Quia genus cum sua specie debet esse eiusdem prædicamenti: cœlum igitur terræ commiscere tur, si virtus ad qualitatem pertinens, adiungeretur amicitiæ, in classem relatorum reductæ. 2, Genus nunquam est suæ speciei causa, subiectum aut accidens: Iam verò qualis illa erit amicitia, gemmulis virtutum orbata, quæ solitariè & principaliter hominum animos inter se colligant, vt paulo pòst erudiemur. Taceo quod virtus inter bona interna; hæc inter externa numeretur, teste Arist.c.9.lib.9.Nicom. De quo plura videri possunt apud Piccol.g.7.c.9.&10.

22 *Si amicitia non est virtus, num ergo virtute præstantior?*

Nulla possessio, nulla vis auri & argenti pluris æstimanda est, quam virtus, inquit Seneca in epist.67. Idem asserit de Amic. Cic.9.Famil. *Nihil est aptius vita, nihil ad beatè viuendum accommodatius, quam cum viris bonis, iucundis, amantibus nostri viuere.* Cui igitur palma porrigenda? diuersimodè sentiunt authores. Aristot.quidem verba c.1. lib.8.in amicitiæ partes declinant dum perhibent: Amicitiam quoq; ciuitates continere, maiori legislatoribus quam iustitiam curæ esse. Nec multum ab eo discrepant Pythagorei, quibus amicitia singulis virtutum generibus præferebatur, quin imo commune virtutum vinculum appellabatur. Nos controuersiæ nodum dissoluturi virtuti primas concedimus: 1, quia omne efficiens est dignius & præstantius suo effecto: Iam conspicuum est fontem & scaturiginem amicitiæ esse virtutem, hac vilescente exarescant & amicitiæ riuuli oportet. Addo, id quod in nostra potestate & prælectione situm est lō-

gè præstat eo quod non est: Tale quid est virtus: nulla autem amicitiæ vincula tam arcta sunt, quæ virulentis hominum pessimorum calumniis non attentari & lædi queat. Accedit deniq; quod sine virtute nullo modo, sine amicitia aliquo modo felix quis esse possit.

23 *An amicitia propriè dicta possit esse inter malos?*

Aristoteles lib.8.cap.3. tres amicitiæ species recenset, quarum prima ex iucundo, 2. ex vtili, 3. ex honesto conflatur: posteriores duæ imperfectæ sunt: prior perfecta est, eaque à malis iniri in æternum nequit. Nimirum, τελεία ἐστὶ τῶν ἀγαθῶν φιλία τε κατ᾽ ἀρετὴν ὁμοίων, cuius cum ne vestigium quidem vllum in malorum appareat naturis, ecqui fieri potest vt veneranda venerandæ amicitiæ iura ab iis colantur? sublata sanè causa efficiente principali tollitur res ipsa. Nonne verum & illud, quod amicitiæ vinculis annexi mutuo sese prosequantur amore honestatis causa? at mali, vulturum instar prædæ inhiantium, aut lucri aut voluptatis spe sese inuicem amant, quâ si fraudentur, illico amicitia dissoluitur. Voluptate allectus malus malo adulatur; adulatione autem pestis amicitiæ maior nulla est, inquit Cic. in Læl. deinde hoc vitio corrupti nihil boni efficiunt: amici sunt in obsequio, hostes in animo, compti in verbis, turpes in factis, læti ad prospera, fragiles in aduersa, inflati ad obsequia, anxii difficilesque ad honesta. Porro amicorum omnia sunt communia, nempe vsu, si non possessione: at improbi vt vastum illud auaritiæ barathrum expleant, omnia propriis commodis emetiũtur. Hinc iniuriarum quæ oritur seges! cum nimirum per fas & nefas opes corraduntur; hinc discordiæ, rixæ, simultatesq; internæ & clandestinæ, quæ perniciosissimũ amicitiæ venenum propinant.

24 *Quodnam amicitiæ fundamentum?*

Fundamentum amicitiæ est vel remotum, vel propinquum, vel proximum. Remotum est similitudo naturæ & ingeniorum, tum & studiorum & actionum vitę, si nimirum talem nanciscamur, cuius cum moribus & natura congruamus. Simile enim cognatum est simili,

nec

nec vllo vinculo arctius colligantur, quam similitudine ingenii, naturæ, morum, fortunæ. Quod expressit Poëta inquiens:

Seni senilis vox est iucundissima,
Puero puer, mulieri mulier congruit,
Ægrotus ægrotanti, cui res aspera
Sunt, is experto calamitatem concinit.

quod citat Plutarchus in lib. de disc. adul. & Amici. Propinquum est mutua noticia & diuturna vitæ consuetudo. Idq; seriò admodum monet Aristoteles 8. Nic. c. 3. Opus est tempore & consuetudine, iuxta prouerb. Nemo facilè reddatur amicus nisi cum quo modium salis cõ ederis; nec esse prius nec recipere oportet amicos priusquam alter alteri appareat amicitia dignus. Proximũ est mutua beneuolentia & conspiratio seu consensus in virtute tam morali quàm intellectuali, quę sola amicitiæ perfectæ scaturigo & fons est.

25 *Vtrum præstantius sit in amicitia, amare vel amari?*

Affirmatiuæ patrocinatur Aristoteles 8. Eth. cap. 8. Δοκεῖ δὲ ἐν τῷ φιλεῖν μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ φιλεῖσθαι εἶναι. Et quidem grauissimis commotus argumentis: 1. Nam si vel ad solius naturæ confugiamus tribunal, illico apparebit mater continuis sobolem amplexibus fouens, interno amoris fomite incensa: nec tamen tantopere redamari potest, nec etiam desiderat. Quî sic? quia laudi sibi ducit naturæ mandata exequi, quib. decretum est vt Storgæ descendant, non autem ascendant. Tum quoq; extra omnem dubitationis aleam constitutum est axioma illud: *Virtutis laus in actione consistit*: siquidẽ actio passioni præstat: cũ itaq; amor sit proprium virtutis & velut character animi virtute pditi: inficias ire quis audeat multũ antecellere τὸ φιλεῖν τῷ φιλεῖσθαι. Tacendumne? Amorem velut gluten amicitiæ esse? amans enim quid aliud nisi amatum ad redamandum allectat, inuitum manibus pedibusq; pertrahit? Non idem amatus efficere valet.

26 *An amicitia præferenda affinitati?*

Simpliciter prærogatiuã tribuit amicitiæ acerrimus amicitiæ defensor Cicero: *Namque hoc præstat amicitia*

affinitati, inquit, *quod ex propinquitate beneuolentia tolli, ex amicitia non potest: Sublata enim beneuolentia, amicitia nomen tollitur, propinquitatis manet.* Non desunt tamen qui naturæ ductum sequi suadeant, sanguinisq; coniunctionem velut causam amoris principalem eligi. Sed sciendum, amicitiam considerari vel absolutè in se, vel comparatè, quatenus nimirum ad coniunctionem sanguinis accedit. Amicitia in se considerata longè præcellit dignitati affinitatis, tanquam dilecta virtutis filiola; posteriori modo accepta herbam lubens concedit affinitati, tam ex naturæ quàm virtutis genere oriundæ.

27 *An ob opinionum diuersitatem iure Amicitia dissoluatur?*

Si idem velle & idem nolle ea demum vera est amicitia, quomodo

Non eadem sentire bonos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia?

Speciosa sanè obiectio. Sed assentiendum Aristotelis sententiæ: c.6. lib.9. Eth. φιλικὸν ἐστιν ἡ ὁμόνοια, διόπερ οὐκ ἔστιν ὁμοδοξία. Differunt autem modis potissimum duobus. ὁμόνοια enim non est nisi inter notos, & inter eos qui amicitiam colunt vel colere possunt: ὁμοδοξία verò potest esse inter ignotos & inter inimicos, nec est proprium amicitiæ attributum, alioquin aut nunquam abesset, & non nisi bonis (inter quos amicitia perfecta contrahitur) adesset, quod experientia negat. Adhæc ὁμόνοια est propriè consensus mentium in rebus practicis ad virtutem moralem & ciuilem societatem, atque adeò ad res gerendas pertinentibus: ὁμοδοξία est conuenientia sententiarum magis speculatiuarum, scilicet disputationum ad artes & scientias pertinentium: Cum ergo aliud quiddam sit theoria, aliud praxis, quidni in hac conuenire, illa dissentire amicis saluo amicitiæ iure liceat?

28 *An in aduersa vel secunda fortuna magis amicis indigeamus?*

Dum sequor ambages & res & tempora perdo: Rectâ igitur quæstionem hanc non minus grauem, quam vtilem aggrediar; de qua Arist. lib.9. c.11. hæc est opinio: *Magis necessarii*

necessarii amici sunt in aduersis ; at pulchriores in secundis. Huic suauiter accinit illa Ciceronis vox:, *Et secundas res splendidiores facit, & aduersas partiens communicansq; leuiores.* Ad splendorem amicitiæ faciunt, quia eo melius amicitiæ munera obire valemus, aliisque opera nostra indigentibus beneficia exhibere. Sed si vlterius progrediamur, tam læto quam tristi fortunæ statu amicis egemus. Nam vt cuique homini res parata est, ita firmi amici sunt, si labant res lassæ, itidem & amici collabascunt; idcirco ingens ægro animo solamen est, vnum aliquem in conspectu suo gestare, cuius fide & virtute fretus aspera forti perferre animo queas. Taceo quod tum vires amicitiæ maximè elucescant, vt pulcre Ouidius:

Scilicet vt fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est conspicienda fides.

Et Comicus: Is amicus est, qui in re dubia te iuuat cũ opus est. Rursus rerum omnium abundantiâ fruentes, quantâ laborant in Charybdi? tum quoque opem amicorum implorare decet: nam;

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis;
Nec facile est æquâ commoda mente pati.

29 *An amicitia diuturnâ absentiâ & ἀποδημίᾳ dirimi queat?*

Memorabile est Plutarchi dictum in lib. de πολυφιλίας, cum inquit: ἡ ἀληθινὴ φιλία ζητεῖ τρία· τὴν ἀρετὴν ὡς καλόν· τὴν συνήθειαν, ὡς ἡδύ· τὴν χρείαν, ὡς ἀναγκαῖον. *Vera amicitia tria requirit: 1, Virtutem tanquam honestum. 2, Consuetudinem tanquam dulce. 3, mutuam operam officiorum tanquam necessarium.* Quæ si adhibeantur ad dilucidationem huius quæstionis, facilè patebit cuilibet, amicitias absentium posse quidem debilitari, non autem necessario extingui. De virtute vt exordiar, illa perpetua est, quam primum habitum eiusdem acquisiuimus; hac existente, amoris & beneuolentiæ mutuæ vetustas illæsa manet. Consuetudinem quod attinet, illâ quidem carent: & ideo dixit Arist. ex veterum autoritate, quod ἀποδημία multas amicitias soluerit: resarcitur tamen temporis diuturnitate & literarum crebritate, animoq; præsentes sunt, corpore licèt absentes.

30 *An amicitia perfecta possit esse inter multos?*

Quemadmodum Briareo manuum, & Argo oculorum multitudo nihilo plus felicitatis attulit, sic quos τῆς πολυφιλίας titulus adeò suauiter demulcet, non sunt feliciores iis quorũ amici vix tot, quot Thebarũ portæ. Id quod asserit Philosophus lib.8.cap.5. *Perfecta*, inquiens, *amicitia vni cum multis intercedere nequit.* Nempe vera amicitia posita est, si honestatem spectes, ἐν ὑπερβολῇ, excellentia quadam & summo gradu amoris, quod autem est in excellenti gradu, id ad vnitatem proximè accedit. 2, amicitia vera requirit, vt valdè alteri placeamus; vnus autem omnibus non ita valde placere potest, imò qui id studet, nemini tandem placet. Vera amicitia est tantum inter bonos, qui sunt pauci. Adde, quod ad amicitiam longo opus sit tempore & diuturna exploratione: plures autem difficulter rectè explorare & probare possumus. Vtile si quæratur, vtique multitudo amicorum nobis multum detrimenti importat; cum pluribus opera opibusque nostris prodesse pestis facultatum nostrarum sit, quod pulcrâ declarat similitudine Plutar.
„ Vt fluuius, inquit, in multos diductus riuos fluit tenui-
„ us; sic beneuolentia in multos distracta languescit. Nec
„ si iucunditatem quæramus, πολυφιλία exoptanda est: Amicis enim vtendum est vt condimentis in cibo, quorũ ea est proprietas, vt si parcè aspergantur, reddant cibos suauiores; si verò in magna copia affundantur summam nauseam afferaut vescenti: vt egregiè Arist. lib.9.cap.10. ratiocinatur.

31 *An amicitia ortum trahat ex paupertate?*

Ita ratus est Plato, quando *Peniam*, id est indigentiam
„ matrem amoris statuit. Cui Cicero videtur repugnare,
„ his verbis suam sententiam probans: Vtilitates etiam
„ ab his percipiuntur sæpè, qui simulatione amicitiæ co-
„ luntur & obseruantur temporis causa: In amicitia au-
„ tem nihil fictum, nihil simulatum, & quicquid in ea est,
„ id verum est & voluntarium. Quapropter a natura mi-
„ hi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia, &

appli-

applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, «
quam cogitatione quãtum illa vtilitatis esset habitura. «
Et paulò pòst: Si ob indigentiam amaremus amicum, «
tunc fœneraremur beneficia, & lucri causa ea in amicũ «
transferremus. Sed controuersiæ cardo in vnius voca- «
buli, indigentiæ nimirum, enodatione vertitur. Hæc
enim vel externa est, vel interna. Externam si spectes,
tum quidem in confesso est omnibus, nullam per se a-
micitiam honestam ex hac non scaturire, cum lucrum
in ea non quæratur. Et si vtilitas amicitias conglutina-
ret, eadem commutata dissolueret. Interna verò indi-
gentia iterum consideratur, vel quoad nos, vel quoad
alterum. Priori modo respicimus finem potissimum,
nempe vitæ coniunctionem, quâ primo caremus, hac
deinde fruentes conseruationem quoque eiusdem ex-
petimus. Arist. cap. 5. l. 8. Deinde desideramus alterum
cui bona nostra communicemus, & beneficia confera-
mus, quib. certè amor præeat necesse est, scilicet omnis
amicitiæ causa.

32 *Vtrum pugnent inter se amicitiæ & cha-
ritatis lex?*

Cum acerrimis verbi diuini calcaribus instigemur
non tantum familiaritatis vsu nobis coniunctos, sed et-
iã inimicos æq; ac nos ipsos diligamus; quorsũ tã arcta
illa duorum triumve connexio? Crederem, ni & speciale
præceptum aliquod generali huic annexum esset præ-
cepto. Neq; enim parem omnibus exhibendam esse be-
neuolentiam vel hinc colligitur, quod maiori vxorem
quam parentes, liberos quam extraneos; fideles quam
infideles amore prosequi nos vult D. Paulus Col. 3. Gal.
6. Quin & ipse Redemptor noster ardentius dilexisse Io-
hannem Apostolum reliquis suis discipulis non obscu-
rè perhibetur Ioh. 21. v. 13. Quid? quod ipse Dei Spiritus
execretur & damnet amicitiam & animorum coniun-
ctionem violantes, Psal. 40. Micheæ 7. Non loquar de
mutuo atque singulari Ionathæ & Dauidis amore, qui
Deo tam gratus erat, quam qui gratissimus. Nec displi-
cere potest hic ordo: si enim virtutis studium florere de-
beat, vtique & eidem mancipati complectendi & præ
cæteris amandi erunt.

33 *An quilibet sibi maximè debeat esse amicus?*

Subtiliter de hac materia disserit Philosophus lib.9. c.8.quo in loco tandem distinguendo respondet, φιλαυτίαν esse vel improborum, vel proborum.Illa sic dicitur, quando nempe ratio sensibus mancipatur, & quisque sibi soli placet reliqua despectui habens. Hæc, quando rationi sensus obediunt, & est summâ laude digna. Deinde diligere sese dupliciter accipitur, vel vt obiectum dilectionis, vel scilicet vt subiectum siue finis. Diligere vt obiectum non se, sed Deum tenetur homo, & sese eminentiora à quibus perficitur:nam obiectum tanti facere debemus, quantum suâ naturâ pretiosum est. Diligere vt subiectum in bono honesto, seipsum maximè debet, nam talis erga alios qualis quisque in se ipso affectus est, & nemo non sui perfectionem imprimis quærere debet.

34 *An amicitia contrahenda cum illis qui fortunâ & dignitate nos excedunt?*

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit:

Scitè & verè Poëta canit. Vtinam plærisq; in medullis id hæreret, & sequentes rationes nobiscum considerarent.1, Quia amicitia conflari debet inter eos qui eiusdem naturæ & conditionis sunt, quiq; solius honestatis desiderio feruntur:Dispares enim mores disparia studia sequuntur; & studiorum dissimilitudo dissociat amicitias. Nec ob aliam causam vllam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse morum studiorumq; distantia, vt Ciceronis vtar verbis. 2, quia in amicitia dispari infinita rixarum, & suspicionum sparguntur semina, quibus pestis amicitiæ capitalior nulla existit. Et quod maximum; qui potentes sunt cum inferioribus hominibus plerumq; tantum imperfectam amicitiam colunt, nempè vtilem & iucundam vt monet Arist.lib.8.Eth.c.6. Qui potentia cæteris præstant delectantur modo amicis iucundis & vtilibus:neque enim quærunt iucundos cum virtute, nec vtiles cum honestate:sed

te:sed quoad iucunditatem quęrunt eos qui sunt faceti; quoad vtilitatem verò quærunt eos qui sunt laboriosi & solertes ad efficienda ea quæ imperantur.

35 *An abs quouis homine beneficium accipiendum?*

Concedit hoc Comicus: *Abs quouis homine cum opus est, beneficium accipere gaudeas.* Arist. cap. 13. lib. 8. diuersum suadet. Nam beneficium accipere est libertatem vendere, vt idem annuit Terentius: quapropter summopere animaduertendum, quo animo id offeratur. Sin amoris conciliandi gratiâ, nostrâq; virtute commotus beneficiis nos exornet, non mercedis, non glorię spe adductus, vtrâq; arripienda erunt manu. Sin verò vt maiora reportet, illico repudianda. Inspiciendus est quoq; locus, ne in publico hominum cœtu iisdem nos affici patiamur: Tacitè enim danda sunt beneficia, vt nota sint solis quibus dantur. Considerandum quoq; volens an nolens id nobis quis offerat. Ingratum sanè est beneficium quod diu inter manus dantis hæsit, quodq; ægrè dimittere visus est, & sic dare tanquam sibi eriperetur. Sen. epist. 82.

36 *Vtrum æstimatio beneficii competat danti an verò accipienti?*

In amicitia vtili beneficii æstimatio cautè facienda est: Si nimirum is qui beneficium in nos contulit, pactũ fecit, iam iste beneficium æstimauit: quando verò pactũ nullum expressè intercessit, nec est determinatum quid & quantum retribuere accipiens debeat, tum æstimatio magis est penes accipientem quam dantem. Idque his rationibus c. 1. lib. 9. Arist. probat: quia qui nihil determinat, tacitè liberam ęstimationem accipienti permittit. 2, accipiens magis nouit quantum sibi profuerit: magis iterum potest æstimare. 3, quia rerum venalium æstimatio pendet à iudicio emptoris non venditoris. 4, à testimonio quarundam rerumpub. in quibus non cõceduntur iudicia in eiusmodi liberis & voluntariis contractibus: nam æquum esse videtur, sicut danti liberum fuit dare quid & quantum ei est visum. Denique quia dãs, sua pluris æstimare potest, propterea quod sua sint, quam æquum est, ideo refrenandus ab accipiente ne nimium æstimet.

37 *Qui fit, quod benefactores ardentius ament eos quibus benefaciunt, quam contra clientes illos à quibus beneficia accipiunt?*

Eius rei causas aliquot acutè inuestigauit Aristoteles; è quibus prima est, quia is qui beneficium accepit, est quasi opus & factura benefactoris; omnis autem opifex magis suum opus amat, quam opus opificem. 2, quia honestum magis est amabile, quam vtile, dare autem est honestatis, accipere vtilitatis. 3, quia quod magis est durabile, magis est amabile; honestas autem est magis durabilis, idcirco benefaciens semper habet in memoria honestatem benefacti sui: is autem qui beneficium accepit, vtilitatem tantum sensit: vtilitas autem citò perit, ideo minus amat. 4, quia benefacere magis accedit ad amorem actiuum, qui est præstantior; beneficia accipere pertinet ad passionem, quæ est minus amabilis. 5, Deniq; quia difficilius & laboriosius est beneficia dare quam accipere: Ergo ex eo quoq; maior oritur amor.

38 *Ad quam amicitiæ speciem referenda sit illorum amicitia, qui in eodem periculo sunt constituti, itemque amicitia peregrinantium?*

Amicitia periculorum referri potest ad amicitiam iucundam, quia gratum est hominibus habere socios malorum, sicut milites amant sese mutuo processuri in aciem; quia iucundum est ipsis quod habeant periculi consortes: Sed & ad amicitiam honestam particularem, id est, eam quæ posita est in vnione fortitudinis, talis coniunctio etiam referri possit, quatenus nempe amicitia periculorum includit amorem, quo alter alterum prosequitur cum sperat se eius virtute in illo periculo adiutum iri. Peregrinantium verò amicitia magis ad iucundam accedit: quamuis peregrinantes interdum præter iucundum, & honestum respiciunt, si nempè alter alterius opera possit à prædonibus aut latronibus liberari. Atque hic quoque finis esto Problematum Ethicorum.

COROL-

COROLLARIA.

METAPHYSICVM.

An omne Bonum creatum idcirco Bonum dicatur, quia cum Deo similitudinem habet?

A Veritate in Metaphysicis ad Bonitatem methodo ducimur, & primò quærimus: vnde Res siue Ens bonum dicatur & propter quid? Respondemus autem, Bonitatem esse affectionem siue modum Entis per quē est amabile & appetibile, vnde Aristoteles 1. Eth. cap. 1. *Scitè veteres*, inquit, *id bonum definiuerunt, quod omnia appetunt.* Sicut ergò maximè clarè ac perspicuè intelligi est de natura veritatis, ita maximè appeti & desiderari est de natura Bonitatis. At verò id quod maximè appetitur, necesse est tale esse vt appetitum plenissimè possit explere. Si autem debeat plenissimè explere appetitum, necesse & vt sit tale vltra quod non sit aliud bonū quod appetitus possit desiderare; atque adeò sit primum, sit summum, sit infinitum, sit denique æternum. Tale vero Bonum est solus Deus. Iam porrò certa est regula: *Quod in vnoquoq; genere est maximè tale, propter illud reliqua omnia sunt talia.* Cum ergo Deus sit maximè appetibilis & desiderabilis, necesse reliqua omnia esse appetibilia & desiderabilia non à se, sed propter Deum, cum quo similitudinem habent. Et sicut sunt desiderabilia non à se, sed propter Deum, ita quoque bona sunt omnia alia non à se, non per se, sed propterea quia à Deo conseruātur & quia Dei tanquam primi summique Boni similitudinem habent. Quod qui ex Metaphysica doctrina intelligit, is demum solidè intelliget ista dicta sacrę scripturæ: *Vidit Deus quæ fecerat & ecce omnia erant valde bona.* Et illud Christi: *Nemo est bonus nisi solus Deus.*

ASTRONOMICVM.

An Astronomia rectè diuidatur in doctrinam de primis & secundis mobilibus?

COmmuniter ita diuiditur Astronomia; sed non tam ista prima est Astronomiæ diuisio, quam subdiuisio, quod ex eo patet, quia ad Astronomiam quoq; pertinet doctrina de distinctione Temporis, nempe annorum, mensium, dierum, horarum, quam *computum* vulgò vocant. Computus autem nec sub doctrina primi mobilis, nec sub secundorum mobilium explicatione continetur, sed est scientiæ Astronomicæ pars ab istis diuersa; Quapropter rectius Astronomia diuidetur in partem primam siue absolutam, quæ de primis & secũdis mobilibus tractat: & in partem ortam siue relatiuam, quæ est de distinctione Temporis quæ oritur ex corporum cœlestium motu.

CVRSVS

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXVIII.

CONTINENS SYNOPSIN DISCIPLINÆ OECONOMICÆ, SIMVL ET

præcipua Problemata eò pertinentia.

Deo Opt. Max. fauente

PVBLICE INSTITVTA IN GYMNASIO DANTISCANO,
28. Nouemb. Anno 1606.

Respondente

PETRO JANICHIO
Colbergense, Pomerano.

IVDICIORVM PVBLICORVM SIVE SCABINATVS IN florentiss. Repub. Dantiscana Præsidi Amplissimo

Dn. ERNESTO KERLL.

&

Assessoribus Spectatissimis atque integerrimis,

Dn. IACOBO	SCHACHMAN.
Dn. HIERONYMO	FICK.
Dn. GEORGIO	ROGGE.
Dn. GEORGIO	SCHVLTZ.
Dn. HENRICO	HEIN.
Dn. IOHANNI	CZIRENBERG.
Dn. EDVARDO	RÜDIGER.
Dn. HENRICO	à SÜCHTEN.
Dn. FRIDERICO	HÜTHFELDT.
Dn. EGHARDO	à KEMPEN.
Dn. DAVIDI	FISCHER.

Dominis & Patronis suis honorandis Hanc Oeconomicam disceptationem demissè,

offert & dedicat

P. Ianichius.

THESES
Complectentes *Synopsin* Oeconomicæ Disciplinæ.

1 Ethica indistinctè & communiter vitam & mores hominis gubernauit ad Bonum ciuile siue honestatem: Eam excipit *Oeconomica*, quæ est prudentia vitæ humanæ ad honestatem, atq; adeò felicitatem ciuilem gubernandæ in statu & Societate hominis cum homine primâ, nempe domesticâ.

2 Diuiditur autem Oeconomica in Generalem, & Specialem.

3 Generalis est, quæ de gubernando statu Oeconomico absolutè tractat, sine certo respectu particularium personarum, locorum aut temporum.

4 Oeconomica generalis tum primaria est; tum secundaria.

5 Primaria est, quæ de perfecto statu domestico tractat.

6 Perfectus status domesticus constat duabus partibus; nimirum Societate domestica, & Possessione.

7 Societas domestica est communio earum personarum quæ familiam constituunt.

8 Estq; vel prima; vel orta.

9 Prima societas est mariti & vxoris Coniugium, ortum ex vtriusq; legitimo consensu & vitę ac bonorum communione ad generis humani incrementum & vtriusq; mutuum adiumētum.

10 Huius Societatis pariter ac totius ſtatus domeſtici princeps & caput eſt Maritus ſiue Paterfamilias, qui id eſt in domo ſua, quod Rex in regno.

11 Itaque Patris & Matrisfamilias virtutes & officia vel ad ipſos inuicem ſpectantur, vel ad reliquam domum.

12 Orta ſocietas Domeſtica eſt tum primaria, nempe inter Parentes & Liberos: tum ſecundaria, nempe inter Dominum & Seruum, ſiue herum & famulum.

13 Societas inter Parentes & Liberos continetur tum officiis parentum erga liberos, tum liberorum erga parentes.

14 Eadem reciprocatio ſpectanda in Societate, quæ eſt inter herum & famulum, interque heram & ancillam ſiue famulam: hac tamen diſcretione, quod obligatio inferiorum, nempe liberorum erga parentes, & famulorum erga heros ſit arctior & ſtrictior, quam ſuperiorum erga inferiores; parentum dico erga liberos & dominorum erga famulos. Id quod ex natura Relatorum inæqualium facilè intelligitur.

15 Et ſicquidem breuiſſimè de Societate domeſtica: Sequitur Poſſeſſio, omne videlicet illud externum inſtrumentum, quod tribus iſtis ſocietatibus domeſticis neceſſarium eſt tum ad viuendum, tum ad commodè viuendum.

16 Circa Poſſeſſionem domeſticam tria conſiderãda veniunt; primò eius partitio, pòſt eiuſdẽ acquiſitio; deniq; adminiſtratio, ſiue cõſeruatio.

17 Poſſeſſio domeſtica omnis vel animata eſt, ſiue per ſe mobilis; vel inanimata.

18 Animata

18 Animata poſſeſſio domeſtica omnis vel primaria eſt, vt Seruus, qui hîc ſpectatur tanquam inſtrumẽtum Domini, non vt pars ſocietatis domeſticæ; vel ſecundaria, vt omnis generis pecudes, quas paterfamilias poſſidet.

19 Inanimatum inſtrumentum ſiue tale quod per ſe non mouetur, eſt vel naturale, vel artificiale.

20 Naturale, quod nempe à natura ipſa producitur; eſt vel primum, vt ager, hortus, ſylua, piſcina, fodina metallica: vel ortum à primo, vt frumentum omnis generis, legumina; in ſumma omne alimentum, ſiue cibus ſit ſiue potus; Ligna etiam & quæcunque terra mater gignit homini ad rem domeſticam neceſſaria.

21 Artificiale, quod nempe ab arte producitur, eſt vel continens, vt Domus; vel contentum: quod iterum vel vniuerſale & primarium, vt Numus, ſiue pecunia: vel particulare, vt eſt omnis ſupellex domeſtica.

22 Fuit partitio & diſtinctio poſſeſſionis. Sequitur acquiſitio ſiue modus acquirendi.

23 Acquiſitio eſt vel ordinaria, vel extraordinaria.

24 Ordinaria vel Naturalis, vel Artificialis.

25 Naturalis iterum eſt vel quoad modum; vel quoad ſcopum.

26 Naturalis acquiſitio quoad modum eſt vel ſimplicior, vel magis mixta.

27 Naturalis acquiſitio ſimplicior iterum vel Primaria eſt, vel Secundaria.

28 Primaria eſt Agricultura, Secũdaria eſt Paſtoritia, Venatoria, ſub qua Aucupiũ & Piſcatoria.

29 Naturalis acquisitio magis mixta est ex syluis siue lignis, & metalli fodinis, lapicidinis &c.

30 Naturalis quoad scopum est permutatio mercium alicui genti necessariarum cum mercibus, quibus altera gens abundat, non tam ad acquirendum lucrum, quàm supplendum naturæ defectum.

31 Artificialis acquisitio est vel Negotiatoria; vel Operaria.

32 Negotiatoria, est vel Mercatoria, vel Numularia.

33 Mercatoria est, quando merx lucri causâ empta ob id lucrum venditur.

34 Mercatura est vel liberalior, vel sordidior: item est vel domestica, vel externa, & hæc iterum vel terrestris, vel marina.

35 Numularia est vel Generalis, & dicitur *Vsura, fœnus*: vel Specialis, & dicitur *Cambium*, Wechsel.

36 Sequitur Operaria acquisitio, quæ est vel Officiaria, vel Opificum, vel Mercenaria.

37 Officiaria est, cum ex officio seu munere quod quis Reipublicæ causa gerit, aliquid acquiritur, vt sunt officiarii Politici, item officiarii in Ecclesiis, in Scholis; itẽ milites & officiarii bellici.

38 Opificum acquisitio est, cum opifex aliquid acquirit ex mechanico opere.

39 Mercenaria acquisitio est eorum, qui mercede locant laborem & operam aliquam corporis viribus magis quam animi præstandam.

40 Restat acquisitio extraordinaria, quæ est vel directa, vel indirecta.

42 Directa est, quæ fit vel per hæreditatem, vel per

vel per dotem, vel per donationem, vel per inuentionem & accretionem.

42 Indirecta est, quæ fit per contractum Assecurationis; per certamen deposito pignore; per ludum.

43 Hucusque de acquisitione possessionis domesticæ: Superest acquisitæ possessionis administratio, siue conseruatio.

44 Ea vel in genere spectatur, vel specie.

45 In genere spectata administratio duas habet partes: Prior est; Cauta erogatio eorum quæ vsus postulat; *Cauta*, inquam, & *cum modo facta*, vt semper fiat cōpensatio, & ne sumptus superet censum. Posterior est eorum quæ erogari non debent diligens custodia, & præseruatio à noxa & damno.

46 In specie considerata administratio domestica est respectu acquisitionis Naturalis, siue Agriculturæ.

47 Estque vel primaria siue Persica, vel secundaria siue Attica.

48 Persicus modus administrandæ rei familiaris est, cum ex iis quæ fundus noster fert ea omnia seruamus, quæ ad vsum nostrum domesticum pertinent; superflua tantum vendimus. Talem enim modum administrandæ familiæ Persæ tenuerunt.

49 Atticus modus est, cum quotannis omnes simpliciter agrorum & prædiorum fructus diuenduntur ad conficiendam certã pecuniæ summam, ex qua deinde aliunde iterum coemãtur ea omnia, quæ ad vsum domesticum requiruntur. Hic modus in familiis exiguis & tenuioribus ser-

uari poteſt; in maioribus non item, niſi fortè ſemel, vt omnium redituum annuorũ ſumma ſubduci & computari poſſit.

50 Conſiderauimus Oeconomicum ſtatum perfectum: Imperfectus ſtatus eſt, cui aliqua perfectæ ſocietatis domeſticæ pars deeſt, vt ſtatus viduorum, viduarum; item domus quæ liberis, aut famulis caret.

51 Hucuſque Generalis pars Oeconomicæ diſciplinæ: Specialis pars eſt, quæ tractat de domeſtico ſtatu reſtricto ad certas circumſtantias perſonarum & locorum & temporum.

52 Ratione perſonarum Oeconomia eſt vel publicarum perſonarum, vel priuatarum.

53 Oeconomia publicarum perſonarum eſt vel ſuperiorum, vt Oeconomia Regum, Principum, Magnatum; vel inferiorum, vt Officiariorum qui Principi vel Reip. ſeruiunt.

54 Priuatarum perſonarum Oeconomia eſt vel Nobilium; velplebeiorum vt ruſticorum, opificum, mercatorum.

55 Ratione loci Oeconomia alia eſt in vrbe; alia ruri. Item pro diſtinctione gentium, alia Italica, Germanica, Polonica, &c.

56 Ratione Temporis, alia eſt Pacis, alia belli temporibus. Pro harum enim circumſtantiarum diuerſitate diuerſis opus eſt ad Oeconomicum ſtatum obſeruationibus & regulis. Atque hæc etiam eſto breuis ſumma & Synopſis methodi Oeconomicæ.

PRO-

PROBLEMATA OECONOMICA.

1 *An post disciplinam Ethicam, & quidem etiam ante Politicam rectè doceatur de Prudentia Oeconomica?*

NOn ignoramus esse quosdam Philosophos Practicos, qui Politicam ante Oeconomicam tradendam esse existiment, imò Ethicam etiam Politicæ subiiciant, eò quod Politica totius, Ethica verò & Oeconomica partium rationem habeant; tum quòd Philosophus in 1. Eth. c. 1. & 2. disertè dicat Oeconomicam Politicæ esse subiectam, tanquam cuius finis reliquarum artium fines complectatur; tum quòd ciuitas naturâ prior sit quam domus, & quam singuli nostrûm, 1. Pol. c. 2. quodque adeò homo magis sit animal ciuile quàm solitarium, ibid. & cap. 7. lib. 1. Eth. item 9. Eth. cap. 9. & alibi. Verùm vt instituti & methodi nostræ ratio pateat, paulò altius quædam repetenda sunt. Sicut ciuile bonum siue felicitas & beatitudo vel priuata est vel publica; ita quoque homo eiusque voluntas & affectus dupliciter spectatur: Primo quidem absolutè, quatenus homo in se & per se est perficiendus sigillatim, separatim & solitariè, atque adeò promiscuè & indistinctè sine respectu vllius certi status in hac vita. Quo sensu Ethicam vocari *Monosticam*, i. e. scientiam vnius affirmat Ioh. Casus in Spec. mor. lib. 6. cap. 8. & Iavellus in procemio super decem libros Eth. Aristot. & tract. 2. c. 7. super lib. 6. Eth. vbi eam quoque *Personalem* appellat. Interdum verò homo consideratur vt pars multitudinis, tanquam scilicet qui voluntatem atque affectus suos in ea ita vult regere & componere, vt quia sibi solus non sufficit, iuuetur in his quæ sunt hominibus necessaria: vel quia virtutis operationes perfectas edere non potest, vt eas vsu ipso atque exercitatione certę multitudini (quæ est vel familia siue domus, vel ciuitas) cõprobet, suum

1. Eth. in fine cap. 8. 9. Eth. cap. 9. 1. Polit. 2. & 2. mag. mor. circa fin. c. 18.

cuique pro necessitate & dignitate, tribuendo, sic vt non solùm vir bonus, sed & bonus paterfamilias, sed & bonus ciuis dici & esse mereatur. Ex quibus iam vltrò sequitur, si hominem priori modo consideres, & Ethicam hoc respectu ad hominem applices, quod Ethica disciplina tanquam generale quid respectu Politicæ & Oeconomicæ, rectè præmittatur, cum vniuersalia prius & facilius à mente nostra cognosci testetur Zabar. c.10. lib.3. De meth. & disertè etiam Philosophus 1. Post. anal. tex.167. affirmet, esse secundum naturam, vt prius communia exponamus, postea verò ad propria & particularia descendamus, cap.1. 1. Phys. t.2. & c.7. eiusd. lib. t. 58. Zab. lib.1. c. 7. apolog. & à c.6. vsque ad finem ferè lib. 1. De meth. & alibi. Ita vt hinc etiam manifeste pateat, quod Ethica hoc modo absolutè spectata, peculiaris quædam disciplina sit & nequaquã Politicæ subordinetur, vel pars eius dici debeat aut possit. Si verò hominem posteriori modo consideres, prout scil. mores suos distinctè applicat & ad certum aliquem vitæ statum restringit, in quo virtutes debitas exerceat, tum quidem ad Oeconomicam & Politicam eius consideratio referri potest: Sed inde tamen non sequitur, quod Ethica sit pars Politicæ. Etenim in Physicis primùm de elementis absolutè, i.e. quatenus elementa sunt, docetur, postea verò cum relatione ad generationẽ, i.e. quatenus ingrediuntur mixtionem, & fiunt partes corporum mixtorum. Item de anima prius agitur quam restringatur ad hominem eiusque pars fiat, &c. Nec tamen doctrina elementorum in Physicis sit pars doctrinæ de mixtis corporibus; nec statim ars de conficiẽdis serris, aut aliis ferramentis, est pars disciplinæ architectonicæ, etiamsi ad domum construendam velut partes assumantur ferramenta, vt serræ, cardines & quicquid est eiusmodi. Neq; obstat hîc nobis locus Aristot. qui in principio cap.1. Magn. mor. dicit τὸ ἦθος, nullius rei partem esse quã Politicæ, atque adeò totam de moribus tractationem non Ethicam, sed Politicam meritò vocari posse; siquidem vt ex eodem loco apparet, loquitur ibidem Philosophus de Ethica non in significatione absolutâ & abstractâ, sed relatiua, aitque Ethicã, si propter quid discenda sit, non

tàm

tàm propter ſe, nec tàm propter Oeconomicam eſſe diſcendam, quàm propter Politicam, tanquam ſc. propter communius quid, nobilius & perfectius, cum natura ſemper id quod perfectius eſt, intendat: Politica v. reſpectu cæterarum partium Practicæ Philoſophiæ perfectiſſimum quid eſt. Ideoque etiam omne negotium quod eſt circa mores, propter Politicam ſuſcipi ibid. inquit, vtpote ex quibus velut ex principio illa primitùs conſtituatur: nam qualis eſt vnuſquiſque pro ſe, talis eſt & in repub. ita vt ſi quiſpiam ciuilibus in rebus ſolers eſſe debeat, eundem neceſſariò moris ſtudioſum prius eſſe oporteat, ſicut expreſsè ibid. Philoſophus fatetur. Vnde etiam Legumlatores & verè Politicos in id præcipuè incumbere ait, vt ciues ſuos, Bonos primum efficiant c.9. & vlt. lib.1. Eth. & c.1. lib.2. Eth. Quæ etiam ratio eſſe videtur, cur Socrates (& eum hoc loco & reſpectu ſecutus Ariſtot.) apud Platonem in Polit. totam Philoſophiam de moribus Politicam appellet, nihilque referre dicat, vtrū βασιλικὴ, πολιτικὴ vel οἰκονομικὴ vocetur. Neq; vero propterea duæ tantum ſunt Philoſophiæ Practicæ partes, licèt Ethica doctrina Oeconomicæ quoque diſciplinæ & inprimis Politicæ principia & fundamenta cōtinere videatur: ſic enim tantum abeſt vt duæ ſint, vt potius tres conſtitui partes debeant. Nam propterea quia principia & fundamēta Philoſophiæ Practicæ, atque adeò vitæ practicæ abſtracta quodammodo Ethica tradit, ideò eſt pars diſtincta ab Oeconomica & Politica: ſicut Arithmetica eſt diſciplina diſtincta a Muſica, quia in Arithmetica fundamenta Muſicæ docentur. Et Phyſica eſt diſtincta diſciplina a Medicina, quia in Phyſica fundamenta & principia Medicinæ conſtituuntur: Imò ipſa Politica eſt pars diſtincta a Iuriſprudētia; quia in Politica Iuriſprudentię fundamenta iaciuntur. Atqui refragari hîc nobis Ariſt. videtur, qui lib.1. Eth.1. & præcipuè cap.2. dicit reliquarum omnium diſciplinarum fines ad vltimum finem ſummumque Bonum ac felicitatem eius diſciplinæ referri, quæ reliquarum domina ſit atque architectonica, i.e. ad Politicam, quãdoquidem idem ſit bonum hominis, & bonum ciuitatis. Verùm enimverò cōparationem tantū Philoſophus hic

inſtituit inter bonum morale ſiue felicitatem abſolutè conſideratam, & ſpectatam cum certo gradu latitudinis cuiuſdam, per quam fit maius, nobilius atque adeò publicum bonum. Quod idem facit etiam cap. 7. dicti lib. vbi τὸ τέλειον ἀγαθὸν, ſiue αὔταρκες, illi quidem qui ſolitariam vitam agit, etiam competere ait, ſed magis ad ſtatum Oeconomicum & Politicum illud ſeſe extendere; vt inprimis lib. 9. Eth. cap. 9. de viro beato oſtendit. Omne enim bonum quô eſt latius & communius, eò eſt perfectius, pulchrius ac diuinius, vt loco antè citato ipſe Philoſophus ſeſe declarat. Quatenus igitur conſideratur felicitas vt bonum abſolutè, eatenus eius doctrina neutiquam ad Politicam pertinet, atque adeò Ethica hoc reſpectu non erit ſub Politica. Quatenus verò nō amplius abſolutè ſpectatur iſtud Bonum ſiue Felicitas, eatenus ad Politicam pertinet, ſed eatenus non conſideratur ab Ethico. Aliud enim eſt ſpectare bonum quâ bonum, aliud eſt ſpectare bonum quâ publicum; ſicut & aliud eſt conſiderare calorem quā calor eſt, & aliud conſiderare calorem quâ feruet. Item aliud eſt conſiderare lucem quâ lux eſt, aliud conſiderare lucem quatenus meridiana eſt. Non negamus quidem ciuitatem vt totum prius à natura intendi quàm domum & ſingulos homines, cum totum ſit generationis terminus primitate intentionis, vt declaratur apud Conimbr. lib. De gen. & corrupt. c. 4. q. 15. art. 2. ſed hoc tamen ſimul dicimus, quod natura ſaltum non faciat, ſed ſucceſſiuè à minimis per media ad vltima tranſeat. Nonne .n. vnum prius hominem DEVS condidit, deinde huic ſociam addidit, vt Oeconomiam inſtitueret, vltimo demùm ex hac velut propagine, domos, pagos, vrbeſque producerer? quod ipſe etiam Philoſophus apertè teſtatur 1. Pol. in prin. c. 7. & 8. Eth. c. 12. & 1. Oec. c. 1. vbi manifeſte dicit, priorem eſſe Oeconomicam Politicā; imò etiam iuſtitiā in Oeconomia prius floruiſſe, quando inquit 7. mor. Eudem. c. 11. Communicatio & iuſtum quodpiā erit, etiamſi vrbs nō ſit; nam & domus & amicitia quædam eſt: atque adeo capiti iſti talē colophonem addit: Quocirca in domo primùm fontes ac principia amicitiæ & politiæ & iuſti ortum duxerunt. Nam ipſa etiam ſatis probat ex-

bat experientia, quod cum homines barbari ad politicum ordinem redigendi sunt, prima cura adhibeatur, vt in moribus & honesta ad se inuicem cõuersatione prius instituantur. Nec vero refert, quod Politica (quã Plato in Theage omnium disciplinarum reginam ac principẽ, Arist. verò in Ethicis & in principio 1. Pol. κυριωτάτην πασῶν ἐπιστημῶν καὶ ἀρχιτεκτονικὴν, & βελτίστην δύναμιν. 1. Magn. mor. c.7. appellat) Oeconomicam sibi habeat subiectam, propterea quod finem optimum, perfectissimum communissimumque obtineat, ad quem scilicet vnicum reliquarum omnium artium ac disciplinarum fines omnes velut ad iustissimam metam dirigantur, & propter quem solum cæteros sibi acquirere omnis homo studeat, vt primis duob. capp. Eth. probat Philosophus, adeoque etiam hominem vt perfectissimum animal ad hunc Politicum siue communem finem in hac vita magis esse cõditum, quam ad reliquos ad hunc ducentes, 1. Eth. c.7. & aliis supra cit. locis ostendit. Nam hanc prærogatiuam Politicæ præ Oeconomica libenter concedimus; sed tamen quia de Politia duplex suscipienda cogitatio est, primò quatenus iam cõstituta est; deinde v. vt postmodò constituenda, priori modo Politica quidem dignior est Oeconomicâ, quia hæc ab illa leges accipit, vt subditi à magistratibus; & sic quidem priorem etiam locum Politica posset mereri: posteriori autem modo, & vt in Scholis cõsideratur, Oeconomica certè Politicâ indignior non est, cum hanc ab illa constitui necesse sit; nam ex pueris, i.e. ex Oeconomico statu sumuntur, qui rempub. gubernant, vt Philosophus in fine 1. Polit. fatetur. Cum etiam homo non solùm ciuile animal sit, sed & Oeconomicum, 7. Mor. Eud. c.11. imò magis coniugale animal quam Politicum, 8. Eth. c.12. quantò nẽpè prior magisq; necessaria est familia quàm ciuitas. Denique cum Politica τὸ ἀγαθὸν τέλος, siue finem optimum atque vltimum habeat, & verò Oeconomica videatur habere saltem finem intermedium; intermedii autem fines quia appetitum nondum terminant, necessariò præcedant vlteriorẽ, meritò certè Oeconomicam præmittimus, quæ nos ad Politicam ducere possit; non secus ac fluuiorum ductum sequuntur illi, qui viam ad

mare nesciunt. Quod verò Aristot. absolutâ Ethicâ de Politica statim se acturum promittit in fine lib. vlt. Eth. id certis & peculiaribus de causis, propter leges nimirum legumque positiones, de quibus dicere cœperat, sese facere manifestè indicat: Sicut aliàs quoque, vbi ordo facilioris cognitionis & necessitas doctrinæ postulauit, naturæ ordinem Philosophus præteriit, vt exemplo Relationis & Qualitatis probat Zabar. De meth. lib. 1. c. 7. Nam quod Oeconomica per se Politicæ disciplinæ necessariò præmitti debeat, ipse satis eo manifestũ reddit, quod multa Oeconomica præcepta toto lib. 1. Pol. tradat, antequam ad Politicam ex professo reliquis libris tractandam perueniat; præsertim cum speciales etiam leges iustæ & accommodatæ in Politico statu à magistratu ac legumlatoribus poni nequaquã possint, nisi Oeconomicum statum tanquam præcipuam ciuitatis partem exactè habeant cognitum, cum ad ferendas leges in repub. caput sit nosse Oeconomias, secundum quarum cõditionem diuersæ leges sanciendæ sunt. ita vt dubium amplius non sit, Oeconomicæ meritò secundum ab Ethica locum esse tribuendum.

2 *An finis Prudentiæ Oeconomicæ absolutus, & primus sit honestas œconomica?*

Sicut hominem illum qui honestam agit vitam, qui probatis moribus omniũ sibi deuinctos reddit animos, qui denique in pacata & honesta benè viuit Repub. felicẽ dicimus: Ita hunc quoq; qui in coniugio honesto & tranquillo viuẽs honestos habet liberos, morigeros seruos, fidas ancillas, imò totã familiã honestatis studiosam, infelicẽ profectò & miserũ appellare neutiquã possumus. Nã veluti beatã illius etiam vitã esse posse Philosophus probat 10. Eth. c. 8. & 7. Pol. c. 1. qui externis bonis mediocriter instructus est & tantis quidẽ, quanta honestę actiones postulãt, quãuis ἐν τῇ ὑπερβολῇ ea bona non habeat; Ita etiam Oeconomiam illam, quæ iucunda est, vtilis & honesta, sufficientem non immeritò vocamus, licèt splendida nondum sit & gradu adhuc careat excellenti. Nempe aquã quæ tepida est & nondũ summè calida, gelidam tamẽ dicere minimè solemus: simili ratio-

ne œco-

nec œconomiam verâ Dei agnitione cultuque destitutam, vt inhonestam fœdamque hominum in domo colluuiem nemo facilè damnauerit, nec coniugiũ in illâ tale, iniquum, aut liberos etiam illegitimos dixerit. Quis enim Chinenses istos, licèt veræ religionis ignaros, non laudabit? quis non felices eos prædicabit? cum œconomias habeant non solum virtutibus & honestati, sed & contemplationi deditas, adeò vt pro domestica supellectile & ornamentis, librorum multitudinem ostentent. Interim tamen hoc Bonum atque Felicitatem ex functionibus virtuti consentaneis ortam cum Aristot. c. 7. 1. Eth. & c. 2. 10. Eth. & in princ. 8. c. 10 Eth. libenter fatemur esse ἀνθρωπικὴν, siue humanam, atque idcircò certis finibus inclusam vitæque curriculo terminatam; sic tamen vt hæc ad cœleste bonum, atq; ad pietatem gradus sit non infimus. Vt enim Lucifer auroram, aurora diem nunciat; ita si vera honestas adsit, nõ dubia pietatis spes esse potest. Et quidem Philosophus noster etsi pietatis non expressam faciat mentionem (hanc enim œconomus, quâ œconomus in regimine domestico nõ spectat, sed quatenus supra œconomum quiddam excellentius quærit) non tamen eam negare videtur, sed beatiorem potius prædicare domum illam, in qua diuinæ contemplationes vigent. Ipse enim Philosophus etsi Ethnicus, omnes tamẽ homines monet, vt his terrenis non cõtenti cœlestibus inhient, cũ inquit circa fin. c. 7. Eth. 10. Neque verò nos oportet humana sapere ac sentire, cum simus homines; neque mortalia, cum mortales; sed nos ipsos quoad eius fieri potest, à mortalitate vindicare, atque omnia facere vt ei nostri parti, quæ in nobis est optima (quæ est anima) cõuenienter viuamus. Et in princ. d. c. apertè affirmat perfectam & absolutam beatitudinem esse ex θείῳ, quod est ὂν κα αὐτὸ, i. e. ex bono absolutè diuino & diuinitùs concesso; aut etiam ex illo bono, quod est ἐν ἡμῖν θειότατον; i. e. ex sublimi intellectus & mẽtis contemplatione, vt se ipsum hîc & cap. seq. declarat. Denique cum Aristoteles dicat bonũ, si cum alio vel minimo bono coniungatur, optabilius esse, quàm si sit desertum, 10. Eth. c. 2. & 1. Eth. c. 7. atque adeò quô bonum aliquod maius est, eô magis semper esse optandum

concedat: nullo etiam modo negabit humanum bonum diuino coniunctum tantò ardentius esse expetendum, quantò gradū excellentiorem & maiorem est sortitum, sed potius cū diuino nostro Philosopho 1. ad Timoth. 6. ℣. 6. exclamabit, μεγάλον εἶναι πορισμὸν τὴν εὐσέβειαν μετ᾽ αὐταρκείας. h. e. illum hominem, qui & œconomiæ sufficientiam, siue finem perfectum adipiscitur, & simul etiam pietatem colit, non modò temporariam, sed æternam quoque beatitudinem lucrari.

3 *An perfecta & primaria societas, h. e. coniugum, parentum ac liberorum seruorumque vnio sit a natura, atque adeo in natura fundamentum habeat?*

Videtur quidem prima domus constitutio siue domestica societas ex electione magis & consuetudine hominum primitùs orta, quàm instinctu naturæ, eo quòd multi solitariam vitam agere gaudeant, neque coniugio delectētur. Verùm sicut homo licèt ad laborem natus sit & aptus naturâ, non laborat tamen vel ob desidiam & obstinatam prauitatem, vel imbecillitatem etiam aliasque causas: sic idem etiam quatenus homo, societatis humanæ per naturæ inclinationem amās est; & si abhorreat ab ea vel etiam coniugio, facit hoc quia homine vel melior est vel deterior, vt inquit Arist. 1. Pol. c. 2. & Iauell. tract. 1. Oecon. Christ. c. 2. & tract. 2. c. 1. vbi quinque huius rei causas enumerat. Iam verò regula est, ea quæ per accidens sunt, non tollere id quod est per naturam, idcirco paucorum quoque indiuiduorum conditio toti speciei nihil præiudicabit. Et ratio sanè manifesta est. Nam DEVS & Natura diuersos sexus non condidit frustra, sed vt esset mutua vtriusque societas, quarum vna alterā occulto quasi naturæ impetu vt magnes ferrum ad se attraheret. Si enim ex mera voluntate hæc communitas fieret, soli homini tantum propria esset, cum tamen certum sit, eam homini quoque cum bestiis communem esse, quæ solâ naturâ, non ratione nec electione atque adeò nec voluntate feruntur, vt probat Arist. 1. Oec. cap. 3. Vbi hoc etiam addit, quod homo cum potentiam habeat generatiuam atque desiderium simile sibi

1. Gen. 1. Matt 19. v. 4.

2. August. lib. 19. de ciuit. Dei, c. 12.

3.

le sibi progignendi, hoc verò homini insit non quà homo est, sed quatenus viuit (viuere enim animalia etiam dicuntur & plantæ cum generant, 1.Eth.c.7.) quod, inquam, per communem naturam id habeat, 1.Pol.1. vnde & Pater liberis per naturam imperare dicitur, 8. Eth. cap.11. Sed cum impossibile sit fœminam sine mare, aut marem sine fœmina hoc adimplere, diuersorum sexuum coniunctionem natura ordinauit, vt ostendit Philosophus cit.c.3.Oec. & c.1.Pol.1.&. 2. De gener.anim. c.1. Et inprimis manifestè ait 8. Eth. c.12. Viri & vxoris amicitia existere naturâ videtur, cum homo per naturam ad coniugium tantò aptior sit, quàtò filiorum procreatio animantium omnium communior est. Qua causa moti IC. *lib.1.Instit. tit.2.* maris fœminæque côiunctionem siue Matrimonium *Ius Naturale* vocant; & Colum. ex Oecon. Xenoph. *naturâ excogitatum*, lib.12. c.1. Sed & Natura cum maxime sui conseruatiua sit, per hanc periodum adimplet sempiternitatem, si non secundum numerum & indiuidua, saltem sẹcũdum speciem, dicto c.3. Oec.1. Quapropter piè ibid. inquit: *Dispositus est à diuino numine vterque sexus & natura tàm maris quàm fœminæ ad communionem.* Quæ causa etiam procul dubio fuit, quod Romæ & in Latio 523. annis post vrbem conditam nulla vnquam fuerint diuortia, tanquam scilicet iuri ac legi naturæ contraria. Ita vt eadem hac ratione coniugia ad tempus contracta pro iustis IC. non habeant, cum indiuiduã vitæ consuetudinem tanquã formam non contineant, vt ex *tit.9.lib.1.Instit.* apparet, atque adeò diuortia per accidens saltẽ fieri dicant. Neque .n. homo vel in statu etiã primæuæ integritatis, sociam vitæ coniugem & conuictum etiam tantopere fuisset côplexus, si per accidens coniugalis societas extitisset, vt egregiè inter alios Augustin. probare videtur, vbi lib. 14. de ciuit. DEI c.21. & aliquot seqq. ait, nuptias ante lapsum etiam futuras fuisse & sobolis procreationem in Paradiso. Præterea ne parentes eorum quos genuerunt, curam abiicerent, neque prolem suam sicut coruus & cuculus pullos suos, desererent, tam ineffabilem amorem siue στοργὴν pectoribus eorum prouida implantauit natura. Hæc enim non ignorans hominem auer-

4.

1.Cor.11.v.11.

5.

6.

7.

8.

Gel.lib.4.c.3.

9.

De societ. parent. & liber.

1.

ſari moleſtias vt contrarium quid; ſummas autem moleſtias, curas, dolores, labores & vigilias eſſe circa ſobolis ſuſceptionem & educationem in infantia præcipuè, & has quidem à nemine libenter ſuſceptum iri, ideò in propriorum parentum cordibus tàm ardentes filialis amoris faces accendit, quæ omnes circa eam rem certiſſimas ægritudines facilè abſumerent. Et ſane cuiuis artifici velut ingenitum eſt, vt opus ſuum amet, lib. 2. Eth. in medio ferè c. 1. quid igitur naturales artifices, Parẽtes nempe, naturalia ſua opera liberos non impenſius diligerent? vtpote in quibus tanquam ſpeculis naturalibus ſeipſos iucunde velut intueri & contemplari poſſunt, 2. Magn. mor. c. 14. & 7. Mor. Eud. c. 10. Videmus etiam in animantibus aliis ſiue beſtiis peculiare, non tantum in generãdo, ſed etiam in natos conſeruando eſſe ſtudium, dicto c. 10. 7. Eud. Et ibidẽm cap. ſeq. manifeſtè Philoſophus inquit, hominẽ eſſe animal communicabile erga ea, quibuſcum naturalis cognatio illi intercedit, & hãc quidem communionem non iucundam tantum & vtilem, ſed & honeſtã plerumque in domo, h. e. inter parẽtes & liberos, præcipuè eſſe cit. iam loco & c. 12. Eth. 8. dicit. Ideoque 1. Oec. cap. 3. vbi hanc κοινωνίαν cum beſtiis quoque nonnullis humanæ rationis analogiam habentibus, præcipue autem cum cicuribus communem eſſe dixiſſet, hominibus maximè eam attribuit, vtpote qui non eſſendi causâ ſolùm, verum etiam benè eſſendi coniunguntur, filioſque procreant, non tantum vt naturæ illud ſacrum expleant, ſed vt commoda etiam mutuaque auxilia, mutuam beneuolentiam & cooperationes exinde ſuſcipiant, vt fatetur etiam 8. Eth. c. 12. & innuit quoque 2. Oec. initio c. 2. [Valentes enim parentes imbecilles ſuos filios labore tuentur & alũt, vt mox ipſi imbecilles ob ſenium facti à valentibus liberis eadem reportent. Quæ quidem omnia facile quis genitoribus ſuis denegaret, niſi ipſa natura liberorum medullis penitus infuſa contrarium (imò in ingratis etiam ſecretè) dictitaret filioſque parentibus ſuis naturâ debitores faceret, in fine lib. 8. Eth. & lib. 9. c. 2. & c. vlt. lib. 10. Imò niſi in belluis etiam experientia gratitudinis quandam ſimilitudinem declararet, vbi parens pro ſobole præſentiſſima

(Margin: 2. — 3. — 4. — Liberi cum parent. 1. — 2.)

tissima vitæ pericula sæpissimè subit, soboles iterum illi ἀντιπελαργῆσαι reddit.

De societ. domini & serui.

1.

Denique cum coniuges propter certas causas in domestico opere & in hoc vitæ humanæ statu, sufficientes sibi semper esse nequeant, non vnius, sed diuersæ conditionis homines natura prudenter creauit, ita vt alter alterius ope & seruitio vti posset, atque adeò hic serui & obsequentis, ille domini & præcipientis rationem haberet; ille instrumenti, hic verò vtentis. Vnde etiam Philosophus 8.Eth.cap.11. seruum vocat instrumentum, & quidem animatum: cum enim ὄργανον ἄψυχον ad iussum vel nutum domini opus suum conficere non valeat, ὄργανον ἔμψυχον vt habeat, necesse est, vt probat 1.Polit.c.3.& lib.5.Eud.c.6. vbi inquit: *Dominus seruo & seruus domino indiget, & vir fœminaque inter sese mutuò.* Et cap. quidem 4. 1.Pol. itemque c.6.lib.5.Eth.& c.11.7.Eud. seruum domini partem esse dicit (licèt seiunctam) quâ scilicet ad necessitatem velut tertia manu (vt loqui solemus) vti possit, & vt hæc iterum à toto vtilitatem quandam capiat, vt innuit lib.8. cap.11.Eth. Accedit vltimò, quod Arist.1.Pol.c.1.& 3.probaturus ciuitatem esse à natura, id ex 1.Oec.cap.2. faciat per mariti & vxoris, patris & filii, dominique & serui societatem tanquam per minima & incomposita: Vici enim & pagi quos maximè naturales esse dicit, quid aliud sunt quam domesticarum societatum collectio? ad quam commodius etiam conseruandam sermonem, soli homini naturaliter attributum esse ibidem affirmat. Sicut & Cic.1. Offic. apertè testatur, & hæc verba addit: Natura impellit, vt hominum cœtus & celebrari inter se & sibi obedire velit, ob easque causas studeat parare ea, quæ suppeditent ad cultum & ad victum; nec sibi solis, sed coniugi, liberis, cæterisque quos charos habeat, tuerique debeat.

2.

3.

4.

5.

4 *An bonum Oeconomicum oporteat simul esse bonum Physicum, cum domestica societas sit naturalis?*

Oeconomica societas eiusque disciplina Naturalis quidē est, cum eius principia partesque à natura sint, nō

tamen absolutè & ita simpliciter vt ipsa Physica, sed cõparatè & in suo vsu priuato definitè: ita vt ad domesticæ administrationis perfectionem (quam præcipuè natura hîc intendit) plurimum conferat, si Paterfam. domum constituturus ac conseruaturus, quid postulet aut ferat natura inprimis cogitet, sciat aut expertũ habeat. 1. Cum enim nõ arbitrio humano simpliciter regatur domus, sed naturæ inclinatione, impetu & legibus potissimum constet, ideo neque ex edictis Prætorum neque ex XII. Tabulis (vt ad illud Cic. 1. de leg. alludamus) sed ex ipsa hominis natura hauriri debet Oeconomici iuris disciplina: qui enim aliter hoc ius tradũt, incipiendi quidem Oeconomiã, nõ feliciter in ea progrediendi eamq; 2. conseruãdi viam ostendunt: Ita vt prudenter Plutarch. in lib. de educ. puer. dicat: ὁ βίος πρακτικὸς ἀμοιρήσας φιλοσοφίας ἄμουσος καὶ πλημμελής, h. e. *Ineptos esse eos & à recto aberrare, qui sine Philosophiæ cognitione vitã Practicam putant esse perfectam*; adeo vt perfectos eos esse homines expresè ibid. statuat, qui facultatem Politicam (cuius maxima pars Oeconomica est) coniungere & miscere cum 3. Philosophia possunt. Vnde Melanchth. sæpè dicere solitus est, vt repetit etiam Strigelius: *Bonum Physicum fie-* 4. *ri bonum Patremfam.* Nam vt taceamus, quod ex naturæ fontibus & physica veritate oporteat Ethicum in genere multa necessariò petere, vt apparet ex cap. vlt. 1. Eth. & c. vlt. 1. Magn. mor. & inprimis etiã 1. Oec. c. 6. vbi Philosophię studiũ pro temporis ratione Oeconomo com- 5. mendat, & alibi. Et probant etiam Conimb. in procem. super Phys. Arist. quæst. 5. art. 1. vbi egregium Platonis in Alcibiade dictum recitant, Oeconomum sanè plurima ex naturæ cõtemplatione propria, vel experientiâ aliorum in naturalibus scire necesse est, si vtiliter & laudabiliter fine suo potiri velit, vt testatur etiam Colerus in parte 1. Oec. suæ initio, cap. 5. ex Plinio & Columella, inprimis autem Arist. 1. Pol. c. 7. vbi Thaletis prudentissimum factum annotat.

5 *An plus curæ impendendum sit in societatem domesticam quàm in possessionem?*

Quod ad res acquirendas, rectè administrandas & fideliter

fideliter retinendas primariò & necessariò pertinere videtur, atq; adeò sine quo nihil horum benè fieri vnquã potest, illud ante omnia quoque & inprimis parandum esse nemo facilè negauerit. Iam verò cum duo præcipuè requirantur ad domus constitutionem & conseruationem media, nempe Societas & Possessio, 1. Oecon. cap. 2. Societas profectò tanquam naturâ prius & sine quo nõ, possessioni vt consequenti præferenda est, & opera danda inprimis ei, qui domum rectè volet instituere, vt de proba, sedula ac fideli societate sibi prospiciat, antequã de reliquis cogitet: illam enim si obtinere mereatur, non dubia felicitatis domesticæ spes erit; secus si contigerit, nil profecturis, heu littora bobus arabit. Sicut enim ciuitatum euersio non tàm murorum quàm morum casus est; sic & multarum domuum ruinas possessionumq; iacturam, non tàm infortunium quàm circa societatis delectum negligentia caussatur. Quia enim eiusmodi imprudentes homines naturæ ordinem planè inuertunt, & de posteriori, possessionibus nimirum & diuitiis ac dote vxoria prius cogitant, quàm de rerum suarum legitima & naturali in Oeconomicis constitutione, mirum non est omnia in peius ruere & retrò sublapsa referri, ita vt hanc stultitiam luere postea acerbè cogantur, dum acquisita pecunia dilabitur, vel ipsis adhuc viuis incuriâ vxorum & malitiâ famulorum ac liberorum, vel mortuis filiorum malè educatorum prodigalitate. Ideoq; per experientiam manifestum esse Aristot. cap. vlt. 1. Polit. rectè dicit, & monet quod plus studii & domesticæ disciplinæ debeat esse circa homines, quàm circa possessionem inanimatam, & circa virtutes hominum quàm circa virtutes possessionum, quas *diuitias* vocamus.

6 *Cuiusnam societatis domestica prima & potissima cura esse debeat pro felicitate Oeconomica consequenda?*

Vt fundamenti, super quo totius ædificii structura poni debet, cum primis habenda ratio est: sic quoque multò magis vniuersæ familiæ fundamentum, maritum & vxorem præsupponi conueniet. Absurdum enim fo-

ret, si ars naturæ imitatrix, ipsam naturam tanquam archetypum exemplar superaret. Quapropter naturam etiam Philosophus 1. Oec. c. 2. suadere dicit, vt ea quæ ad ὁμιλίαν siue conuersationem mariti & vxoris attinent, inprimis pulchrè dispensentur; vt monet etiam initio c. 3. vbi inquit: Inter ea omnia quæ ad homines pertinent, prima debet esse cura societatis inter vxorem & maritũ: ab hac enim omnes aliæ tum societates, tum possessiones domesticæ pendent non tantum quoad esse, sed etiam quoad benè esse, dict. cap. Ita vt hinc iam facilè causa intelligatur, quod propter nullas res magis quàm propter infaustas hasce societates coniugales, multæ Oeconomiæ tam esse suum quàm benè esse infeliciter hodiè amittant. Hinc nimirum illi, qui in ea opinione sunt, primam hanc Societatẽ Oeconomicã, quæ est inter coniuges, cæco quodam casu ac fortuito regi, vehementer falluntur. Quod ipsum Philosophus monet, affirmans ipsum Deum (quem rerum humanarum curam habere dixerat 10. Eth. c. 8.) coniugii autorem esse 1. Oec. c. 3. atq; adeò hoc præsente nuptiarũ sacra fieri vxorẽq; duci, 2. Oec. c. 2. vbi etiã hoc respectu honorem inter cõiuges mutuum appellat *sanctum*, atq; adeò etiam *sanctã eorundem societatem*: Et idcircò vxori tolerandos esse mariti mores, quia nempe per coniunctionem matrimonii atq; consortii hanc ipsi legem Deus imposuerit, cap. 1. 2. Oec. Ita vt illi, qui fortunam in hac re incusant, suę potius cæcæ ignorantiæ ac imprudentiæ id acceptum referre debeant; nam vt ex c. 9. lib. 2. Magn. mor. Poëta inquit: *Nullum numen abest, si sit Prudentia, sed te Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloq; locamus*, ipsi scilicet nobis fortuitum quid fingentes, dum nempe in rebus, (vt putamus) fortuitis nihil prodesse nostram prudentiam cogitamus, aut in fato etiam diuino nihil opus esse nostrâ industriâ nobis imaginamur, cum tamen certum sit ex c. 9. 1. Eth. Bona diuinitus nobis quidem dari, sed nostrũ tamen studium atq; operam accedere debere, quandoquidem tantam rem tam negligenter agere, imò rem omnium maximam atq; à Deo institutã arbitrio fortunę permittere valdè nefarium, contumeliosum ac flagitiosũ fuerit, vt latius hoc explicat Zuinger. super cap. 11. (vt ipse

An Coniugiũ diuinâ prouidẽtiâ, an fortuitò instituatur?

ipse distinguit) 1. Eth. Arist. Sic vt nec illud valeat, quod quis ex c. 18. lib. 7. Eud. obiicere posset: *A fortuna omnia proficisci*, &c. præsertim cum pluris æstimanda sint verba illa, quæ Philosophus mox subiicit: *In vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo, mouentur enim omnia ab inexistẽte in nobis numine*, ita vt in Prouerb. cap. 19. v. 14. Salomon quoq; rectè dixerit: *A Domino vxor prudens.* Neq; ideò etiam mirum, cum Philosopho nostro 2. magn. mor. c. 9. videri nobis debet, quod malis bona sæpius quàm piis obtingere videamus, adeoq; fortunatiora iis plerunque esse coniugia, cum speciales huius rei causas diuina patefaciat scriptura.

7 *Societas coniugum qualis esse debeat?*

Primò id requirit Aristoteles, vt Societas coniugum sit pudoris & reuerentiæ speculum, 2. Oec. c. 3. vbi Agamemnona vituperat, qui captiuam mulierculam Chryseiden suæ vxori Clytemnestræ prætulerit, vt de hac materia latius disputat Ioh. Casus in thes. Oecon. quæst. 2. super dictum c. 3. Arist. Ita vt valdè prudenter hîc etiam virum agere oporteat, & magnoperè attendere, quæ reuerentia, qui honor vxori conueniat, vt iustus & sanctus exhibeatur, cum nempe suo se honore spoliari vnusquisque (etiam fœmineus sexus) grauiter ferre soleat, nec tã gratum sit tribui nobis aliena, quàm molestũ sit ea quæ nobis debentur, adimi. Nihil verò magis suum est vxori, nec magis illi à viro præstandum, quàm sancta & intemerata societas, 2. Oec. 2. Vnde etiam pudorem in verbis & verecundiam requiri docet ibidem Philosophus, adeoq; metum pudoris & verecundiæ expertẽ vxori non esse incutiendum, cum id meretricii & inhonesti amoris proprium sit, non ingenuæ mulieris virum suum iustè & pudicè diligentis. Laudatq; cap. seq. Homeri sapientiam, qui non tantum ex coniugis erga maritum, sed etiã mariti erga coniugem amore, pudore & verecũdia mixtum quiddam fecerit & temperamentum gratissimum. Et valdè memorabile est, quod Philosophus 2. Oecon. 2. scribit: Debere sibi inuicem coniuges fidem ac reuerentiam propter Deum, in cuius conspectu nuptiarum fœdera contraxerunt. Et addit fore, vt coniunx tantò magis

studeat se fidam & commodam præstare, quantò ardentius diligi sese à marito animaduertet. Idq; probat cap. seq. 3. exemplo Vlyssis & Penelopes, vbi inquit: Eiusmodi castum animum Vlysses erga Penelopen gerens, absens licèt, nihil deliquit. Cum enim rogaretur ab Atlantis filia, quæ sempiternitatem ipsi pollicebatur vt secū maneret, ne ob id quidem prodere voluit vxoris affectū & amorem & fidem, maximum sibi supplicium arbitratus, si malus dum esset, immortalitatem haberet. Cum Circe etiam manere noluit, quanquam insuper sociorū salutem pollicente; imò respondit, nihil sibi dulcius videri posse, quàm patriam & incultam & asperam, magisq; optauit mortalem vxorem filiumq; videre, quàm fieri ipsum immortalem. Sic ille firmam (exclamat Philosophus) stabilemque vxori fidem seruabat, pro quibus meritò ab vxore eadem reportabat. Vt idem laudat Val. Max. in Druso Germanico & Antonia eius vxore, lib. 4. cap. 3. Alterum quod Societatem coniugalem inprimis commendat, est Concordia & tranquillitas.

——— *O nuptæ semper concordia vestras*
Semper amor sedes incolat assiduus,

inquit Catul. eleg. 1. & Phocylid. etiam Στέργε τεὴν ἄλοχον, &c. h. e. In precio habe vxorem tuam. quid enim suauius & melius, quàm cum viro vxor conueniat amicè ad senectutem, & maritus suæ vxori, neque incidat inter eos contentio. Adeò vt nihil melius ac præstantius hominibus euenire posse dicat Arist. 2. Oeconom. 3. ex Homer. Ὀδυσ. ζ. quàm si concordi voluntate vir & vxor domum gubernent. Si enim idem velle & idem nolle vera est amicitia, quid magis optandum inter coniuges, quàm vt idem in eodem rectè sentiant & agant: Si domestica societas quotidiana est, 1. Pol. 1. quodnam maius tormentum excogitari potest, quàm quotidiana coniugum discordia? Quapropter etiam præcepta & media concordiæ tum ineundæ tum conseruandæ Coniugatis præscribit Philosophus 2. Oecon. cap. vlt. vbi primò opus esse ait, vt maritus parentibus & cognatis suæ vxoris, & contra vxor parentibus & cognatis sui mariti eum honorem & reuerentiam exhibeat, quam suis propriis exhibendam putaret, cum coniuges iam quodammodò

Syrach. 25. v. 1. & 2.

vnum

vnum sint & idem, & ex vno quasi nati videantur, licèt corporibus diuersis ac separatis. Deinde vt mutuò sibi opitulentur, ea quæ propria sunt, in commune constituentes, d.c.12.Eth.8. imò vt communem & æquam curā gerant in administratione totius rei domesticæ, adeoq; alter alterum studio & diligentia omniumque bonorū genere, virtute & iustitia superare certet, vtpote cum magna sit tyrannis Æmulatio, quæ ipsius naturæ vires transcendere interdum soleat ruboris calcaribus stimulata, 2.Oec.4. idque propterea, vt in senectute depositâ curâ gubernationis domesticæ & sedato cupiditatū impetu facilius possint liberis rationem reddere gubernatæ familiæ, & ostendere, quod pari cura & industria rem familiarem auxerint. Tertiò vt vtrinque depositā omni superbiâ benignitatem & mansuetudinem colāt, cum eò maiora sint accepturi diuinitus præmia quantò in his magis excelluerint, c.4. lib.2. Oec. deinde cum hac sua modestia ad senectutem vsque veras laudes sibi natisque possint comparare, non procul à principio c.1.2. Oec. tertiò quia sic nutrimentum à liberis suis facilius in ætate effœta consequētur, 2.Oec.4. Denique vt in rebus simul prosperis & aduersis alter alteri fideliter adsit, 2.Oec.1. quia nimirum sic infortunii asperitatem prudentiæ & præsentiæ suæ fide mitigant, vt Valer. Maxim. lib.4.cap.6. egregio exemplo Hypsicrateæ ostendit, quæ tonsis capillis vesteque virili assumpta virum suum Mithridatem à Cn. Pompeio deuictum in fuga comitabatur, eique maximum solatium & iucundissimum lenimentum erat: deinde, quia hac fide & iustitia coniugali diuini numinis gratiam, in fine c. vlt. Oec. hominumq; gloriam merebuntur, 2. Oec.1. Præter has verò leges a suis vtilitatibus per se refertas alia ex ipso concordiæ concentu præclara oriri dicit commoda: 1, enim vigente concordia inter coniuges, amici & affines atque cognati vtriusque afficiuntur gaudio & lætitia, vt testatur Arist. circa fin. c.3.2.Oec. ex Hom. 'Οδυσ.ζ. & maiori sese amore inuicem prosequuntur, ita vt ad publicam quoq; pacem fouendam priuata hæc tranquillitas magnum afferre possit emolumentum. 2, ἐπιχαιρέκακοι & maleuoli spe sua frustrantur & anguntur plurimum, si videāt ma-

gnam esse concordiam inter coniuges, Aristot. & Hom. cit. locis. 3. quia per concordiam coniuges conseruant & augent suas possessiones, d. l. Deniq; 4. præcidunt occasionem tum malignis famulis, tum etiam inimicis, ne possint ipsorum fortunis nocere, ibid.

8 *An maritus siue paterfamil. habeat in se imaginem & similitudinem Monarchæ siue Regis?*

Quod Sol in cœlo, Princeps in mundo, hoc est Paterfam. in domo: sicut enim ad Solis & Principis nutum totus componitur orbis, ita quoq; ad solum Patremfam. totius rei domesticæ administratio pertinet, & ad hunc etiam doctrina Oeconomica primariò refertur, non aliter ac in aliis disciplinis species secundariæ reducũtur ad primariam. Vnde Aristot. 7. Eudem. cap. 5. inquit: *Viri erga vxorem ea ratio est, quæ principis erga subditum.* Et 8. Eth. in princ. cap. 7. in eminentia positam esse dicit patris erga filium, viri erga vxorem, & principis erga subditos amicitiam. Item cap. 10. & 11. Ethic. 8. item 7. mor. Eud. cap. 11. ait: Patria potestas regni speciem quandam præ se fert. Inprimis verò 1. Oeconom. 1. dicit: *Oeconomica est Monarchia.* Et 1. Pol. cap. 4. In re familiari imperium est vnius; nam ab vno regitur omnis domus. Et cap. 8. eiusdem lib. inquit: Patrisfam. est simpliciter præcipere ac præsidere tanquam imperantis. Idcircò etiam sub finem cap. 1. Polit. 1. affirmat domum regi ab vno Seniore, qui sit Paterfam. Et ex hoc etiam præclarè inquit Augustin. lib. 19. de ciuitate Dei cap. 14. Imperant qui consulunt, sicut vir vxori, parentes liberis, domini seruis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, serui dominis. Atque hoc est, quod omnibus gentibus videtur esse implantatum, quando aiunt quemlibet esse dominum in domo sua, & domum habent pro re sancta atque inuiolabili, putantes æquè magnum esse scelus, si paterfam. lædatur in propria domo, atq; si rex in maiestatis suæ throno: Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο, Ὀδυσ. α. Atque hinc iam sequitur, quod paterfamilias solus præcipuum in re domesticâ imperium tenere debeat, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος

ρανος ἔστω, Εἷς βασιλεὺς, inquit Hom. Iliad. β. Et rectè quidem. Vt enim mundus non potest duos ferre Soles, ita domus pari imperandi libidine æstuantes sine incendii periculo nequaquam tolerat. Et sanè si pedes renunciato ambulandi obsequio, aut manus laborandi seruitio capitis imperium affectare vellent & simul præesse, nõne totius corporis ruina immineret? Caput autem mulieris est vir tanquam scilicet recta ratio affectibus imperans, vt pulchrè Philos. inquit c. vlt. 1. Pol. Sicut igitur animi imperio, corporis seruitio magis vtimur, ita contra naturam esse videtur minus præstans & imperfectius dominari præstantiori: Masculus autem quam fœmina naturâ principalior est ac præstantior, vt docet Aristot. lib. 2. De gener. anim. c. 1. lib. 7. mor. Eud. cap. 14. & 1. Pol. c. 8. Cum verò ex lib. 3. Pol. cap. 9. constet, imperium deberi potiori, deteriori autem obsequium, vt etiam Crito Pythagor. affirmat vbi eleganter inquit: Τὸ ἄρχειν ἴδιον τῶ κρείσσονος, τὸ δ' ἄρχεσθαι ῥᾷον τῷ χείρονος. Et verò cum simul etiam lib. 1. Mag. mor. in medio ferè cap. 31. & circa finem cap. 13. lib. 2. Mag. mor. & cap. 3. 1. Pol. mulierem viro deterius quid esse dicatur, necessariò patrifam. non matrifam. imperium committendum esse nemo negabit. Vt interim sacræ scripturæ autoritatem taceamus, quæ idem præcipit, vt Gen. 3. v. 16. Eph. 5. v. 23. Coloss. 3. v. 18. 1. Tim. 3. v. 12. 1. Esther. v. 20. Eccles. 33. v. 20. & alibi videre est; ex Arist. 1. Oecon. cap. 3. hæc etiam addimus argumenta; 1. quod natura sexum masculum fecerit robustiorem atque adeò animosiorem, vt scilicet dignitatem suam naturâ quasi posset tueri, foris necessaria acquirere, proque iis fortiter excubare, imò vt ad motum etiam atque exercitationem aptior esset. Contra verò sexum muliebrem fecit imbecilliorem, ad motum ineptiorem atque adeò timidiorem, vt nempe domi maneat, ac rebus à marito partis arctiorem custodiam adhibeat: qui .n. magis timet, magis sollicitè custodit. Deniq; ratione liberorum etiam admodum prudenter diuersas coniugum virtutes natura esse voluit, ne illi vel negligerentur prorsus in infantiæ sordibus, vel nimis asperè educarẽtur, vel ẽt nimis delicatè. Ideoq; sexus muliebris natura sic disponẽte impotẽtiꝰ amat, vt potẽtiꝰ educet, masculꝰ

Stobæus in fragm.

autem ſexus iudicioſius amat, vt dexterius inſtituat. Quamuis verò interdum accidat, vt viri fœminis ſubiiciantur, tamen illud aut imperfectione viri, aut abuſu hum. aut dotis magnificentia, aut captiuitate qua tenetur vir à fœmina ex cæcitate concupiſcentiæ, fieri certũ eſt, vt inquit Iauel. tract. 4. 1. Pol. c. 1. Ideoque nihil moramur, quod Lycii maioribus honoribus mulieres afficiant quàm viros, item quod Ægyptii, teſte Herod. memorētur eſſe γυναικοκρατούμενοι, imò nec illud, quod Sauromatæ in vniuerſum ferè pareant mulieribus: quandoquidem quod naturâ dominetur, non habeant, vt rectè de Barbaris Ariſt. 1. Pol. 1. loquitur. Adeò vt cum Philoſopho 1. Pol. 8. mulierum principatum non per ſe, ſed præter naturam eſſe concludamus, quatenus nimirum iſtæ ſupra ſexum ſuum aſcendunt & in corpore fœmineo maſcula corda gerunt. Porrò etſi familiæ Princeps meritò ſit Paterfam. diuerſum tamen eius eſt imperium pro perſonarum quibus præeſt, diuerſitate. Sicut enim non eadem eſt patris cum filio, quæ filii cum patre, neque eadem viri cum vxore, quæ vxoris cum viro amicitia, 8. Eth. cap. 7. 10. & ſeqq. ita nec ius idem eſt 5. Eth. c. 6. Cum. n. viri & vxoris ſocietas optimatũ poteſtati ſimilis ſit, c. 10. & 11. 8. Eth. imperandi quoque modus talis eſſe debet, vt expreſsè docet & aliquoties repetit Ariſt. cap. 8. lib. 1. Pol. vbi inquit: Paterfam. vxori præeſt & filiis, tanquam liberis quidem ambobus, at non eodem imperii modo, ſed vxori quidem ciuiliter, filiis autem regiè, i. e. his ſicut rex ſubditis ſeuerius nonnihil, mitius autem illi, vt in Ariſtocratia magiſtratus ciuibus: adeò vt 1. Mag. mor. circa medium ferè cap. 31. in viri & vxoris communione ciuile iuſtum eſſe dicat. Quocirca grauibus etiam argumentis Philoſophus lib. 1. Pol. c. 1. oſtendit, quod longè aliter vxor ſit habenda quàm ſeruus, cũ nempe natura non fruſtrà voluerit diſtinctam eſſe fæminam & ſeruum, ſed ad diuerſos vſus vtrumque condiderit, atque adeò diſtincta eſſe voluerit inſtrumenta, cum nihil faciat natura tale, quale fuit gladius Delphicus, ſed vnicum inſtrumentum ad vnicum tantum vſum propriè & in fine ſuo principaliter cõponat & applicet; quandoquidem perfecta inſtrumenta ea ſint, ſi eorum

ſingula

singula non multis sed vni suo vsui deseruiant. Ita vt Barbaros malè fecisse dicat, quod fœminam & seruum pari gradu habuerint.

9 *An in omni suo regimine paterfamil. debeat Rempub. respicere, atq; eò referre formam & modum sui regiminis?*

Cum domestica societas sit imago & pars ciuitatis, vt docetur lib. 1. Oec. c. 1. & tendat ad primogeneum exẽplar & finem ciuitatis, tanquam ad vlteriorem gradum felicitatis suæ, ideò sub finem lib. 1. Polit. pulcherrimè in hunc modum inquit Philosophus: De viri & vxoris filiorumq; & patris virtute & conuersatione ad inuicem quid rectè vel contrà, & quomodo hoc quidem facere, ab illo autem abstinere, in his quæ in rep. cõspiciuntur, necesse est intueri. Nam cum omnis domus sit pars ciuitatis, paterfamil. autem & aliæ familiæ sint pars domus; partis autem virtus ad totum respicere debeat, ideò necessarium est eum, qui vxorem & filios rectè gubernare debet, respicere ad remp. tanquam ad totum. Et ex Arist. in eandem sententiam inquit etiam August. lib. 19. de ciuit. Dei c. 16. Quia omnis domus initium siue particula debet esse ciuitatis; omne autem initium ad aliquem sui generis finem, & omnis pars ad vniuersi cuius pars est, integritatem refertur: satis apparet esse consequens, vt ad pacem ciuicam pax domestica referatur, i. e. vt ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium referatur ad ordinariam imperandi obediendique concordiam ciuium. Ita fit vt ex lege ciuitatis præcepta sumere patremfam. oporteat, quibus domum suam sic regat, vt sit paci accommodata ciuitatis.

10 *Cur Paterfam. debeat habere perfectiorem virtutem quàm alii omnes in domo?*

Hoc pectoribus humanis velut insitum esse videtur, vt si virum virtute grauem conspiciant, occultè in eius admirationem & honorem rapiantur, eiusque imperio vltrò sese subiiciant. Si igitur Paterfam. honorem suum ac decus tueri; primaque ac perfectissima domus pars esse velit, atque cum autoritate suis præesse, inprimis

cum alios omnes in domo, sua virtute excellere debere monet Aristot.cap.vlt.1 Pol.vsitata enim & vulgaria nō admiramur, sed rariora atque ardua imitatu magni facimus. Quapropter cum patrisfam.sit, id præcipere & agere in domo, quod ratio recta agit in homine, ita vt hæc perfectissimè sese habeat respectu appetitus siue cupiditatum, atque adeò his imperet & dominetur, ideò quoq; familiam suam prudentiâ & iustitiâ in obsequio retinebit. Si enim imperans non erit temperatus & iustus, quomodo benè imperabit? Sin is cui imperatur, quomodo benè parebit? Patet igitur, quod is qui imperat, perfectiorem virtutem habere debeat moralem, aliorum verò vnusquisque quantum sibi competit. Vt verò illa excellentior virtus, quæ in Patrefamilias tanquam Capite requiritur, felices successus habeat, idcircò in vxore gubernanda summum Patrisfam.studium & prudentiam esse oportet. Quod enim in vnaquaque re primum est, eius quoque prima cura esse meritò debet, si reliqua ab hoc dependentia vt mensurata à mensura errore vacare debeant: Atqui hoc regimen primum est, à quo omnia regimina tanquam à prima norma pendent, vt inter alia patet ex fine c.11.7.Mor. Eud.& ex fine cap.1.lib.1.Pol.Grauissimè igitur Arist. monet lib. 1. cap. 2.& 3.Oeconom.vt paterfam.ea quæ ad vxorem spectāt, ante omnia rectè disponat & prouideat, vt talis sit qualis esse debeat, adeoque nihil magis esse vtile in domo sibi ratum habeat, quàm vt diligētem vxoris curam suscipiat. Quod item diligenter monet 2. Oecon.2. idque 1.propterea, quod hæc sit indiuidua & quotidiana vitæ tuæ socia.2, quod talem quoque sis habiturus sobolem, qualem habes coniugem. Non etenim è squilla rosa nascitur aut hyacinthus; sed neque ab ancilla filius ingenuus. Circa quæ igitur magis studeret vir sanæ mentis, quàm ex optima laudatissimaque coniuge liberos procreare, qui pabulum sint senectutis & vtriusque præsidium ac tutela, imò totius domus fulcimentum? 3, Bonus, inquit, Agricola omnibus modis in hoc incumbit, vt agrum habeat benè excultum, quòd ita demum se vberrimum fructum inde percepturum confidat. Cum ergò tantum laboris & curæ suscipiatur propter terram

pro

pro corporis esca, quid faciendum erit pro matre & nutrice liberorum? quandoque solo coniugio fit, vt homines conditionis mortalis successione perpetua immortalitatem consequantur, ad quam omnia parentum vota tendunt. Denique inquit: incuria circa regendam coniugem pertinet ad magnum contemptũ diuini numinis, quo præsente, sacra nuptiarum facta, & ducta vxor est, & quo audiente omnem curam fidemque maritus coniugi promisit. In quib. autem virtutibus mulie- bri sexu præcipuè dignis coniugem suam gubernare maritus debeat, inter alios docet Iauell. tract. 2. Oecon. Christ. c. 5. vbi inprimis verecundiam commẽdat, & quibus ex causis ea in muliere excitetur, egregiè ostendit: deinde pietatem & commiserationem in iis laudat, & diuersas simul affert rationes, cur pueri, cur senes & cur mulieres naturâ ad misericordiam propendeant. Tertiò Castitatem, Pudicitiam ac Temperantiam in muliere extollit, & Taciturnitatem etiam ei propriè conuenire ex Arist. 1. Pol. cap. vlt. affirmat. Denique Frugalitatem quoque & in vestitu decentiam requirit. Quomodo autem in his virtutibus exercendis mulierem continere, vel ne in opposita delabatur, præseruare maritus possit, ibidem Iau. optime consulit. *Cæterum* ad istam gubernandæ coniugis prudentiam id inprimis spectat, vt maritus suo Exemplo coniugem ad virtutes excitet: Nam:

Tunc benè fortis equus reserato carcere currit,
Si, quos præcedat quosque sequatur, habet;

Vt rectè inquit Poëta. Et præclarissimum monitum est Bernhardi in epist. 72. Pulcherrimus ordo est & saluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior & ex te discas, qualiter oporteat aliis moderari. Ideoque prudentissimum benè regendæ vxoris consilium Aristot. lib. 1. Oec. initio cap. 4. & lib. 2. cap. 2. marito suppeditat, vt nimirum sibiipsi Lex sit, sibiipsi maximè dominetur, & se ad omnem virtutem componat, cum ridiculum & turpe sit, Eum cui natura dedit pro dignitate & animi excellentia imperium, virtutum actionibus superari ab eo, quem parêre natura voluit, vt colligitur ex capite 9. libri 3. Polit. Et sanè cum omnis voluntas

humana ita se habeat, vt allecta libenter, coacta inuitè faciat officium, idcircò admodum prudenter cauebit maritus, ne animi sui importunitate cum metu ad officium coniugem suam compellere videatur, sed vt cum reuerentia & pudore eam alliciat, quod commodissimè suo ipsius exemplo faciet: *mollissimè enim suadetur exemplis*, vt prouerbio dicitur. Quod cum inprimis in muliebri sexu appareat, qui naturâ videtur ad imitandum cõpositus & ad exempla haurienda facilis, non secùs ac spongia, quæ aquam statim imbibit, cùm substantiæ sit minus compactæ, imò instar ceræ mollissimæ, quæ omnem sigilli impressionem facillimè recipit: ideò quoque circa vxorem suam ita versari debet, ne vas illud fragile temerè offendat, ne sexui isti infirmioris iudicii scandalum moueat, sed suos inculpatos mores ei tãquã lucidissimum speculum proponat, in quo cõtempletur temperantiam, frugalitatem, fidem & alias virtutes, sicut pulchrè Aristot. inquit cap. 2. lib. 2. Oecon. Cum vxore ita versandum est, vt appareat in vita temperantia, in dictis pudor & verecundia, in factis ius & fas, in conuictu fides & frugalitas. Porrò & ea prudentiæ maritalis pars magna est, imbecillitates & næuos muliebri sexui communes rectè perferre ac pati in coniuge sua. Quod & sapiens rex Alphonsus innuere voluit, qui cùm interrogaretur quomodo pacificè in coniugio vir & vxor viuere possent, respondit: *Si vir sit cæcus & vxor muta*. Et quidem cum longa dies homini doceat parêre leones, mulierem quoque temporis successu melius & prudentius mitigare maritus poterit, quàm si in ipso statim connubii exordio eam malè & violenter tractando propriam sibi, obsequentem & addictam reddere cupiat. Sicut enim prudens pater non verberibus statim pueros castigat inhumaniter, si leuiter peccent, sed verbis potius eos à vitiis paternè dehortatur, cum virtutes in eos perfectè nondum cadere sciat: Sic maritus quoque qui ex cap. vlt. 1. Pol. nouit morales virtutes mulieri ita perfectè inesse non posse vt viro, condonabit aliquid fragilitati huius sexus & næuos ab imbecillitate humana profectos prudenter tolerabit, peccatisque leuioribus vxoris ignoscet, etiamsi voluntaria interdum fuerint. Si

1. Pet. 3. v. 7.

autem

autem per ignorantiam fiant, de iis vxorem placidè commonefaciet, 2. Oeconom. 2. & Iauel. tract. 2. c. 6. Oec. Christ. vbi ostendit, quænam mala ex nimio & imprudenti zelo viri in mulierem oriantur. Et certè si leuioribus morbis non continuò remedia fortia præscribunt Medici, sed paulatim vitiosos humores aliaque mala extrahunt aut educunt, leuiter purgando, imò naturæ & tempori multa permittunt, quandoquidem quod ars non potuit, sæpè sanauerit mora; Vt nec ad omnia vulnera cauterium adhibent Chirurgi, sed emplasmatis ea curare student: multò minus vir omnia mulieris vitia, præsertim parua vno tempore simul tollere conabitur, sed aliquandiu patienter feret. Ita vt rectè idem moneat M. Aurelius, qui inquit: *Vxor admonenda persæpè, reprehendenda rarò, violentis manibus tractanda nunquam.* Et Varro etiam in Satyra Menippea dicit: *Vitium vxoris aut tollendum aut ferendum est; qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat; qui fert, seipsum efficit meliorem*, vt citat Gell. lib. 1. c. 17. vbi cum Socratis patientiam laudasset, quid per *ferre* & *tollere* Varro hic intelligat, simul ostendit. Sed & id marito incumbit, vt coniugem suam aduersus aliorum iniurias defendat: Ouidius in epist. Hermion. ad Orestem inquit:

——— *Nec turpe marito*
Aspera pro charo bella tulisse thoro.

Inprimis autem noster Arist. 1. Oec. c. 4. ait, ipsis legibus defendi debere vxores nostras, ne vlla ipsis iniuria inferatur, 1. cum iniuria vxorum redundet in ipsos maritos, propter tam indiuiduam societatem, quâ vir nihil magis proprium habet quàm vxorem suam, in fine cap. 2. Oec. 2. atque adeò nihil ægrius fert, quàm seipsum & sua ac propria iniuriis affici. 2, cum Deus & natura propterea virum fecerit fortiorem ac robustiorem, vt se suosq; defendat, 1. Oec. 3. 3, Cùm inhumanum sit & contra legem communem Pythagoricorum, non defendere eam, quæ non vt serua supplicis instar ad nos transfugerit (cui tamen etiam defensio debebatur) sed eam quæ à foco paterno ad nostras ædes sit deducta, & quæ propriâ familiam relictura, in mariti stirpem nomenq; concesserit, 1. Oec. 4. imò magis eam, quæ magno velut precio

Eph. 5. v. 25. 28. vsque ad fin. cap.

empta sit, nempe societate vitæ & procreatione liberorum, quibus nec maius nec sanctius quicquam esse potest, 2. Oec. c. 1. & 2. 4, Cum turpe sit, agricolam defendere agrum suum aduersus vim hostium, & quod mori præliando malit, quàm illius vastationem pati; virum autem pro eo pugnare nolle, ex quo immortalia germina & sempiternos fructus percipiat, atq; adeò mors huiusmodi præ illa maximè laudetur 2. Oec. 2. 5, Cum in Deos peccet, si vxorem negligat, cui fidem coràm Diis immortalibus tempore nuptiarum promisit, ibidem. 6, Cum animantia nonnulla pro compare sua dimicare videamus.

11 *Cur vxor virum suum pro lege habere debeat?*

De officio vxoris erga maritum.

Piè admodum & Christianè inquit Philosophus noster 2. Oec. c. 1. Existimare debet mulier benè instituta, legem esse sibi ingenium & mores viri sui latam à Deo eo tempore, quo nuptiæ iunctæ sunt & vitæ societas cõtracta est. Cum enim hæc coniugum societas non casu eueniat, sed diuina ordinatione instituatur, vt ex allegatis verbis patet; ideò quoque mulier maritum suum non fortuitò, sed diuinitus pro lege sibi impositum esse cogitabit, atque adeò propter Deum & sacras istas nuptias marito suo obediet, ac mores eius addiscet in silẽtio cum omni subiectione. Maritus enim cum supremi Dominatoris imaginem & similitudinem referat, vt ex fine cap. 1. Polit. 1. colligitur, & ideò κατ' ἀξίαν imperium obtinere debeat, 8. Eth. cap. 10. Vxor sanè quæ propter virum facta est, vt testatur Theages Pythagoricus, Virum quoque suum pro Domino & norma vitæ suæ habere debet, cùm hæc non tantum filiorum pariendorũ causâ facta esse videatur, sed vt vir quoque imperii sui excellentiam in muliere tanquam pręreliquis animantibus præstantiore creatura exsereret. Et quidem si hominem, i. e. humanis affectibus obsequentem imperare non sinimus, sed legem aut rationem, 5. Eth. c. 6. mulier profectò quæ se habet vt affectus & appetitus, viro suo, qui est id quod ratio recta in homines, 1. Polit. 8. meritò dominatum super se concedat, vt ratione rectè & prudenter regi possit. Si enim capitis arbitrio & præscripto

1. Tim. 2. v. 11. & 12.
1. Cor. 11. v. 7. & 9.

Stobæus in fragm.
1. Pet. 3. v. 6.

reliquæ

reliqua membra omnia mouentur & affectuum harmonia conseruatur, vir quoque qui est caput mulieris, lex eiusdem esse debet, & pro lege etiam ab ea agnosci & haberi.

Eph. 5. v. 23.
1. Cor. 11. v. 3.

12 *Quare vxor viri sui mores etiam difficiles tolerare debeat?*

Ἔνεστ' ἀληθὲς φίλτρον εὐγνώμων τρόπος·
Τούτῳ κατακρατεῖν ἀνδρὸς εἴωθεν γυνή.

h.e. *Mores placidi & benigni verum sunt philtrum, quo mulier virum in amore sui retinet & vir mulierem*, pulcherrimè quidem Menander ait: sed cum hæc facilius dici, quàm cum opus est, ad vsum transferri experientia doceat, ideò Aristot. 2. Oeconom. cap. 1. fideliter vxorem instruit, ne viri morositatem vel morum difficultatem fastidiat & auersetur, sed patienter ferat, & si quid ex animi impotentia & vehementiori perturbatione delinquat, eius statim obliuiscatur, atque interpretetur in bonam partem, ascribendo ægritudini aut imbecillitati & ignorantiæ; 1, ne fidem matrimonialem & legem nuptiarum tempore à Deo impositam violare videatur. 2, ne curam domesticam sibiipsi duplicet, cum nempe si æquo animo viri mores vxor ferat, admodum facilis sit domestica administratio, sin minus, perquam difficilis. 3, quò maior fuerit vxoris in toleranda mariti difficultate attentio & diligentia, eò plus gratiæ inibit à viro ad sanitatem mentis reuerso. Et si mandatis viri forsitan inhonestis fuerit refragata, abiecta perturbatione maritus virtutem suæ coniugis clarius perspiciet, & ardentius eam amare incipiet. Denique præcipit ibidem Aristoteles, vt in coniugiis incommodioribus, vbi nempe mariti planè sunt σκυθρωποὶ, iniucundi, iracundi ac morosi, vxores debeant tam cedere affectibus mariti, ac famula prudens cedit affectibus sui domini, idque propter necessitatem, ne animum eius irritet atque exasperet, imitata nautas, qui fluctibus procellosis non renituntur, sed ad vada tendunt patientiæ anchoram in tuto figentes, donec maris æstus prætereat, & sæuire Neptunus, flare Æolus, ac fulminare Iupiter desinat. Pietatem Christianam sapit quod

Aristoteles, siue quisquis alius est autor eius scripti, monet capite illo primo secundi Oeconomici: *Precari vxor debet pro viro suo, ne quid ei aduersi accidat.* Et rectè quidem: nam velut à statua facies vbi pulchra reuulsa est, non decus in reliquo corpore truncus habet; sic etiam maritus vt pars princeps familiæ & caput suæ coniugis si detrimentum patiatur & malis afficiatur, fieri non potest, quin reliquum corpus simul mœrore contristetur, lugeat ac motu tandem progressuque priuetur. Et sicut fundamento domus inclinante necessariò parietes in eo exstructi paulatim collabascunt: ita quoque patrefam. malè habente, ipsa etiam materfamilias subsistere diu non potest. Imò multò magis si Sol iste domus obscuretur, qui lucis suæ radiis hactenus omnia fouebat, conseruabat, nonne cum tenebris simul sterilitas & rerum omnium in domo penuria continuò subsequetur? Si verò contingat, vt vir pro humana conditione infirmitatibus vel animi vel corporis subiiciatur, vtrasq; vxori æquè constanter ferendas esse monet Philosophus cit. loco, ac maritus suæ coniugis næuos atq; infirmitates ferebat: adeoque si vel in delirium mentis maritus cadat, aut si abalienato & subirato animo in coniugem esse appareat (hæc enim duo per mentis alienationem ab Arist. intelligi putamus) mulierem tamen prudenter ei obsequi debere & aliquo modo indulgere, sapienter docet, vt nempe tantò citius mariti ægritudo minuatur, & ipsi tantò melius reconcilietur. Atq; adeò etiam si in fortunæ bonis defectus aliquis in coniugio oriatur, non minus quàm in animi corporisq; aduersitate vxorem præsenti animo esse Philosophus iubet, nec maritum propterea debere contemnere, quasi ipse rerū omnium euentum præstare valeat, sed consolari potius, ne paupertatis curis confectus succumbat: cum maxima solatii pars sit & malorum leuamen, si quem habeat, in cuius sinum animi sui molestias possit deponere. Imò in reb. aduersis multò studiosius maritum suum obseruare ac honorare vxori conuenit, quàm in rebus secundis, ne vllam viro suspitionem contemptus præbeat, cum per se homines calamitosi magis sint suspicaces, quàm qui rebus prosperis vtūtur. Quapropter, grauissimè inquit,

decet

decet non solùm in prosperis rebus secundaque fortuna vnanimem se viro præstare & inseruire velle, verum etiam in aduersis; 1. quod hoc ipsum Deo placere videatur, qui hanc legem cum ipso simul matrimonio sanciuit: deinde, quod speciosæ laudis ipsi apud homines materia præbeatur, si in mariti aduersitatibus rectè sese gesserit, proponendo sibi Alcestidos & Penelopes exemplum, quæ quidem si cum fortunatis viris vixissent, felices fuissent, sed sine laude tamen: Verum Admeti & Vlyssis aduersitates parauerunt illis laudes memoriâ sempiternâ celebrãdas. Ita vt meritò exclamet Propert.

Lib.2. eleg.6.

Felix Admeti coniunx & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri fœmina limen amat.

Hæ enim fidem ac iustitiam erga viros suos calamitatibus oppressos seruantes, gloriam non immeritò sunt consecutæ. 3, quod in viri sui miseriis sustinendis virtus ac generositas bonæ coniugis maximè elucescat. Sicut enim non parum est secundis rebus bene vti, aduersas autem moderatè perferre multo maius est: sic in magnis calamitatibus & iniuriis nihil abiectè facere, id maximè celsi est animi. Prosperitatis enim facile est reperire participes, aduersitatis verò ni optimæ sint mulieres, participes esse renuunt. Deniq; sicut aurum igne probamus, amicos verò in aduersis dignoscimus: ita quoque ex viri infelicitate coniugis amor & fidelitas præcipuè innotescit; Nam

Val.Max.li.4. cap.6.

Isocr. ad Dæmon.

Ouid. lib.5. Trist. eleg. vlt.

Esse bonam facile est, vbi quod vetet esse, remotum est,
Et nihil officii nupta quod obstet, habet.
Cum Deus intonuit, non se subducere nimbo,
Id demum est pietas, id socialis amor.

13 *Quomodo Aristoteles præcipiat, vt vxor omnia ea curet, quæ intra ædes sunt ac fiunt?*

In principio statim cap.1. Oec.2. perpulchre ait Philosophus: Proba mulier ac materfamilias certis quibusdam legibus domina esse debet omnium eorum, quæ in domum inferuntur, eorumq; curam suscipere, adeò vt quicquid in ędibus & intra domesticos parietes fieri debet, id ei probè notum & curatum sit. Cum enim natura sexũ muliebrem ad motum cõsultò fecerit ineptiorem

1. &animal inprimis domesticum siue priuatum. 1. Oec. 3. virum autem voluerit esse robustiorem & talem, qui foris negociando necessaria acquireret, ideò vxori quoq;
2. conueniet, vt parta custodiat: & amor etiam coniugalis atque essentialis suadebit, vt tantò diligentius parta
3. dispēset & accuratius pro iis excubet & sollicita sit; prę-
4. sertim cum maritus peregrè interdum abesse cogatur; & res etiam nonnunquam eiusmodi sint, quæ virum minus, vxorem verò magis decent, vt domum purgare, ornare, cibum præparare aut coquere, infantes curare, ancillas docere, circa lanam aut lintea lodicesque ac telam versari, &c. Denique vxor se matremfamilias esse & dominatricem rerum domesticarum cogitet, non ancillam; sociam vitæ, non conductitiam; ideò nomen etiam suum reipsa tueatur, non fucus sit, sed frugi apicula, atque adeò viro suo optituletur, in commune constituens omnia, 8. Eth. c. 12. & vt pari cura rem familiarē augeat, cap. vlt. lib 2. Oec. cogitando nimirum, quod non tam viro quàm sibiipsi suisque liberis ea omnia acquirat, atque adeò maiori in concordia cum viro sit victura, si communem vtilitatem non neglexerit. Ita vt Plato quoque in Menone rectè moneat, inquiens: Decet mulierem domum bene dispensare, salua facientem omnia quæ intrinsecus, & obsequentem esse viro. Interim tamen ab hac priuata cura Patremfamilias non excludit Philosophus, sed eum non ita curiose vult inquirere ea, quæ domi & intra parietes geruntur & ad vxoris curam immediate spectant, ac eum vult esse sollicitū de forma regiminis domestici; cū mulieris sit præsentia saltem rectè curare, viri autem non tam præsentia rectè dispensare, quàm de futuris commodè prospicere, & marito non ita turpe sit quicquam eorum quæ domi fiunt, cognoscere, cum generalem omnium curam sustineat, quam turpe est mulieri ea cognoscere velle, quæ foris aguntur. Ita vt rectè dici possit: *Vxor ne vltra casam, ne vltra lanam, ne vltra colum ac telam tuam*, sicut & Telemachus Ὀδυσ. α. matri suæ respondet:

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε, &c.

h.e. Tu domum profecta tua opera administra, telamq; & colum, & ancillis impera opus accelerare, viri enim

imperium

imperium tota domus est. Sicut igitur Sol cœli suâ præsentiâ Lunæ lumen intercipit, dum vero recedit, lumen reddit, ita vt sicut de die latebat, noctu in Solis absentia prę cæteris stellis sola emicet ac splendeat: ita vxor in viri sui præsentia sileat & ipsi absolutam potestatem concedat; si autem vir absit, tum ipsa sese exserat, familiæ suæ dominetur ac præluceat, vt suo in officio quisque æquè contineatur, ac si maritus semper pręsens esse posset. At verò quia temperamenti defectus in mulieribus præter alia vitia etiam curiositatem causatur, ideò Aristoteles eas seuerissimè hortatur, ne externa inquirant aut publica explorent, imò ne audire quidem aliena cupiant, sed hæc omnia marito permittant, qui extrinsecus accedentium culpam præstare tenetur: Et sciant non tam dedecere virum domestici aliquid operis efficere, quam mulierem (exceptis tamen Reginis) scrutari exteriora siue publica, cap.1. Oec.2. Ita vt vir quoque vxori suæ curiosius externa inquirenti non semper ea dicere teneatur, & quicquid in mente sua habet, ei statim reuelare, sed quod tacere mulierem vult, prius ipse taceat. Nam licèt quædam talia sint, vt vel sine periculo, vel saltem sine euidenti damno communicari cum vxore possint ac debeant, vt se à marito diligi sentiat: multa tamen tanti ponderis esse solent, vt si secreta non seruentur, ingentia pariant mala, aut multa bona impediant. Quæ quidem mulieribus aperire ac detegere periculosum est & non paruæ leuitatis: facilius enim aquam perforato dolio seruares, quam talia mulieri tuto auderes committere. Quamuis enim vna vel altera reperiatur, quæ prudens sit ac taciturna, & commissa taceat ac contineat optimè, mille tamen inuenies, quæ rimarum plenæ hac atque illac perfluant. Cum enim in illis rationis debilitas affectum desiderii frenare non possit, & vero prohibitio secretorum manifestandorum desiderium augeat, ideò diutius in sese illud occultare nequeunt, sed ex abundantia cordis ore effutiunt quicquid absconditum habebant, sicut id ostendit Iauel.d. cap.6. tr.2. Oec. Christ. vbi hoc etiam addit, quod si vir forsitan reuelauerit arduum quid vxori suæ, prohibere

Seneca in Hippol.
Prou.25.v.vlt.

non debeat, quominus illud alteri dicat, cum prohibitio cor faciat intumescere quasi & ad proloquendũ magis disponat; contrà verò si non prohibeat, veluti libertatem concedere videatur, quæ desiderium non ita intendit. Nonnullæ etiam vt gratiam sibi apud alios concilient, ex cordis mollitie secreta produnt: Aut si beneuolentiæ erga se signa quædam in aliis videant, ad testandum illis reciprocum amorem, quicquid in secretis habent, vltrò exponunt. Aut etiam laudis aucupio id faciunt, dum scilicet se à viris suis ita diligi & tanti fieri apud alios gloriantur, vt etiam secreta ipsorum audire mereantur: quo clarius signum afferre nullum possunt. Denique si ex hisce causis arcana nondum patefaciant, ad iram à te prouocatæ, quæcunque sciẽt, propalabunt turpiter omnia, vt exempla multa testantur & hodie etiam ipsa experientia satis loquitur, quæ hortari maritos debebat, vt secreta penes se retinerent, exemplo Esaiæ cap.24. v.16. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi.* Iam porrò durissimum hoc præceptum quibusdam mulierculis fortassè videbitur, quæ ergastulo se ab Aristotele includi opinantur & μισανθρώπους fieri debere, dum neminem in ædes intromittere debent, 2. Oec. c.1. vbi inquit: *Vxor non admittat externum virum sine venia & præcepto mariti*, pertimescendo ea inprimis, quæ de mulierum corruptelis vulgò perhiberi solent. Verum non ita seruili & stricto iugo omnes mulieres, sed quasdam tantum ad lasciuiam propendẽtes, & in certis quibusdam locis ac regionibus, Philosophus coarctat, vt apud Græcos quidem & alias zelotypas gentes necesse erat; Et quidem eos saltem viros intromitti vetat, qui corruptelis vxorem & domum perdere possunt, vt sunt homines malitiosi, impudici & suspecti, qui mulierem apud virum suum & vicinos etiam in suspicionem trahere, & famæ atque existimationi eius ac totius familiæ possunt nocere; deinde eos vult domo excludi, qui dicta aut facta domus efferunt; tertiò eos, qui nouis suis fabulis & futilibus sermonibus vxorẽ ab opere domestico detinent & impediunt, ita vt multa domus incommoda, furta, insidiæ, &c. præcaueri possint, si non quosuis admittat: & culpa etiam imputari vxori nequeat, si quid mali ab ingredientibus committatur.

Ecclesiast. 25. v.29.

Ecclesiast. 25. v.34. & 35.

14 *Qualiter de sumptu domestico & de ornatu mulieris doceat Aristoteles?*

Γυνὴ γὰρ σύνολόν ἐστι δαπανηρὸν φύσει, h. e. quia fœmina omninò sumptuosum quid est naturâ, vt verè inquit Menander, ideo Aristoteles noster 2. Oec. c. 1. necessarium præceptum suppeditat maritis, vt si facultates suas augere velint, sumptibus non necessariis parcant, neque vxoribus tantum expendere sinant, quantum ipsæ volunt; adeoque ne conuiuia & comessationes crebras instituant, sed amicitiæ vel affinitatis retinendæ gratia raras & moderatas, & has quidem instituendi potestatem ipsi mariti pro suo arbitrio soli obtineant, non pro voluntate & instinctu mulierum, aut ipsæ mulieres, quę modum nesciunt: Ita quidem vt mulier etiam sit simul domina impensarum, sed maiores tamen sumptus nequaquam faciat, quam maritus præscripserit: imò, in ipso apparatu ita sumptus moderetur, vt infra leges publicas adhuc fiant, nec tanti quidem sint, quantos publica ciuitatum instituta, aut etiam dignitas ac diuitiæ permittunt; considerando nimirum non posse tandem constare quæstum, si illum sumptus superet: Deinde bellariis & cupediis istis sanitati plurimum noceri, & luxuriæ etiam non rarò fomenta ministrari, præsertim vbi vino incaluerunt membra. Tertiò liberis suis hac sumptuositate maximam matrimonii partem furtivè quasi surripi; si enim tot nummi, qui paucis saltem annis in streptas, obelias, bulitinos, teganitas & similes cupedias & delicata fercula inutiliter impenduntur, in thesaurarium reponerentur, pro dote non contemnenda liberis suo tempore dari possent. Vt taceam denique pauperes & egenos, quibus etiam succurri posset. Ita vt rectissimè fecerit Tiberius, qui luxum conuiuiorum cohibuit, teste Botero cap. vlt. lib. 2. Pol. vbi etiam hoc addit: Memorabile, inquiens, huius luxus exemplum est regnum Portugalense, quod deuastatum fuit non quidem Maurorum armis, sed deliciis Indianis. Et apud veteres Romanos etiam parsimonia & victus cœnarumque tenuitas non domestica solum conseruatione ac disciplina, sed publica quoq; animaduersione legumque

2. Pol. c. 4. vbi Socrat. leges redarguuntur.

Prou. 31. v. 3.

plurium ſanctionibus ſeuerè cuſtodita fuit, teſte Gellio lib.2.c.24.& lib.13.c.11. Item apud Corinthios lex ſumptuaria ſancita fuit, referente Athenæo lib.6. quam iucundiſſimis verſibus Latinis Eraſmus expreſſit, qui legi poſſunt apud Lemnium cap.25. de vita opt.inſtit. vbi etiam huius rei remedium afferre videtur, quod Amaſis Ægyptiorum rex adhibuit, & Solon etiam Legislator Athenienſium; vt meminit Herodot.lib.3. vſurpauit, vt nimirum quilibet paterfamil. quotannis apud Præſides prouinciarum demonſtraret, vnde viueret cum ſuis. Et certè cogitare debebant ſumptuoſæ iſtæ mulieres, non ſe in propria ſua graſſari bona (vt reprehendentibus reſpondere ſolent) ſed in communicata ſibi à Deo ad rectè diſpenſandum, vt piè Euripid. inquit in Phœniſſa:

In Euterpe.

" Haud bona homines ſua atque propria poſſident, ſed
" adminiſtrant tradita hæc diuinitus, aufertque rurſus
" quando vult Devs.

Nec verò à molli tantum & voluptuoſa vita cohibendas eſſe mulieres, monet ibidē Philoſophus, ſed etiam ne in corporis ornatu ſeu veſtitu modum excedant. Cum enim, ſecundum Plautum in Pœnulo, multa ſint mulierū vitia; ſed hoc è multis maximum, cum ſibi nimis placent, nimiſque operam dant, vt placeant viris, idcircò in æquilibrio à viris continendæ ſunt, perſuadendo ipſis, neque corporis nitorem, neque veſtitus pulchritudinem, neque formæ ſpeciem, neque multiplex aurum ſiue gemmas, monilia & armillas tantoperè ornare hunc ſexum, quantoperè modeſtia in rebus omnibus, & ſtudiū vitæ honeſtæ ac pudicæ: Hæc enim vera ornamenta animi plus habere gloriæ ac laudis tam reſpectu ipſius matris, quam reſpectu liberorū, & durare vſque ad ſenectutem, cū veſtes facilè deterátur, vt ibidē præclariſsimè Ariſtot. loquitur. Interim tamen dum hæc inter ſe comparat, non omnem ſimpliciter ornatum reiicit, ſed exceſſum præcipuè, quo mulieres magis quàm defectu laborant. Eſt enim ornatus alius fictitius, alius realis. Fictitium Ariſtoteles planè repudiat tanquam illicitum, quando lib.1. Oecon. c.4. inquit: De ornatu hoc ſeruetur, vt quemadmodum ineptias oſtentationum & fictionis in moribus, ita quoq; in ornatu corporis fugiant coniuges: nam compta &

1. Cor.7.v.34.

ornata ista coniugum vita nihil differt à Tragœdorum
in Scena versantium ornatu. Xenophon in suo Oecon.
& Plato in Gorgia idem hoc improbant. Vt taceamus S.
Scripturæ autoritatem, quæ eandem fictionem & fu-
cum seuerè detestatur, vt apparet ex 4. Reg. cap. 9. v. 30. E-
zech. 23. v. 40. & alibi. Realem verò ornatum qui rectâ in-
tentione & moderatè fit, non improbat Philosophus
noster, nec damnãt eũ sacræ literæ, sicut inter alia patet
Gen. 24. v. 22. Iudith. 10. v. 3. & 4. Matth. 6. v. 29. item 1. Ti-
mot. 2. v. 9. Tit. 2. v. 3. 1. Pet. 3. v. 3. & seqq. sed excessum &
abusum eius Arist. cit. loco & Valer. M. lib. 3. c. 6. & S. Scri-
ptura execrãtur, d. cap. 2. ad Timoth. & cæteris locis, in
primis Esaiæ 3. v. 16. & seqq. Ezech. 7. v. 20. Et celebris est
Bernhardi sententia: *Qui gloriatur de veste, similis est fu-
ri qui gloriatur de cauterio; quia vestis est signum & pœna
reatus*; ita vt stultum sit, ex eo quod infirmitatem ar-
guit, honorẽ captare, sicut alicubi Ludouicus Viues in-
quit. Quamobrem maritum prudentem decet, vt quia
ex rationis imbecillitate & *innato superbiæ morbo Prodi-
ga non sentit pereuntem fœmina censum*, ipse huic malo
medicinam adhibeat maturè, ne velut hydrops totum
corpus paulatim inuadat, illiusque substantiam tan-
dem penitus demoliatur, id est, facultates absumat &
deuoret. Vnde prudenti consilio ipsi Imperatores lu-
xum in vestitu prohibere coacti fuerunt, vt Vespasia-
nus, Domitianus, Aurelianus, Tacitus, Alexander Seue-
rus, Portugalenses, item & Genuates in sericis & pannis
pretiosioribus: Imò noster etiam Aristot. seriò inculcat
2. Oec. 1. vt mulier consideret statum ac conditionem sui
mariti, atque minus adhuc se ornet, quàm vel leges pu-
blicæ, vel status mariti admittat. Nam præterquam
quod isti luxuriosi mores mulierum per se corrupti sunt
& praui, etiam maritorum animos ad auaritiam accen-
dunt. Ex luxuria enim auaritia existat necesse est, ex a-
uaritia erumpat audacia, vnde scelera omnia & malefi-
cia nascuntur. Sed & detrimenta rei familiaris eum in
vestitu luxum comitantur vt plurimum: quò enim ve-
hementius crescit superbia, eò cumulatiùs currunt vsu-
ræ, vt rectè inquit Boterus circa finem lib. 2. de Polit. il-
lustr. vbi duo remedia compescendi luxus muliebris

Iuuen. sat. 6.

Dio. lib. 7. Lampridius in vita Al. Seueri. Boterus lib. & cap. cit.

Cic. pro Rosc. Amer.

adducit. Interim tamen Iauel. tract.2. Oec. Christ. circa finem cap.5. iubet, vt vir vxorem decenter vestiat, ne etiam in defectu peccando sibiipsi liberisque dedecori sit, & contemptui apud ancillas & seruos. Quæ quidem remedia si obseruarentur; hodiè nō tot nouas sexcentas vestium figuras quotidiè videremus; non tantâ pecuniæ summa domus & ciuitas per exteros institores priuaretur; non tot decoctoribus ex vrbe fugiendum esset, qui phantasiæ mulierum indulserunt, non tot ad extremam inopiam redigerentur; aut malis artibus victum quæritarent; non tot futuræ essent libidinum illecebræ; non tot Catilinarum seminaria; neque tot iuuenes deciperentur à puellis, quarum diuitias illi ex vestium splendore & magnificētia falso plerumque æstimant, &c. Ita vt rectè dicat Seneca epist. 125. *Conuiuiorum & vestium luxuria ægra ciuitatis indicia sunt.* Qui enim prodigè viuentes sua consumpserunt patrimonia, vt priuatum suum damnum publica calamitate solari possint; aut ipsi res nouas moliuntur, aut alios ad Rempub. euertēdam hortantur, vt fatetur Aristot.5.Pol.cap.6. & egregiè idipsum Salustius in Catilina demonstrat.

15 *Cur parentes (inprimis mater) ardentius ament liberos quàm liberi parentes?*

Adducit huius rei causas Philosophus 8. Ethic.12. & alibi: quarum primam esse dicit φιλαυτίαν, i. e. amorem suiipsius. Sicut enim seipsum amare maximè est naturale, 2. Polit.cap.3. & quidem quo quisque melior est, eò magis etiam est φίλαυτος, 9.Eth. cap.4. & 8. ita parentes quoque quia seipsos diligunt, non possunt liberos non amare, cum sint aliquid sui, siue de substātia parentum, 8. Eth.12. Et velut præceptum de dilectione sui ipsius nemo tulit, cum quisque per naturam ad sui dilectionem per se & vltrò propendeat; sic neque de parētū amore in liberos legem hactenus quisquam sanciuit, sicut, proh dolor, de liberorum amore erga parentes necessaria passim extant monita, cum nimirum amor non ascendat, sed descendat. Sicut enim magis naturale est, superiora (e. g. corpora cœlestia) virtutem suam inferioribus communicare, non contrà: ita quoque magis natura-

Esa.49.v.15.

naturaliter parentes in filios suos bonitatem deriuant, quam hi in parentes eam veluti regurgitant. 2, cum viuere omnes appetant, 10. Eth.c.4. & quidem viuere bonum sit natura & bonis maximè optabile, 9. Eth.c.7. & 9. ideò parentes quia in liberis quodammodo viuere & esse videntur, eos maximè amant. Et huc quadrat Platonicum illud in Symposio, filios maximè diligi à parentibus, quod per eos se immortales fore sperent continuatâ generis successione. Eandemque ob causam aui plus diligunt nepotes, quam ipsi parentes suos filios. 3, Actio naturâ eligibilior est & præstantior passione; atqui hanc rationem habet efficiens & opus siue parentes & liberi, ergo liberi sunt cariores parentibus, quam parentes liberis. 9.Eth. c.7. Et 7. Eudem.cap.10. & lib.2. Magn.mor.cap.14. Id quod etiam in artificibus contingit, qui opus suum amant quamuis non redamentur, aut vllam vtilitatē ab eo sint percepturi: item in Poëtis qui sua poëmata propria perinde ac liberos maximè diligunt, cum nempe amare nobilius sit ac difficilius quam amari, imò iucundius & perfectius, dicto cap.7. Eth.9.& cap.1.Eth.4. inprimis autem cap.12. lib.2. Mag. mor. 4, Affectus oritur ex notitia, & quò hæc clarior est, eò maior est affectus; sed parentes melius nouerunt hos esse suos liberos, quàm sciunt liberi se ex his esse procreatos, idcirco studiosius etiam amant, cap.12. Eth. 8. 5. Illud à quo aliquid est, maiorem cum genito habet necessitudinis connexionem, quàm quod factū est cum eo qui fecit, proprium enim ei à quo oritur quippiam, est id quod ex ipso oritur, vt dens, vt capillus & quodlibet ei cui inhæret, &c. Denique temporis longinquitate parentum amor in liberos superior est: Parentes enim liberos statim vt nati sunt, diligunt, liberi parentes ætate progressi, & tum demum cum intelligere aut sentire cœperunt. Vt nihil interim dicamus de similitudine, quæ etiam per se causa amoris esse solet: At quid potest esse similius inter generans & generatum quam pater & filius? Inprimis cum filius sit testis & signum perfectionis paternæ, & tanquam effectus virtutem patris generantis exprimat, cum perfectio ex generatione innotescat, vt docetur in libris Phys. & de anima passim.

Ecclef.13.vers. 19.20.

Atque ex his perſpicuum etiam eſt, quamobrem matribus liberi ſint chariores: inprimis autem & peculiariter, quia matres ſemper ſunt certæ, & clariorem habent conceptionis ac partus notitiam, 9. Ethic. cap. 7. & Homer. Odyſſ. α, vbi Telemachus fatetur, matrem quidem ſuã ſeſe noſſe, ſed patrem nequaquam. οὐ γάρ πω τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω. Item in Iure *L. 5. ff. de in ius voc.* 2, Quia matri longa decem tulerunt faſtidia menſes, atque ita hæc longiori tempore liberos amauit, d. cap. 7. Eth. & Virgil. eclog. 4. ℣. antepenult. 3, opus difficultate plerunque definitur, ideo mater etiam opus illud ſuum, liberos nempe effuſius poſtea amat, quia in ipſo partu magis fuit laborioſa & afflicta, 7. Eud. cap. 10.

Tob. 4. v. 3. & 4.

16 *Quale eſſe debeat regimen filiorum?*

Quia parentum, inprimis verò patris ſocietas cum liberis regni ſpeciem habet, 8. Ethic. 10. & 7. mor. Eud. cap. 5, & 11. ideò ius etiam atque poteſtas parentum in liberos Regia eſſe debet, & regio modo adminiſtrari, non tyrannico. Atqui Tyrannus ſuam, Rex verò ſubditorum vtilitatem ſpectat; quia amat & curat eos; ergò etiam Parentes, quia liberos amant & curant, iis ſic imperabunt, vt non tam ſuum bonum proprium, quàm ipſorum vtilitatem ac commodum ſpectent. Vnde Homerus Iouem *hominum patrem* appellat, eô quod paterno more imperet, hîc & 1. Polit. cap. vlt. vbi etiam parentum in natos imperium dicit eſſe βασιλικόν. Et reprehendit quidem Ariſtoteles cit. prius loco ius patrum in filios tyrannicum tanquam prauum & errans, quod apud Perſas fuit, qui filiis vtebantur vt ſeruis, & poteſtatem vitæ ac necis in eos ſibi arrogabant, vt patet etiam ex Iure ciu. *L. 11. ff. de liberis & poſth.* ita vt cum Ariſtotele ab Imperatoribus humanioribus ſummum hoc ius & priuata tyrannica poteſtas rectè reiiciatur, & nihil præter ius caſtigandi parentibus relinquatur, *l. vnica, C. de emendat. propinq.* vel etiam exhæredandi ob caſus in Nouell. 115. expreſſos. Licèt pro ratione delictorum & deſperatæ nequitiæ, publica quoque in eos pœna ex patris voluntate ſtatui poſſit, vt capit. 21. Deuteronom. ℣. 18. & ſequentib. & *l. 3. & ſeqq. C. de patr. poteſtate.* docetur. Sed

tur. Sed hæc Iuriſconſultis relinquimus. Seruis autem alio modo paterfam. præeſt, non vt pater ſed vt dominus, cap. 6. lib. 5. Ethic. & deſpoticè etiam eos regit, nec eorum vtilitatem & bonum tantoperè intendit, quantoperè ſuum ipſius proprium, ita vt hoc reſpectu domini imperium in ſeruos magis quodammodò tyrannicum quid ſapiat quàm regium, d. c. 10. Eth. atque ita alia imperandi & parendi ratio eſſe neceſſariò debeat in liberis quàm in ſeruis, adeoque diuerſa cura circa vtroſque adhibenda, vt in ſeqq. patebit.

17 *Cur inter omnes curas domeſticas maxima eſſe debeat circa liberorum educationem & gubernationem?*

Sapientiſſimè monet Philoſophus lib. 1. Polit. cap. 8. plus ſtudii & domeſticæ diſciplinæ requiri circa homines & eorum virtutes, quàm circa res alias, & plus diligētiæ eſſe adhibendum in educatione liberorum quàm ſeruorum, cum omnia fiant & fieri præcipuè debeant propter liberos, & ſerui etiam propter liberos ſint vt eis miniſtrent, non contra. Liberi ergo cum nobis non ſolum, ſed & reipub. ſed & DEO inprimis generentur, in trium quoque horum gratiam rectè & bene ſunt educandi. Nam primò cū liberi reipub. pars ſint, partis autem virtus ad totum reſpicere debeat & eius conſeruationem intendere, ideò reipub. intereſt rectè educari liberos, ſi velit eſſe ſuum integrè tueri ciuitas: hæc enim, laborante aut neglecta filiorum diſciplina, verè ſana dici vt poſſit tantum abeſt, vt corpus hominis totum incolume eſſe potius opinemur, ſi interim principalia viſcera, cor, pulmones & cerebrum morbis affecta ſint. Quò reſpiciens Cic. inquit 5. Verr. *Qui non rectè inſtituunt atque erudiunt liberos, non ſolum liberis, ſed etiam reipub. faciunt iniuriam.* 2, cum priuatum debeat tendere ad publicum, tanquam finem vberiorem & perfectiorem, idcircò ſcopus qui parentibus proponitur in educatione liberorum, totus debet referri ad bonum ciuitatis publicum, tanquam ad finem diſciplinæ domeſticæ perfectiorem. 3, cum forma pro ratione materiæ vt plurimum operetur, materia autem reipub. ſint liberi

Eccles. 40. v. 19.

(ex pueris enim sumuntur qui Remp. gubernent) ideò materiam istam rectè præparari necesse est, si nobiles functiones per eam forma edere debeat. 4, Diuinus Plato 5. De legib. iubet liberos esse relinquendos, qui tanquam successores DEVM colere possint: sed quomodo, quæso, DEVM colent, si virtute non colant? quomodo virtute colent, si ad virtutem à parẽtibus nunquam sint assuefacti? ita vt rectè & piè dicat Aristot. 2. Oec. 2. in Deum peccare istos parentes, qui honestam filiorum educationem negligunt. Et grauissima vox est Brentii in præf. Catechef. *Vide ne Satanæ tuos liberos gignas*, &c. Memorabilis item Platonis in Critone sententia est, dum inquit: *Aut non erant procreandi liberi, aut in illis educandis & instituendis quantumuis molestus anxiusque labor constanter perferendus.* Et sanè quid iuuat multitudine & numeris terram implere? sic enim & bestiæ terram implent; quid prodest inutili pondere patriam & rempub. onerare? cum id vilissimum quodque etiam possit. Atqui Homines sumus cœlesti semine oriundi, & diuinæ naturæ participes. summâ igitur ope niti parentes decet, ne liberos vitam silentio transigere sinant veluti pecora, sed ea animi parte, quâ brutis sunt superiores, eos faciant maximè excellere, vt mentis virtute immortalitatem consequantur, non instar beluarum vitam degentes inglorii æternùm pereant. Quid denique ipsis parentibus in tota sua vita potest esse iucundius quàm aspicere filios generosos & optimè educatos, tanquam plantulas & nouellas vites, suauitate & dulcedine suã genitorem inebriantes? quid vtilius quam habere vitæ suę altores & senectutis pastores quasi optimos ac reuerentes? quid honestius quam genuisse tales, qui totius domus sint seruatores? quid tandem sanctius quàm relinquere liberos eiusmodi, in quibus mortuus viuas & memoria sempiterna fruaris? vt hæc omnia breuiter indicat Aristoteles dicto cap. 2. Oec. 2. Toto igitur aberrare cœlo Plutarchus eos dicit, qui filiorum suorum curam diuitiarum possessioni posthabent, & haud aliter eiusmodi parentes facere ait, quàm qui magnam calceorum sedulitatem habent, cum interim pedem ipsum paruipendant. Et antiquus ille Crates dicere solebat,

Ephes. 6. v. 4.

Lucret. lib. 1. Aristot. 4. de par. an. c. 10.

Prouer. 10. v. 1. & c. 23. v. 24. & 25.

Psal. 127. v. 3.

Eccl. 30. v. 5.

Eccl. 30. v. 2. 3. & 6.

Ibid. v. 4.

De liber. educ.

se in

se in altissimam vrbis partem conscensurum, & si liceret ita vociferaturum: *Quorsum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis vestrum studium ponitis, filiorum verò quibus eas relinquitis, nullam planè curam suscipitis?* vt refert idem Plutarchus. Quin & equorum pullos, vt generosi fiant, ipsi sæpe curamus, aut equisones conducimus; Canes item ad venandum edocemus & ad alia mirabilia instruimus; filios igitur negligere turpissimum est & impium.

18 *Cur mater suos liberos proprio lacte alere debeat?*

Ex quibus sumus, iisdem optimè etiam nutrimur, vt dicitur 2. De gener. & corr. c.8. t.49. Cum igitur ex matris substantia sint liberi, matris etiam lacte optimè nutrientur, quod est matris substantia, 7.Pol.c.17. atque adeo sicut vnicuique rei in sua matrice melius est & perfectius, quam in alia (vt in plantis aliò translatis apparet) ita salubrius quoque & melius enutrietur fœtus illo lacte, cum quo habet naturalem cognationẽ, quàm cum alieno. Nam infantes quia non sunt geniti ex sanguine nutricum, ideo quoque lac non est ipsorum substantiæ adeò accommodatum, neque ita sanitatem conseruat, sed potius morbos generat, vt ex Arist. ibid. colligitur. Grauia imprimis argumenta Plutarchus affert in lib. de educ. puer. quorum primũ est, quod mater diligentius possit alere liberos propter innatum amorẽ; cum nutrices mercedis saltẽ gratia eos diligant. 2, quod ipsa natura hoc doceat, quæ vnicuique animanti suos fœtus tradit alendos. 3, quod natura non frustra matribus communicauerit lactis munera, atque adeò duas mammillas. 4, quod mater maiorem beneuolentiam & amorem foueat erga eos, quibus quotidiè suam substãtiam communicauit. 5. quod liberis naturalis amor erga matrem magis ac magis implantetur, & quasi cum ipso lacte virtus ac pietas instilletur. Accedit etiam, quod ex diuersis nutricibus diuersi euadant fratrum mores & inæquales animi ad se inuicem affectus. Hinc nimirum tenuis est mutuus parentum ac liberorum amor; hinc rara fratrum & sororum ad se inuicem concordia:

Imò etiam totius corporis temperiem diuerso lacte mutari rationi consonum est, &, per consequens, etiam dispares in liberis virtutes à parentum virtutibus & inclinationes ad eas diuersimodè oriri. Infantes enim cum nondum benè confirmatum habeant temperamentum, sed instar mollissimæ ceræ omnium impressionum adhuc sint capaces, ideò alimentum quo nutriuntur, quodque in substantiam eorum adeoque corporis temperamentum conuertitur, magnam in corpore eorum confirmando efficaciam obtinet: si igitur lac nutricum est alimentum infantum & in succum ac sanguinem ipsorum conuertitur, quomodo fieri potest, vt temperamentum ab alimenti qualitate fiat diuersum? Facilius itaq; ex cera nigrore permixta nigrorem separaueris, quàm naturam nutricum liberorum tuorum massæ instillatam, coalitam & ipso temperamento induratam tolles. Ita vt non leuis sanè causa esse videatur, cur heroum & magnatum filii plerumque à patria virtute degenerent, cum nimis delicatæ matres nutricationis curâ partui nolint adiungere, sed alienis tradant alendos, ex quibus cum lacte ipso temperamentum hauriunt alienum, &, per consequens mores alienos. Et memorabile est, quod ex Iun. Rustico lib. de educ. refert
„ Io. Casus pag. 85. Oec. de Graccho, qui nutrici gemmam
„ valdè magnificam, matri autem longè viliorem dedit;
„ quo facto mater attonita & irata, facti rationem quæ-
„ rit: Mater, inquit filius, hoc propterea ago, quia tu so-
„ lum nouem mensibus me gestasti in vtero; hæc verò me
„ tribus integris annis in vlnis & amplexibus fidelissimè
„ enutriuit; negasti id mihi, quod planta ramis, quod simia catulis non negauit. Pathetica omnino & mulieribus singulis obseruatu dignissima est oratio Phauorini Philosophi apud Gell. lib. 12. c. 1. vbi matrem nouæ cuiusdam puerperæ sic appellat, cum nutrices puerulo ad-
„ hibere vellet: *Oro te*, inquit, *mulier sine eam totam inte-*
„ *gram esse matrem filii sui.* Quod enim est hoc contra na-
„ turam imperfectum atque dimidiatum matris genus?
„ peperisse ac statim ab sese abiecisse? aluisse in vtero san-
„ guine suo nescio quid, quod non videret? non alere nũc
„ suo lacte quod videat iam viuentem, iam hominem iam

matris officia implorantem? An tu quoque, inquit, putas, natura fœminis mammarum vbera quasi quosdam næuulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sic enim, quod à vobis scilicet abest, pleræque istæ prodigiosæ mulieres, fontem illum sanctissimum corporis generis humani educatorem arefacere & extinguere cum periculo quoque auersi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis sibi insignia deuenustet. quod quidem faciunt eadem vecordia, quâ quibusdam commentitiis fraudibus nituntur, vt fœtus quoque ipsi in corpore suo concepti aboriantur, ne æquor illud ventris irrugetur, ac de grauitate oneris & labore partus fathiscat; quod cum sit publica detestatione communiq; odio dignum in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus interfectum ire, quantulum hinc abest, iam perfectum, iam genitum, iam filium proprii atque consueti, atque cogniti sanguinis alimonia priuare? &c. Hæc Phauorinus, vbi in pulcherrimis quæ sequuntur verbis etiam hanc rationem affert, quod non sine causa is sanguis qui in vtero fuit, aduentāte partus tēpore in supernas partes mirāda naturæ solertia se proferat. Et simul etiā lactis virtutem & efficaciā in effingendo corpore & animo venustè ostendit, & omnes istas causas quas ex Plutarcho attulimus, philosophicè & ornatè exequitur, tandemq; amorē istū quem liberi matribus, à quibus nō sunt nutriti, exhibere videntur, concludit non esse verè naturalem, sed ciuilem potius & opinabilem. Sin autem matres suos infantes alere ipsæ nequierint, vel propter aduersam corporis valetudinem, vel alias causas & impedimenta ineuitabilia, alumnas ac nutrices matri quoad fieri potest, complexione similes, maximè idoneas, patriis moribus instructas probasque suscipiendas esse, non viles, temulentas, idem Plutarch. monet. Nam de Tyberio scribitur, quod per nutricē ebriosam factus sit & ipse ebriosus. Et Dion lib. 2. de Cæsarib. scribit de Caligula, quod non ex parentibus, sed ex nutrice sua tyrannidē hauserit. Præterea Lemn. lib. 2. de Occ. nat. cap. 50. inquit: Incon-

ſultè faciunt, qui tetricas aut moroſas nutrices conducunt aut aniculis alendos committunt infantes, quæ manſum in os tenerum inſerant. Cum enim halitu graui ferè ſint ac viroſo, hircumque oleant, fit vt quicquid ex huiuſmodi corporibus emanat, ad ſe alliciant, eoque efficiatur vt colore giluo exiſtant ac muſtelino, multaque vitia ex illarum accubitu contrahant, præſertim ſi in decliuiori ſpondæ parte reclinentur, illisque ex aduerſo ſint conſtituti. Porro cum membrorum recta iunctura & conformatio non tantum ad corporis faciat decentiam, ſed & maxima cauſa ſit, cur homo in cœlum erecto poſſit eſſe vultu, ideò Philoſophus c. vlt. 7. Polit. duo media præſcribit, quibus id obtineri poſſit: Motum nempe & faſciculos. Ac motum quidem primis annis vult eſſe cum Platone 7. de ll. aſſiduum & moderatũ, ac fieri vel geſtatione in vlnis, vel agitatione in cunis, vel motione in curru, vehiculis, lecticis atq; equis, vel quomodocunque aliter moueantur; item vt pedes figere ac ponere ipſi paulatim diſcant, diſcant ſtare atque locomoueri, quia motus infantum calorem excitat naturalem, totumque corpus recreat, vel viuificat; digeſtionem cibi coadiuuat & per membra digerit; ſuperflua & inutilia (præſertim quæ traxit ab vtero matris) exhalare facit ac cõſumit; opilationes aperit & humores extenuat & adæquat; augmentũ cauſatur ac membra diſtendit; denique mẽbra calore velut liquefacta apta facit ad quoduis, præcipuè verò ad rectã cõformationẽ & fictionẽ flexibilia reddit. Vnde & Plutarch. inquit: Corporis certamina pueris ſunt permittenda, quò & apta quædã membrorum cõpoſitio ſimul & robur acquiratur. Bona .n. in pueris corporis habitudo bonæ quoque ſenectutis fundamẽta iacit. Vbi v. iam ſtare infantes cœperint, geſtari tamen adhuc debẽt alternatim & per vices, ne ponderis violentiã membra propter mollitiẽ diſtorqueantur, & obliqua fiant. Inſtrumenta verò & alias machinas, quibus puerulorum membra tenella & molliuſcula ſuffulciũtur, vt cõformia fiant & proportionata, varias eſſe Philoſophus dicit pro variarum gentium conſuetudine & locorum circũſtãtia, faſciculos tamen vt plurimum vſurpari, & tam diu adhiberi debere, donec

rectè

rectè & decenter confirmata & consolidata puerorum membra videantur, cum bona vel mala membrorum dispositio non solum à natura, sed à prudentia aut imprudentia nutricis sæpissimè pendeat. Et hæc quidem omnia conducere ad sanitatem, pulchritudinem & vires Plato cit. loc. testatur. Occurrit hoc loco quæstio: *An consultum sit infantes frigori exponere*? Aristoteles quidem expresse inquit citato antè loco, multum conferre, vt indurentur corpora puerorum præsertim masculorum frigore, cum id ad sanitatem & ad res bellicas vtile sit. Et commendat consuetudinem earum gentium quæ gelido amne natos immergunt, item Celtarum siue Gallorum, qui tenui veste induunt infantes, cum nempe eorum natura ob calorem apta sit ad frigus exerceri, & ad cuncta statim ab initio melius assuefieri. Contrà verò alii nõnulli Belgarum ac Batauorum morem probant, qui liberos suos vestibus diligentissimè aduersus frigora muniunt. Verùm non intensissimo frigori puerorum corpora exponi debere sententia est Philosophi nostri, sed vel hoc tantum velle videtur, in vaporariis siue hypocaustis nimium calidis infantes non esse educandos, ne calor illorum insitus externo calore ambiente eliciatur & corpus ita atq; animus fiat laxior & effœminatus; vel etiam ne amictu vtantur ejusmodi, cuius densitate & caliditate pori corporis sæpè resoluãtur & spiritus exhalent cum virium detrimento; sed potius pro temporis ratione tenui vestitu eos operiri debere, qui possit ventilari, quique talis sit vt eo pori seruentur clausi, atque ita ob caloris coarctationem corpus paulatim & vnà cum crescente puerorum ætate induręscat & constipetur, & sic ob caloris multitudinem frigori posteà melius queat resistere. Quæ quidem omnia nos etiam concedimus, & ita quidem, vt gelido amne pueros etiam tutò ablui posse non negemus, cum in Græcia frigida aqua in his nostris regionibus septentrionalibus tepidæ aquæ gradu quodam respondere videatur, ita vt ibi aqua gelida imbui idem sit atque hîc aqua non calida immergi. Si verò frigida aqua in Græcia eodem gradu cum nostra aqua frigida conueniret, nihil tamen illa nobis hac in re præiudicaret, qui non

frigidissimâ aquâ infantum corpora statim esse immergenda consultum putamus; quandoquidem Aristotelis tempore infantum corpora longè fuisse robustiora verisimile est, quam sunt hoc nostro imbecilli seculo & vergente mundi senecta.

19 *An vtile sit plorare infantes?*

Plato in 7. de legib. nutrices monet, ne pueros vel metu vel tristitia afficiant, sed operam dent, vt eorum animus pacatior tranquilliorque reddatur. Quibus verbis puerorum fletum prohibere videtur, vt putat Iauellus tract. 6. super Eth. Plat. c. 3. & tract. 9. super 7. Pol. Arist. in fine, c. 2. item tract. 3. Oec. Christ. in fin. c. 2. licèt ambiguè subinde Iau. loquatur. Contrà verò Philosophus noster cap. vlt. 7. Pol. minus rectè facere eos dicit, qui legibus præcipiunt vt ploratus interdicantur in hac ætate pueris, cum sint exercitium quoddam corporis, & vtiles ad eius augmentum. Pueris enim, cum sint adhuc valdè humidi, humoris quædam leuis extractio nocere non potest; iam verò cum per fletum & lachrymas de copia humoris aliquid minuatur, de nocumento parum etiam fuerit periculi, præsertim cum illi plerunque & magis plorare soleant, quibus humidius contigit temperamentum, quam alii, quibus aliquantò est siccius. Notum autem est, calorem naturalem efficacius & perfectius operari in eo, quod est minus, & in debita συμμετρίᾳ siue κράσει consistit, quàm quod est abundans & excedens. Si igitur cum lachrymis superflua quædam effunduntur, vtique in reliquum calor fortius aget, atque adeò totum corpus faciet magis temperatum. Imò & pulmones euentilantur quasi & à fuliginibus liberantur. Sed & spiritus animales in fletu versus cor (quod molle adhuc est) prolapsi, illud reddunt compactius & solidius, quo incalescente spiritus illi violenter iterum prorumpunt & in omnes partes diffusi arterias, atque neruos subitò distendunt; & inprimis diaphragma siue thoracem faciunt ampliorem. Sicut enim qui saxum magnæ molis aut aliud graue pondus à terra subleuare conantur, spiritum inhibent, vt sint robustiores, ita & pueri si plorent, quia anhelitum modò reprimunt &

versus

versus cor reuocant, modo eundem à corde repellunt & retroagunt, istâ anhelitus siue spiritus iam compressi, iam soluti vicissitudine & reciprocatione motus, cor & pectus suum veluti labore quodam exercent. Nec timidis in hac re materculis verendum est, cruciari hac ratione pueros & ex violenta cordis spirituumque coarctatione hunc fletum in illis prouenire; non enim ex hac causa præcipuè oriri in pueris fletus videtur, ex qua in adultioribus: hi enim quia perfectiorem obiectorum habent notitiam, ex corde (vt loquimur) siue intimo cordis affectu plorant, & quidem cum passione grauiori. Pueri verò quibus nulla adhuc vel leuis saltem & imperfectior est obiecti mali notitia, & veluti superficialis tantum aduersitatis gustus, tristitiam vehementiorem non semper sentiunt cum plorant: nam quod facilè emittant lachrymas, inde fieri videtur, quod calor ob quandam velut indignationem rei ipsis denegatæ cerebrum illorum imbecille inuadat, & quia valdè in ipsis humidum est, humores quasi colliquatos ad glandulas oculorum faciat destillare, qui humores compressis illis glandulis tanquam ex spongia facilimè effluunt. Interim tamen fletus intemperatus siue eiulatiuus atque vociferatiuus non laudatur, quia omne nocet nimium. Sicut nec pueris horror vel terror fuerit incutiendus, ne in somnis tetra quędam phantasmatum ludibria illis obueniant, quæ eos exagitent, expergefaciant & ad inquietudinem quandam non sine periculo disponant.

20 *Quando incipere debeat institutio puerorum domestica?*

Postquam tribus infantiæ annis ad proportionem membrorum & ad robur confirmati infantes fuerint, sequentibus duobus annis, quarto nimirum & quinto motus solummodò quosdam illis à parentibus imponendos esse Philosophus monet dicto c. vt scilicet pigritiam corporis euitent, cum secundum Plat. in Tim. ocio marcescant omnia, motu autem seruentur, vt paulò superius probauimus. Ad disciplinam verò aliquam minimè eos iam esse cogendos, vt nec ad labores aut onerã

portationes, ne crescere impediantur, sedulò docet, cũ disciplinarum nondum sint capaces, labore autem virtus spirituum dissoluatur, aut membra etiam facilè luxentur vel comprimantur. Motus verò illi, quos Philosophus requirit, cum diuersi esse possint, & vel ad corpus tantum, vel corpus & animum simul referri, vel denique ad animum tantum; in genere omnes debent esse moderati, non violenti; successiui, non extemporarii; naturalem motum maximè imitantes, qui fit ab extremis ad extrema per media & pedetentim.

21 *Qui ludi permittendi sint pueris?*

Quando loco iam moueri possunt & pedibus inniti firmius pueri didicerunt, quiescere eos nunquam posse testatur experientia: idcircò vt in motu isto seruentur, ludos iisdem concedendos esse à parentibus docet Philosophus dicto sæpè cap. sed ita tamen, ne quosuis illis promiscuè permittant quos ipsi vel inueniunt, vel ab aliis agitari vident, sed tales qui corpus & animum simul recreant ac perficiunt. Debent igitur ludi isti non nimis esse laboriosi, quia his impeditur incrementum & accretio corporum, quæ accretio potissimum promouetur humiditate corporis, cũ accretio nil aliud sit quàm extensio corporis ad maiorem quãtitatem facta in humido per moderatum calorem. Quia ergò omnis vehemens labor & exercitatio siue motus nimium excitat calorem, nimius autem calor valdè exsiccat (sicut videmus in corio ad ignem admoto) ideò puerorum corpora per nimium laborem & defatigationem exsiccata cõtrahuntur veluti, & non possunt excrescere ad iustam proceritatem. Ita vt malè faciant parentes illi, qui liberis suis indulgent vel ipso meridiano Sole æstiuo tempore vehementissimis lusibus operam dare, etiam vsque ad sudorem, quo nihil est pestilentius teneris corporibus. Vnde & Cicero 1. Offic. inquit: *Ludo & ioco vti licet, sed sicut somno & quietibus cæteris.* Nec verò lenta nimis & remissa decet esse lusuum siue ludorum genera, ne corpora puerorum humoribus redundantibus impleãtur, atque adeò ad ignauiam & inertiam disponantur, sicuti ex superioribus & 7. Eth. 7. manifestum est. Quin

etiam

etiam liberales vult esse lusus Aristoteles, i.e. tales, qui animum disponant ad virtutem & alacritatem quandã, non verò tales quib. animus disponatur ad vitia & corruptelas: nam infantes & pueri velut simiæ quædã sunt, ita vt in ludo cupiant omnia repræsentare, quæcunque vident: Vident autem illiberalia sæpe & sordida, quæ ne ludendo exprimant, prohibendum est. Et Cic. loco antè cit. inquit: *Pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena.* Denique hoc requirit in ludis Philosophus, vt sint simulacra eorum, quę postea seriò facienda sunt, d. l. & 10. Eth. 6. quia enim ludorum imagines fortissimè inprimuntur in ingeniũ & memoriam puerorum, ideò præparant eorum intellectum ac disponunt quadam similitudine cogitationũ ad facilius concipiendum & retinendum seria. Et memorabile est, quod de Cyro annotant Historici, eum inter ludendum pro iudice sese quodam & veluti rege inter rusticorum filios colludiones gessisse. De Athanasio etiam refert Sozomen. lib. 2. cap. 17. quod puer adhuc inter pueros concionatoris & Episcopi personam gesserit.

22 *An pueris proponendæ aut narrandæ fabulæ?*

Cum corporis quædã progymnasmata Philosophus præscripsisset, animi quoque præparationem prudenti consilio subiicit, dicitque narrationes & fabulas pueris hac ætate proponendas esse: hæ enim cum leniter demulceant hominum animos, & vltrò sese iis insinuent, puerorum etiam mentes assuefaciunt ad attentionem, & ingenium paulatim disponunt ad rerum notitias & ad semina virtutum, quæ in fabulis & apologis proponuntur. Linguam etiam eorum effingunt ad res appellandas & apologos illos idiomate patrio siue vernaculo sermone suauiter parentibus recitandos cum summa delectatione. At verò subolfaciens veluti Aristot. huius seculi improbitatem, vbi pueris sine discrimine talia sæpè à nutricibus, vetulis & improbis ancillis narrantur, quæ etiam cogitare turpe est, idcircò censoribus morũ siue Ephoris atque inspectoribus, imò & parentibus vi-

dendum esse diligenter monet, quales narrationes ac fabulas hac ætate pueris proponi conueniat. Quod idem etiam monet Plut. lib. sæpè cit. ex Platone 2. De rep. vbi detestandos & exsibilandos esse ait eos, qui narrant pueris fabulas de Deorum furtis, adulteriis, pœnis, bellis & discordiis, inuidiis, inimicitiis, quod Deus sit malorum causa, ac velut præstigiator in varias mutetur formas, sitque seductor & mendax, tum in vigilia, tum in somniis multis variisque apparitionibus mortales decipiens illisque illudens. Et quidem cum omnia imperfecta ad perfectiora tendere debeant, tanquam media ad suum finem, fabulas etiam tales esse vult Philosophus in hac ætate puerili, quæ ad vitam secuturam siue adultiorem sint accommodatæ, liberales nempe minimeque turpes, quæque adeò sint veritatis & virtutum æmulæ, non turpitudinis aut mendacii genitrices; nec tales quæ narrantur solum, vsum verò nullum præstant, sed quæ præter verba digito velut intendant id quod seriò postea fuerit agendum: nam quid fallacibus vmbris, quid somniis prodest lactare infantes & figmentis delectare? quæ sanè per se dum ficta sunt, & rei in natura nullibi existentis aut aliquando futuræ, imagines esse debent, mendacia sunt, falsa sunt atque mala, & magis si turpitudinem adhuc coniunctam habeant, detestanda ac simul cum sphyngibus istis siue aniculis & ancillis ex ædibus procul ableganda. Fabulæ igitur Æsopicæ enarrari pueris meritò possunt, cum tales sint, quę puerorum captui sunt accommodatæ, propter rerum in natura existentium atque notarum repræsentationem, ac propter vitæ humanæ contemplationem velut in speculo factam: Fabulæ item Poëtarum honestiores non excluduntur, sicut nec apologi ad similitudinem historiarum quarundam conficti. Cæterum quia necessarium est, inquit Arist. d. c. ad septimum vsq; annum alere & retinere liberos in ædibus paternis, vbi & serui & ancillæ sunt seruilia & domestica opera peragentes; ideò consultum videtur, vt prohibeant parentes aut illi qui educationi puerorum præfecti sunt, ne liberi in hac præcipuè ætate frequenter cum hominibus illiberalib. aut vilibus seruis vel ancillis in domo versentur, atque adeò

adeò quàm procul abducantur à visu & auditu rerũ seruilium. Pueri enim cum sint cera mollis, facillimè recipiunt in se similitudinem earum rerum quas vident vel audiunt. Si igitur quotidiè videant vel audiant seruilia & ingenuum hominem minimè decentia, inclinationem quandam ad ea nancifcentur; tum etiam quia delectationem ex his percipiunt, quibus primis annis sunt assueti, ideò adultiores facti ad ea occultè quasi delabentur, ita vt ægrè diuelli ab iis iterum possint: nam quod noua testa capit, inueterata sapit, & consuetudo à teneris vsque contracta diu durat & velut in naturam transit. Et quidem cum sine metu pœnæ ac virgarum apud seruos & ancillas pueri liberè delinquant & peccent, peccandi habitum sibi contrahunt, quem non sine difficultate tollere parentes valeant. Etsi autem apud nos non sint mancipia, qualia fuerunt apud Græcos, tamen ingenia seruorum & ancillarum sæpè antiquorum mancipiorum ingeniis, sermonibus ac gestibus sunt similia: nam seruorum & præcipuè ancillarum naturam sic esse comparatam hodiè etiam videmus, vt blanditiis suis pueros ad se alliciant, delicta eorum extenuent ac defendant, fabulas iis narrent & nugas, ac familiariter cum ipsis conuersentur, vt scilicet hac ratione sibi videantur aliquid de iure liberorum participare, aut etiam vt dominis ita magis placeant. Ita vt hinc apud nos etiam consultum sit, vt quando eiusmodi ingeniorum seruos vel ancillas habemus, non permittamus liberos frequenter cum iis solis versari.

23 *Quo anno ætatis pueri artium studiis sint addicendi?*

Vt in corporis motu successiuè fieri omnia volebat Aristoteles, sic in animi quoque motu gradatim procedẽdum esse monet, nec ante annum ætatis septimũ pueros ad artes discendas adhuc . ogẽdos, sed leniter & velut ludendo blandis rationib. ad eas quas addiscere postea debent, esse alliciendos & assuefaciendos, vt non attracti ad Musas, sed adducti videantur. Cum ergò pueritia quinquennio & septennio potissimum vigeat,

tanquam quæ valdè humida est & calida, partesque solidiores habet valdè molles & extensibiles, ita vt his annis natura festinet magis in extendendo corpore quam annis sequentibus, adeò etiam vt dimidium ferè magnitudinis suæ hisce annis corpus hominis acquirat, & fundamenta veluti iaciat reliquæ accretionis, vt ex cap. 18. lib. 1. De gener. anim. apparet: idcircò sicut labor & motus corporis intemperatus pueris nocet, vt diximus, sic multo magis nocebit labor animi & motus mentis, quo spiritus animales ad cerebrum delati reliqua membra & viscera, quæ imperfectiora adhuc sunt & nondum consolidata, virtute sua deserunt, ita vt temporis progressu tam ingenii quàm corporis viribus deficere cogantur, vt in præcocibus ingeniis manifestum est. Ita vt rectè dicat Plutarchus, eos parentes qui liberos suos artibus ocyus tradunt imbuendos, præ nimio amore odisse liberos, cum nempe pueri laboribus præmaturis oppressi facilè corruant, minus mansuetè doctrinas percipiant, atque adeò tædio earum afficiantur: Et dicit imitandos esse hac in re hortulanos, qui plantas modicis affundunt aquis, multis non suffocant. Equulos etiam non statim magnis laboribus maceramus, sed demulcemus eos, vt primò sessorem ferre patiantur ac discant; deinde vt mediocria paulatim portent onera, adeò vt per ipsam consuetudinem postea quiduis sine molestia sustineant. Pueros itaque eodem artificii genere assuefaciendos esse à parentibus Oeconomica Prudentia docet. Denique idem Plutar. egregiis rationibus & exemplis monet, vt hac ætate pueri discant sine mollitie viuere, pertinaciam fugere, linguam continere, iram sibi subiicere, manus comprimere, somno & vigiliæ moderari. Ac memorabile est quod addit, inquiẽs: Præter hæc omnia id quod sanctissimum est, pueri vera proferre cõsuefiant: mentiri enim seruile est vitium & à cunctis mortalibus odio habendum, nec dignum quod apud mediocres etiam seruos veniam promereatur. Et sanè cum homo perfectione suscepta optimum sit cunctorũ animalium, vtpote propter quem reliqua omnia sunt condita secundum Arist. lib. 2. Phys. c. 2. t. 24. & Cic. 1. Offic. contra verò pessimum sit omniũ animaliũ, si alienus fiat à

fiat à doctrina, à lege & à iudiciis, 1. Pol. c. 2. ideò tantò maior circa puerorum institutionem suscipienda cura est, quantò maiora incommoda ex neglecta eorum disciplina nascuntur. Sicut enim ager naturâ fertilis si incultus squaleat, maiori copia spinas, infelix lolium & alia id genus profert; ita & puer quo præstantiori indole præditus est si negligatur, ad vitia facilius deflectit, vt inquit Plutarchus d. sæpè lib. adeò vt quo generosiori prius animo fuerat, tantò maiora postmodum scelera committat, vt sapientissimè docet Plato 6. de rep. Et vt vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda aut tertia; ita quoque errata commissa in educatione iuuentutis nullis postea dehortationibus emendantur, ita vt ibidem rectissimè dicat Plutar. ὥσπερ καλὸς παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια, οὕτω πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκἀγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας. h.e. *vt ad esse facit natiuitas, ita ad bene esse institutio & disciplina*. Et paulò pòst: Πρῶτον, καὶ μέσον, καὶ τελευταῖον κεφάλαιον, ἀγωγὴ σπουδαία καὶ παιδεία νόμιμός ἐστι, h.e. *Primum* (scilicet in Ethicis) *medium* (in Oeconom.) *& vltimum* (in Polit.) *est institutio diligens & legitima*: seu breuius: Bonæ educationis fructus ad omnes totius vitæ humanæ status redundant, sicut contrà educationis neglectæ mala primò à singulis quidem incipiunt, ad plures verò nempe ad domos proserpunt, in repub. verò tanquam in vltimo tandem subsidunt, initio cap. 1. Polit. 8. Ita vt meritò dixerit Diogenes Pythagoricus, fundamentum totius reipub. consistere in adolescentium educatione. Et Picolomin. gradu 10. Phil. mor. cap. 30. inanes esse omnes in repub. leges pronunciat, nisi iuuentus rectè instituatur. Et Isocr. in Areopag. *Qui malè educati sunt, audent etiam leges optimè scriptas violare*. Quem morbum cancri instar progredientem agnoscens noster Philosophus, egregiam eius ostẽdit præseruatiuam (vt Medicorum termino vtamur) principiis nempe obstandum esse docens, ne malum per longas inualescat moras, antidoto, inquam, rectæ educationis, quæ fit primis annis per disciplinam & artem, quæ sola hunc morbum tollere valeat & naturæ defectũ implere, vt eximiè inquit sub finem c. vlt. 7. Pol. Quam quidem disciplinam & institutionem circa exitum pri-

mi septennii incipere debere ait, cum nimirũ pueri hac ætate σύστασιν & consistentiam temperamenti sui plerũq; nanciscantur, ita vt facilior modò sit & impressio rerũ & earundem fidelior conseruatio, nec periculum illud iam sit, quod ante hoc tempus imminebat de viriũ corporis impedimento. Et hùc præcipuè pertinet præclarũ illud Phocylidis monitum apud Plutarch. χρὴ παῖδ' ἔτ' ἐόντα, καλὰ διδάσκειν ἔργα. id est, *Dum tener est gnatus generosos instrue mores.* Ita vt pessimè sibi suisq; consulant liberis parentes isti, qui eos vel expertes omninò disciplinarũ esse volunt, vel ne duriusculè tractentur in scholis, domi retinent eo vsq;, donec obfirmati ingenii duręque ceruicis facti fuerint. A teneris igitur assuefaciendos esse filios non solùm Aristoteles hoc loco & in fine cap. 1. lib. 2. Eth. & toto cap. 9. lib. 10. Eth. sedulò monet, sed & autores alii, inprimis diuinus ille Plato 7. de ll. vbi tàm parentes quàm liberos indoctos ciuili honore priuandos esse docet tanquam indignos. Sed & sapientissimus ille rex Israëlis idem monet Prouerb. cap. 13. ℣. 24. cap. 22. ℣. 6. & 15. cap. 29. ℣. 15. Eccl. 7. ℣. 25. cap. 30. ℣. 8. & seqq. & alibi, ita quidem vt virgis interdum non parcant parentes, ne ipsi postea lugeant & luant pœnas pro liberis, 2. Oeconom. 2.

24 *An institutio puerorum debeat esse publica?*

Duplex est educatio iuuentutis; priuata nempe & publica, 10. Ethic. cap. 9. & in extr. cap. 7. Pol. & cap. 1. 8. Pol. Priuata iterum vel solos parentes vel Pædagogos spectat. Parentes quidem soli ab ipsa statim infantia liberos suos curare debent vsque ad annum septimum, quo Pædagogos sibi associabunt, qui suam operam parentũ operæ adiungent. Quod pueris opus sit Pædagogo, docet Plato 7. de legib. vbi puerum quauis bestia dicit intractabiliorem, nisi à Pædagogo regatur. Quales verò Pædagogos esse oporteat, Plutarchus breuiter & eruditè docet lib. sæpè allegato, vbi videri potest, & Iauell. admodum luculenter tract. 3. Oeconom. Christ. cap. 5. Publica autem institutio post annum septimum inchoata ad magistratum quidem præcipuè & publicos Ludorum magistros pertinet, sed interim tamen non negligenda

genda Pædagogo, minimè parentibus, qui certis temporibus ipsi etiam inspicere debent, quid proficiant liberi, vt ex cit. cap. 9. l. 10. Eth. prudenter suadet Plutarchus d. loc. Aristoteles cap. 1. Polit. 8. priuatam istam & clandestinam institutionem docet peccare in Rempub. Cum enim idem esse debeat finis rerum omnium publicè & priuatim hominibus, initio cap. 15. lib. 7. Polit. idcirco & finis institutionis publicus esse debet, nempe vt boni ciues & magistratus reipub. tradantur, atque adeo media debent esse publica & publicè omnibus applicari; quod commodè fieri nequit, si peculiaria quisque suis liberis præcepta tradere velit. Præsertim cum ciuis existimare non debeat se suum esse, sed ciuitatis; atque ita liberos etiam non sibi gignere, sed ciuitati ac reipublicę; & idcircò rei communis etiā debeat esse institutio communis & publica. Particula enim ciuitatis vnusquisque est, cura verò singularum particularum respicere nata est ad curam totius. Quia etiam educatio domi mollior est ob intemperantem amorem parētum erga liberos: itaque ex domestica educatione molliori educendi sunt liberi ad educationem publicam, quæ prudentiam magis quàm impotentiam amoris spectat. Quin etiam domi & in secretis ingenia liberorum vel languescunt & quendam velut in opaco situm ducunt, aut contrà inani persuasione tumescunt: necesse enim est nimium sibi tribuat, qui se nemini comparat, inquit præclarè Quintil. lib. 1. cap. 3. Comparat autem se nemini, qui neminem præter suos domesticos inspicit, atque adeò in quo non excitatur honesta æmulatio, quam æmulandi ansam publica educatio saltem suppeditat, vt rectè idem Quintilianus. Insuper publica disciplina in sapientia totius reipub. fundata & inspectione magistratus gubernata, necessariò est magis vtilis & salutaris quàm illa institutio, quę ab vnius iudicio pendet, præsertim cum minima pars ciuium eam doctrinam & experientiam habeat, vt possit de institutione liberorum iudicium ferre, sicut grauiter argumētatur Iohan. Casus ad cap. 1. 8. Polit. Accedit & ista ratio, quod laudes & præmia, contra verò vituperia & pœnæ quæ in publico administrantur, plus longè

8. habeant efficaciæ, quàm quæ in priuato. Sed & præparantur hac ratione, & ista publica consociatione animi hominum ad amicitiam & concordiam suo tempore in repub. tuendam, siquidem vt Quintil. d. l. 1. c. 3. monet, ii qui à prima ætate iisdem studiis initiantur, ad senectutem vsque firmissimas amicitias colunt. Et grauis cuiusdam viri sermo est: *Amicitias militum esse ex periculo; aulicorum ex poculo, mercatorum ex lucro, Scholasticorum verò ex honesto.* Denique exempla etiam præstantissimarum rerumpubl. id comprobant, quæ parentibus non permiserunt liberum arbitrium, vtrum filios suos in publicam institutionem tradere vellent necne. Et laudat hac in re Aristot. institutum Lacedæmoniorum, qui plurimam circa pueros diligentiam fecerunt, & quidem publicè in oculis ipsius magistratus, dicto capite 1. Polit. 8. & cap. 9. Ethic. 10. Sicut etiam apud Persas publica fuit iuuentutis institutio & apud Romanos, vt testatur Plutarchus in Lycurgo; Xenophon libro 1. Cyropæd. Polybius lib. 6. histor. Iustinus lib. 3. Fenestella lib. 2. cap. 17. & Eusebius quoque lib. 5. cap. 10. & lib. 6. cap. 2.

9.

25 *Quomodo secundo & tertio septennio educandi & instituendi sint pueri?*

Sicut in secundo septennio paulò diuersa est victus, laboris ac motus ratio, sic etiam institutionis diuersitas esse debet. Et sicut iterum in tertio septennio aliméti potusq; diuersitas est, sic etiam exercitia tam corporis quàm animi diuersa esse oportet. In secundo enim septennio, quod incipit ab anno octauo & extenditur vsq; ad annum pubertatis decimum quintum, cum progressu ætatis vtendum est alimento solidiori & in maiori quantitate cibo, declinante ad siccitatem, secus quam in primo septennio, vt nempe hîc calor fortior in fortiori materia forti⁹ operetur: Sicut enim calor ignis productus in aqua facilè iterum resoluitur, diutius verò in ligno quercino conseruatur, sic aliter etiam in infantis, aliter in pueri paulò adultioris corpore natiuus calor fouetur. Id quod ex nobilibus & diuitibus apparet, qui cum nimis delicatè & molliter hoc secundo septen-

De secundi septennii diæta.

nio liberos enutriunt, tam gracili nonnunquam corpore eos accipiunt, vt velut arundo tenui vento submoueantur, facileq; cuiuis alterationi aëris, &c. succumbant. In tertio autem septennio, in cuius fine corporis augmentum plerumque terminatur, cibo adhuc magis solido & in maiori quantitate nutriendi sunt homines, potu etiam temperatissimè reficiendi, sic tamen vt in his omnibus cuiusque complexionis ratio attendatur, cum Melancholicis non ita conueniant ea quæ Sanguineis, aut Cholericis ea quæ Phlegmaticis, sed semper gratissima quędam mixtionis temperatura seruanda sit. Motum verò quod attinet in secundo septennio, potest hic esse fortior & validior, vt cursus, lusus pilæ, brachialis luctatio & labor mediocris. Mediocrem verò laborem siue temperatum motum dicimus propterea, quod per grauiores exercitationes pueris impositas sublatam esse corporis accretionem, vires ac robur, manifestè testetur Aristot. 8. Pol. cap. 4. In tertio verò septennio labores & motus longè fortiores assumendi sunt, vt venatio, cursus, saltus, equitatio, gladiatio, &c. Assuescẽdum item ad vigilias, ieiunia, lecti duritiem, tempestates, frigora, æstum, arma, &c. vt militiæ aptus pro tempore quisque inueniatur, fiatque animosus, si contigerit pro defensione patriæ arma sumere; nam ætas tertii septennii completi bello aptissima iudicatur; tunc enim animus & desiderium accenduntur spe consequendi gloriam, & robur corporis ac sensuum viuacitas florent. Quoad voluntatem in secundo septennio, secundum appetitum sensitiuum regendi sunt liberi: Cum enim ex defectu adhuc iudicii, non ratione sed phantasiis & imaginationibus ac passionibus ducantur, ne omninò secundum excessum concupiscentiæ & irascibilis viuant, prouidendum est. In tertio autem septennio cum omnes passiones appetitus ebulliant, omnibus modis frenandi sunt adolescentes & muro aheneo circumdandi, ne vltra limites euagentur, ab adulatoribus seducantur, & ad lupanaria, popinas, cupedias, alearum lusus, saltandi proteruiam, superbiam & id genus immodestias pertrahantur, vt diligenter monet Iauel. tract. 3. Oeconom. Christ. cap. 3. 4. & 6. inprimis Plutarch.

De diæta tertii septennii.

De exerc. corporis in secũdo sept, & In tertio sept.

De regimine sensuum & volunt. in secundo & tertio sept.

lib. sæpè cit. vbi cum puerorum delicta facilè corrigi posse dixisset, adultiorum verò peccata minimè, sed magnas miserias secum trahere probasset, vt ventris immodestiam, paternorum bonorum expilationem, amores virginum, mulierum corruptiones, adulteria, &c. admodum diligenter monet parentes, ne tacendo hanc liberis licentiam concedant, sed eos custodiant, coherceant, ad modestiam ducant, instruant, minentur, rogent, consulant, polliceantur, nunc eorum exempla demonstrent, qui ob suas libidines ad magnas peruenerunt ærumnas, aut qui per tolerantiam laudes & præclaram gloriam sunt assecuti; cum veluti elementa quædam sint virtutis, spes honoris & formido pœnæ, quandoquidem ille ad egregia honestatis opera promptiores efficiat, hæc ad perpetranda vilissima segniores reddat. Denique quod primum erat quæstionis nostræ caput, Pueri in secundo septennio cum nondum habeant firmatum rationis vsum, non sunt sollicitandi ad difficiles ac subtiliores disciplinas addiscendas, sed in linguis instituendi sunt, 8. Pol. cap. 3. vt nimirum his exactè præparati, ad rerum doctrinam possint idoneè adhiberi. Cæterum cum in omnibus disciplinis & artibus æquè excellere difficile, imò ferè impossibile esse videatur, cum primò vita sit breuis, ars verò longa, deinde varia etiam sint ingenia & naturæ hominum, ita vt ad diuersa diuersi ferantur, 8. Pol. cap. 2. quapropter Aristoteles etsi noluerit peculiaria studia cuique ætati in quouis septennii interuallo assignare, in genere tamen dicit ex vtilibus necessaria esse addiscenda, non vilia quæque & illiberalia, d. cap. 2. Deinceps cap. seq. studia iuuentutis sic partitur, vt quædam dicat esse honesta, necessaria & vtilia; quædam verò iucunda tantum. Illorum quidem alia dicit esse vtilia & necessaria tam pacis quàm belli tempore, vt sunt literæ humaniores, quibus omnes imbui debere pro personarum conditione præter Aristotelem docet Plato 7. De leg. sed ita tamen, vt quibusdam artibus ex his non perpetuò adhæreant, aut sese penitus illis mancipent, d. cap. 2. Alia verò dicit esse vtilia magis belli tempore, vt sunt exercitia Gymnastica. Nec vult etiam vt ad horum vnum omnes

Quomodo regendi sint pueri secūdū animum in secundo sept.

assuescant,

assuescant, sed vt in eo ad quod natura cuiusque quemlibet vltrò ducit, quodque sibi quisque præ cæteris tanquam finem eligit, diligentius versetur, ac magis magisque exerceatur, vt hac ratione familia & ciuitas vtroque tempore tam pacis scilicet quàm belli rectè sese habeat. Porrò literas siue artes & scribendi peritiam in eodem dignitatis gradu collocat Aristot. cit. cap. 3. d. l. & tam scribendi peritiam necessariam & vtilem esse dicit quam artes. Nam si vel priuatum vel publicum vsum spectemus, quid magis necessarium, quam posse res suas literis signare & describere, & facultates siue bona sua omnia in catalogum referre? quid ad mercaturã vtilius? quid ad artium conseruationem optabilius? quid magis necessarium amicis loco remotis quàm characteribus mentem suam exprimere? & si quæ aliæ sunt innumerabiles huius rei vtilitates ipso sole meridiano clariores. Modus autem scribendi varius est apud diuersas gentes, sicut & characteres sunt diuersi, vt notum est. Sub scriptura siue arte graphica cõtinetur etiam peritia artificiosè sculpendi & figurandi, ars vtraque profectò laude digna & ad Typographiam maximè vtilis & necessaria, si præsertim ad salutares & legitimos vsus in vita hum. conuertatur.

26 *An adolescentes & iuuenes in Gymnastica; an etiam in Musica sint exercendi?*

Gymnastica disciplina omnes motus corporis grauiores complectitur, vt sunt ars pugilatoria, iaculatoria, quæ fit vel bombardis, vel fundâ, vel arcubus & sagittis, vel hastis missilibus, vel iaciendo siue petendo lapidibus & saxis, ad certum fixumque locum collimando, vel ad certum interuallum saxa a se proiiciendo: item luctatio, venatio, saltatio & alia eiusmodi exercitiorum genera. Quæ quidem omnia ad fortitudinem facere Aristot. dicit 8. Polit. cap. 3. & esse veluti præludia quædam virtutis bellicæ, sed tamen ad hanc solam disciplinam non esse assuefaciendos omnes adolescentes prudenter monet seq. cap. 4. vbi primò ait, non rectè facere eos, nec reipub. etiam rectè consulere,

qui in Gymnastica tãtum instituunt ab ipsa statim pueritia liberos, non considerantes interim deformari corpora puerorum & augmentationem eorum impediri, si teneris annis ad has exercitationes cogantur; deinde cum hæc fortitudo beluina & leonina potius sit quam humana, si ei disciplina liberalis & artes non simul adiungantur, vt exemplo Laconum & aliarum gẽtium anthropophagarum demonstrat, ita vt magis cõsultum esse dicat cit. c. 3. & 7. Pol. cap. 14. & seq. & lib. 10. Eth. cap. 9. si aliquos saltem in his exerceamus, nempe eos qui singulariter ad ea per naturam propendere videntur, quique simul eius sint ætatis, vt labores athletarum & habitudinem eorum sine vllo virium detrimento possint assumere. Eos autem qui liberales artes addiscere debent, hisce palæstris aut omninò vult abesse, aut multò moderatius quam cæteros in his versari, cum simul mente & corpore laborare minimè conueniat, eò quod se inuicem impedire nata sint; labor quidem corporis mentem; mentis autem corpus, vt in fine c. 4. 8. Pol. differit Philosophus. Et Plutarchus etiam Gymnasticam magnopere commendans egregia hæc addit: *Perinde vt in cella quadam reseruandus est corporis labor, vt ne fragiles leuiterque cedentes ad doctrinæ studia fatigati succumbant.* Hostes enim disciplinarum, vt à Platone dictum est, labores atque somni. Plura de Gymnastica ex Plat. 7. de ll. recenset Iauellus in epit. super Polit. Plat. tract. 6. cap. vn. pag. 355. vbi tam puellas quam viros in Gymnastica & saltandi peritia exercẽdos esse Plato statuit; quod vtrum apud nos etiam, vbi hostium incursus tantoperè non timentur, valere possit ac debeat, id verò est quod dubitamus. De Musica ipsius Aristotelis tempore & inde vsque hodiè disputatum semper fuit; *An & propter quid discenda sit*, vt disertè patet ex cap. 3. Polit. 8. vbi eam à veteribus (vt videre etiam est ex Platone 7. De leg.) inter disciplinas relatam fuisse testatur Aristoteles: & discendam illam esse monet non quidem vt planè necessariam, vt est figurandi peritia atque gymnastica, sed vt liberalem & honestam, ad componendos nempe animi mores & perfectionem intellectus, honestam delectationem in

ocio, &c.

ocio, &c. Inprimis verò cap. 5. in vtramque partem de hac iucunda materia iucundè & prolixè Philosophus disputat, & inter modos cantus varios recenset Lydium, Æolium, Doricum & Phrygium, tanquam qui maximè valeant hominum affectus vel ad tristitiam, vel ad mollitiem, vel ad mediocritatem, vel ad animositatem mirificè disponere, vbi necessitas flagitat: & tandem concludit, hanc artem pueris esse addiscendam, vtpote quæ magnam habeat cognationem cum harmoniis siue rhythmis, qui per se citò & cum voluptate à quibusuis percipiũtur. Hinc Socrates etiam in senectute sua hanc artem didicit, Epaminondas senex lyram pulsare non recusauit: contra Themistocles cum recusasset lyram, habitus est indoctior, vt ex 1. Tuscul. quæst. Cic. probat Boterus circa finem c. 4. lib. 5. Pol. in quo multa etiam de Musicæ præstantia disserit. Porrò Aristoteles cap. 9. Eth. 10. licèt nihil referre dicat, an pauci vel multi in hac arte instituantur, suadet tamen cap. 6. dicti lib. Pol. vt si quis eâ omninò delectetur, in pueritia eam addiscat, quò maiori ætate grauioribus rebus vacare possit. Vbi simul monet, quousque Musicis exercitiis incumbendum sit, & quæ melodiæ quive rhythmi sint addiscendi, & præterea quibus instrumentis ad eam rẽ sit vtendum. Denique cap. vlt. vbi de harmoniis & rhythmis multa tractat Philosophus, vel ad Doricã vel Lydiam melodiã iuniores esse assuefaciendos monet (prout scilicet vnicuique eorum conuenire ac possibile esse videbitur) rhythmos autem tales iis proponendos esse, qui ad virtutes moresque optimos ducunt.

27 *Quale medium seruandum sit parentibus informandis liberorum moribus?*

Sicut seipsum amare naturale quidem est & laude dignum, magis autem se amare quàm oportet, vituperabile, 7. Eth. c. 4. & 2. Pol. c. 3. ita & parentes qui filios suos vt seipsos diligunt, rectè equidem faciunt, si autem plus quam decet, eosdem ament, nimiumque illis ex amoris sui impotentia indulgeant, reprehensione meritò digni sunt. Nam vt verissimè inquit Nazianzen. *Vtrumque malum est, indulgentia blanda & implacabilis seueritas:* vt enim

illa nimium laxat habenas; ita hæc immodica astrictione strangulat. Videmus enim multos ingenuos pueros intempestiuâ parentum indulgentiâ factos esse bipedum nequissimos. Videmus item ex non paucis liberalibus ingeniis per nimiam & imprudentem parẽtum morositatem facta esse planè seruilia, timida & ferè μισάνθρωπα. Et hæc sanè maxima causa est, cur illi qui delicatè & nimis remissè educati sunt, liberius postea quiduis garriant; illi verò qui duriter nimis & seruiliter in pueritia sunt habiti, non solum balbutienter & interruptè loquãtur, sed in hominum grauissimorum conspectum adducti obmutescant sæpè, aut animi sui cogitata minus expeditè aut iusto ordine proferant, nisi maturè exercitatione prudentiori id vitium in illis corrigatur. Sequendum igitur hac in re Plutarchi consilium, qui parentes seueros quidem esse vult in liberos, sed tamen asperos nimis & duros esse prohibet, cum hęc verba egregia addit: Quemadmodũ Medici, inquit, amara quædam venena dulcibus immiscentes succis, comitem vtilitatis amœnitatem inuenerunt, ita & patres increpationum rigorem mansuetudine temperent, est necesse: Puerorum namque desideriis remittendæ interdum habenæ, nonnihilque laxandæ, quandoque rursus intendendæ. Leuia præsertim delicta molli ferant animo. Sin aduersus ipsos ira excanduerint, illicò tumorem animi deponant: Parentem enim celeres quam graues suscipere iras præstat. Nam cum ita difficilem induit animum, vt nõnisi summo cũ labore redire in gratiam possit, profectò filiorum odium contraxisse non paruo patefecit indicio. Vt aliqua etiam nouisse peccata dissimulent parentes, satius erit, imò surditatem & obtusos senectutis sensus ad filiorum commissa interdum transferant, vt pleraque videntes non videant, audientesque non audiant. Idem ibid. Illud omninò statuo, ad honesta pueros exercitia non plagis aut verberibus, sed monitis ac rationibus adduci oportere. Et Terentius quoque in Adelph. act. 1. Sc. 1. rectè inquit: *Pudore & liberalitate liberos retinere satius est quàm metu; errat enim longè qui imperiũ credit grauius esse aut stabilius, vi quod fit, quàm illud, quod amicitiâ adiungitur: Malo enim coactus qui suum officium*

Col. 3. v. 21.

officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet ; ſi
ſperat fore clam, rurſus ad ingenium redit. Ille quem beneficio
adiungis, ex animo facit, ſtudet par referre, præſens abſenſque
idem erit. Hoc patrium eſt potius conſuefacere filium ſua ſpon-
te rectè facere, quam alieno metu. Hoc pater ac dominus inter-
eſt, hoc qui neſcit, fateatur ſe neſcire imperare liberis, &c. Hęc
Terent. qui huius problematis noſtri mentem ac ſco-
pum in Mitione ac Demea egregiè exprimit. Cæterum
ea demum felix educatio futura eſt, ſi parentes liberis
exemplo præeant, ad virtutem & honeſtatem: *Diſce*
puer virtutem ex me, verosq; labores, Fortunam ex aliis, ſa-
pientiſſimè inquit ille apud Poëtam. Exemplum enim
primus & optimus inſtituendi modus eſt, exemplis ma-
xima vis ineſt & ſumma efficacia, præſertim exēplis pa-
rentum, quorum diligentiſſimi exiſtunt obſeruatores
liberi. Hinc dicit Philoſophus noſter 10. Eth. cap. 9. Sic-
ut in ciuitatibus leges & ſtatuta valent, ita in priuatis æ-
dibus verba moresque paterni, & quidem magis valent,
cum propter cognationem naturæ, tum ob varia in fi-
lios collata beneficia. Filii enim parentes iam antè di-
ligunt, & eorundē autoritate facilè mouentur. Et ſanè
cum liberi ſint adhuc quid imperfectum, ita vt eorum
virtus non ad ſeipſos, ſed ad pręfectum ſiue ducem, nem-
pe parentes referri neceſſe habeat, 1. Polit. cap. vlt. id-
circò etiam tales meritò euadent liberi, quales à paren-
tibus virtutes addiſcunt. Hinc 2. Oeconom. 2. dicitur:
Liberi à parentibus ad bonos mores & pietatem inſtitu-
ti probi euadent; ſin verò aliter, erit hoc eis detrimen-
to; niſi enim exemplum vitæ ſe proponant parentes
liberis ad imitandum, occaſionem eis præbent pro ſe
aduerſus parentes cauſam dicendi, periculumque eſt,
ne parentes tanquam futiles & contempti in ſenectute
à liberis deſerantur. Et Plautus ait in Pſeud. *Probum eſ-*
ſe patrem oportet, qui gnatum ſuum eſſe probiorem quàm
ipſus eſt, poſtulat. Pulcherrimè item Plutarch. dicit: An- „
te omnia opus eſt, vt patres non ſolum nihil peccando, „
verum etiam honeſta ſingula peragendo manifeſtum „
ſeſe filiis exemplar exhibeant, vt in eorum vitam quaſi „
quoddam ſpeculum intuentes, ab operum ſimul & ſer- „
monum turpitudine ſe penitus vertant. Et paulò poſt „

De exemplo filiis à parentibus exhibendo.

» ex Plat.5. De leg. inquit: Vbi impudens est senectus, ibi
» & inuerecũdos esse iuuenes necesse est, adeò vt ad com-
» parandam filiis modestiam danda opera sit, vt omnia
» pro rerum conuenientia perficiantur. Hæc Plutarchus, qui ibidem etiam suadet, vt quando adolescentes libidinibus iam succumbunt & increpationibus omninò rebelles existunt, connubio subiugentur. Postremò diuinus etiam ille Plato citato iam loco parentes monet, vt non tam diuitias filiis coaceruare studeant, quàm vitæ integritate ad virtutem eos adducant, & non tàm auri quàm pudoris & bonæ famæ hæredes filios suos post se relinquant. Vbi simul Plato, vt etiam 11. de ll. de modo condendi filiis testamenta egregiè consulit, sic tamen vt paternam sortem semper excipiat, atque ante exitum vitæ suæ inter hæredes non distribuat, quia melius sit vt filii rogent patrem, quàm vt pater respiciat in manus filiorum, vt monet etiam ~~Salomon~~ Eccl.33. ℣.22. & seqq.

28 *Quare liberi ardentem amorem debeant parentibus?*

De officio liberorum erga parentes.

De summis parentum in liberos beneficiis, & quod Deo & parentibus æquiualens gratia reddi nunquam possit, docetur præclarè 8.Eth.cap.11. & seq. & 9.Eth.c.2. Non enim solùm benè de nobis merentur, dum nobis imperant, & consulunt, vt bonus rex subditis; dum non solum curam nostri habent vt ouium pastores, sed etiam nos defendunt, vt securi viuamus & beati. Imò quod maximum est, in causa sunt parentes, vt nos simus; Esse autem & viuere bonum est; iucundum est, optabile est, vt dicitur 9.Eth.c.7.& 9. Nec tantum esse simpliciter, sed & commodè esse nobis dederunt, necessaria nempè tam ad victum quam amictum subministrando, citatis antea locis. Quæ quidem omnia vt nobis acquirerent, quas molestias & labores? quas itinerum difficultates, quæve pericula & vigilias non sustinuerunt? Neque hoc solum, verum etiam ad benè esse nos insuper educarunt, disciplinis nempè & ingenuis moribus pectora nostra informando, ibid. Hinc etiam 8.Eth.c.7.& 12.& 7.Eud. c.5.& 11. præclarè dicitur: Patris & filii amicitia est velut

Eccl.7.v.30.

commu-

communicatio Dei erga hominem, & benefici erga
accipientem; & in vniuersum natura imperantis ad naturâ
subiectum.

29 *Cur summus debeatur honor parentibus?*

Honorem parentibus à filiis esse exhibendum, & talem
quidem qui illis competit, piè præcipit Aristot. 9.
Eth.c.2. Ideò quia filii non tantum à parentibus generantur
vt sint, sed vt parentes etiam in iis honorentur;
tum etiam quia tantis & excellentibus filios affecerunt
beneficiis, quanta Devs præstat mortalibus (comparãdo
nempe hominem cum homine, & Devm cum hominibus)
Deo autem cum suus debeatur honor, parentibus
etiam suum esse tribuendum manifestum est, d.c.2.
Eth.9. & 8. Eth.c.11. Et in Iure *l.2. & seqq. ff. de iustit. & iure.*
Omni item seniori reuerentia & honor pro ætate
reddendus est, assurgendo & sessione cedendo, atque
huiusmodi cæteris, cit.c.2.9.Eth. vbi hoc etiam addit:
Nec patri idem honos debetur, sed paternus & maternus,
aliis item alius, qui vnicuique horum maximè est
accommodatus: Non enim Ioui sacrificantur omnia,
neque omnes honores, sed quosdam admittit, vt patet
etiam ex 5.Eth.c.7.& inprimis 7.Eud. c.14. ex Gellio item
lib.2.cap.2. vbi egregiam Philosophi Tauri dissertationem
affert de hac quæstione: *An patri homini priuato superior*
(exem.gratia, in conuiuiis aut alibi) *locus maiorque
honos debeatur, quam filio eius magistratum gerenti?* &c.
Ac memorabile inprimis est, quod Plato de honorandis
parentibus præcipit lib.4. & 11. De legibus, vbi post
Deos immortales vult honorari parentes ipso opere,
verbis & omni patientia, tanquam scilicet Deos quosdam
visibiles & terrenos, aitque Nemesin iudicii angelum
semper præsto esse rerum huiusmodi obseruatricem,
quæ grauissimè vlciscatur eos, qui debito honore
parẽtes non fuerunt prosecuti: vt 7. Top. inquit etiã noster
Philos. vbi ait dignos esse pœna eos, qui Deũ & parẽtes
colendos esse negant. Et Isocr. etiam ad Demon. post
Deorum cultum de parentum honore statim hæc subiicit,
inquiens: *Talem præbeas te parentibus tuis, quales tuos
ipsius liberos erga te aliquando fieri optares.* Item & Euripi-

Eccles.3. v.3.

Item 7. Eth. cap.4.

Et Pythag. in aur.car.

des ait; *Superis charum esse in vita atque morte eum, qui parentes colit & obseruat*: Contrà verò qui nō coluêre parentes, nec DEVS hos mensa, Dea nec dignata cubili est, vt cecinit Virgilius in fine ecl. 4.

30 *Qualis timor & obedientia perentibus debeatur?*

Dulcissimè cecinit Orpheus Poëta vetustissimus: Iouis oculos coniectos esse in eos, qui parentum mandata & leges exequuntur. Metuendos autem esse à liberis parentes, innuit noster Aristot. cum dicit 2. Oec.2. Duplex est Timoris species: vna cum reuerentia & pudore, quâ vtuntur ad parentes filii modesti; altera cum inimicitia & odio, quæ est seruorum ad malos dominos, &c. Cæterum mouetur quæstio ab Arist. cit. antea cap.2. Eth.9. *An parentibus in omnibus semper sit obsequendum?* quam quidem quæstionem, licèt ipse satis ibid. explicet, & in 2. Oec. cap.1.3.& 4. ad vxorem applicet, cui in turpibus & malis marito suo non esse obsequendum dicit, tamen Gellius quoque lib.2.cap.7. hanc quæstionem ex Aristot, pulchrè & acutè prosequitur, vbi præter ea quæ bona sunt aut mala, dicit esse nonnulla ἀδιάφορα siue μέσα, in quibus tanquam in hominum voluntate positis, parentibus obsequendum esse docet, non item in aliis quæ honestati aut pietati sunt aduersa, quæque imperat non vt pater, sed vt vir malus. Porrò si ingratitudo vitium est omnium pessimum, filiorum ingratitudo certè pessima est. Si ingrato homine nihil fert peius terra, profectò ingratis liberis nihil vnquam peius tulit aut feret. parentibus enim, qui filiis non modò esse dederunt, sed & in esse eos conseruarunt ab infantia debili vsque ad virilem ætatem & deinceps, Parentibus, inquam, non reddi aliquid à filiis, prorsus inhumanum esset, & contra naturam. Maledictus ager iste, maledicta terra vel hortus iste, qui cultorem suum esurire ac fame interire sinit. Frustra nati sumus? minimè: frustra nati sumus ex parentibus non aliunde? ne hoc quidem. Reddenda igitur parentibus, quæ dederunt aliquando nobis: Esse quidem dare non possumus, sed in hoc debitores perpetuo mane-

mus;

mus: Illi de ſubſtantia interna nobis communicarunt; in hac debitores itidem manemus. Danda igitur quæ poſſumus, de ſubſtantia, nempe ea quæ parentes in eſſe ſuo conſeruat. Hinc præclare dicit Ariſtot.1. Oec.3. Liberorum procreatio non tantum ad explendum naturæ deſiderium pertinet, ſed etiam vt parentes effœti in ſenectute nutritionis fructum à filiis recipiant. Et lib.9. Eth.cap.2. dicit filios tanquam debitores obligatos eſſe parentibus ſuis, vt ipſis res ad victum neceſſarias ſuppeditent, vt iubet etiam in *In.gl cap.ſi qui filii*, 1 *quæſt.*30. Admonent etiam animantia bruta & aues quæ id faciunt. Memorabilis eſt hiſtoria de filia Cimonis, quæ patrem fame necandum propriis vberibus aluit, vt refert Plinius lib.7.cap.36. & Pauſan. in Phocicis. De Simoiſio etiam ſcribit Homerus, ipſi fuiſſe vitam abbreuiatam crudeli morte, quia non reddiderit parentibus debita officia pro nutritione, Iliad. 4. circa finem. Nec ἀντιπελαργεῖν ſolùm & ἀντιθρεπτήρια reddere parentibus, filii obligantur, ſed etiam vt eorum affectibus interdum cedant & ignoſcant, infirmitates eorum, morbos atque ægritudines & ſenii deliria æquo & patienti ſuſtineant animo, ſummoperè cauentes, ne imprecationes illorum incurrant, quibus nihil pernicioſius eſt, quæve celeriter exaudiuntur à Diis contra filios, vt diligenter & piè monet Plato dicto loco, vbi etiam dicit parentes ſenio cōfectos, ſi quos domi habemus, inſtar theſauri precioſiſſimi eſſe habendos, imò non aliter eſſe colendos, ac ſi DEVS in imagine quadam & ſimulachro ſeipſum proponeret hominibus colendum. Denique cum tanta ſint parentum erga filios merita, vt rependi nunquam ſatis dignè queant, aut honor æquiualens pro iis reddi, extr. c. lib.8. Eth. idcircò enitendum, vt quodcunque poſſumus, genitoribus noſtris grata mente præſtemus. Sicut enim DEVS pro facultatum noſtrarū modulo ſacrificia æſtimat, 7.mor. Eud.cap.13. ſicut nec in multitudine eorum quæ dantur, ſed in habitu eius qui dat, ſita vis eſt liberalitatis, 4. Eth. cap.1. ita ſi quis parentes pro viribus & facultate colat, is quoque probus & pius eſſe videtur, d.cap.vlt.

Cicero pro Cluent.

Vltra poſſe vi ri non vult DEVS vlla requiri.

31 *An Seruitus in natura fundamentum habeat?*

De societate seruorum cũ domino.

Grauissima hac de re tum apud Politicos tum Oeconomicos controuersia est. Apud illos quidem: *An regere & imperare atque adeo parêre siue subditum esse alterum alteri sit à natura institutum?* Apud hos verò: *An per naturam factum sit, vt alter sit dominus, alter verò eius seruus?* Et Aristoteles quidem 1. Polit.3. & 4. statuit societatem inter dominum & seruum æquè fundamentum & causam efficientem habere in ipsa naturæ dispositione, ac habet societas inter maritum & vxorem, item inter parentes & liberos. Atque adeò vbi dixisset seruum esse necessarium instrumentum domini, & quidem animatum, actiuum, existens alterius, separabile & quidem existens homo, statim addit non esse difficile rationibus probare, quod aliquis homo sit seruus naturâ, quodque seruitus non sit præter naturam. Quod enim in societate humana necessarium omninò est & vtile, id à natura constitutum est, quæ non deficit in necessariis: Vtile autem est & necessarium alterum dominari, alterum parêre, siue esse aliquod discrimen domini & serui, si humana societas conseruari debeat. Cum enim in rebus aliis plurium difficilis sit coniunctio & concordia, nisi ad vnitatem quandam reducantur, facilimè quoque in domestica societate, quæ est plurium collectio, confusio orietur & discordia, nisi ad vnum omnes sese conuertere cogerentur, non secus ac stellæ omnes cursum suum ad vnius Solis cursum metiuntur ac dirigunt. Et sanè in reb. omnibus videmus vnũ aliquod alteri prævalere; in grauibus enim terra prædominatur & aqua, in leuibus ignis & aër; & sic in aliis quoq; corporibus mixtis omnibus necesse est, si temperamentum quoddam ad tuendam mundi integritatem inde progenerari debeat. Et in concentu etiam Musico vox vna datur principalis, cui reliquæ voces correspõdent. Sed & inprimis euidens hoc argumentum est, quod in animalibus, præcipuè in homine anima siue mens corpori dominetur, ita quidem vt animus imperet corpori tanquam dominus seruo, sensui verò & appetitui tanquam rex subditis, vt dicitur etiam 1. Pol. c.8. & 7. Pol. c.14. Quamuis autem

autem interdum accidat, vt corpus & appetitus excusso mentis iugo rectæ rationi prædominetur, id tamen nobis nihil præiudicat, cum ea quæ in corruptis & malè dispositis hominibus fiunt, & quidem per accidens, non sint curæ artibus. Cum etiam vnus homo præ altero nactus sit animam excellentiorem & mentem nobiliorem, vt hic secundum mentem magis, ille secundum corpus & appetitum magis viuat, consultum profectò est, vt is qui affectibus magis obtemperat, obsequatur illi, qui mentis imperio vtitur. Inter animantia quoque mansueta sunt meliora feris, & tamen his omnibus expedit vt homini pareant, qui nempe ea pascat, & à nociuis defendat per ea remedia quæ ab homine sunt inuenta, brutis autem incognita. Quantum igitur animus à corpore & quantum homo à bestia, tantum vnus homo sæpè distat ab altero. Quin etiam si humanum sexum inuicem conferas, masculum certè per naturam animaduertas esse meliorem, deteriorem verò fœminam: Sicut igitur fœmina naturaliter paret masculo, ita quoque naturæ non repugnat hominem vnum altero esse meliorem, atque adeò hunc domini, illum serui vices habere: Nam vtile est, vt qui deteriores sunt naturâ, regantur ab iis qui sunt naturâ meliores. Ideò expressè dicit Philosophus: *Hi sunt natura serui, quibus melius est vt regantur quàm vt regant.* Quô pertinet præclarum dictum August. lib. de vtilit. creden. c.10. vbi inquit: *Non possunt stulti beatius viuere, quam si seruiant sapientibus.* Denique natura fecit distincta corpora hominum, alia quidem robusta ad opus, aliorum verò imbecilliora, ita vt animus in iis præualeret atque adeò essent quædam Deorum imagines, & non tàm robur quàm pulchritudinem corporis haberent. Cum ergò natura nihil faciat frustra, vtique voluit eos qui corpore robusti sunt & deformes, animo verò imbecilles, seruire illis qui corpore sunt imbecilles, animo verò simul & corpore pulchriores. Et hoc ipsum velut innatum est hominibus, vt quãdo hominem egregiâ formâ conspiciunt, dignum ipsum imperio iudicent, ex corporis nẽpe formositate animi excellentiam colligentes. Et sanè cum Decalogi tabula secunda sit de lege na-

4. 5. 6. 7. 8.

9. turæ, in tabula autem secunda Decalogi lex sit, quod liberi (quorum nomine omnes inferiores comprehenduntur) debeant parêre parentibus, siue superioribus quibuscunque, vtique ad ius naturæ etiam seruitus re-
10. ducetur. Quod etiam ex eo poterit probari, quia videmus certas quasdam gentes seruili ingenio nasci, vt fuit gens Bœotica, Scythica & hodie adhuc gens Moscouitica, & aliqua olim pars gentis Sclauonicæ & multæ aliæ, præcipuè in Indiis Orientalibus & Occidentalibus, quarum naturæ magis dispositæ sunt ad seruiendum quàm ad dominandum, qua de re præclarè disserit Busbequius in epist. Turcicis. Contra verò nonnulli hanc Aristotelis sententiam acriter impugnant, tanquã iniustã & legi naturæ, imò & libertati Christianæ contrariam, obiicientes illud ex lib. 1. Institut. tit. 2. *Seruitutes naturali iuri sunt contrariæ*: iure enim naturali *Omnes homines ab initio liberi nascebantur.* Et tit. seq. *Seruitus est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subiicitur*: vt dicitur etiam in *prin. tit* 5. & 8. & *l.* 4. *ff. de statu hominum.* Item August. inquit lib. 19. de ciuit.
» D. c. 15. Rationalem factum ad imaginem suam DEVS
» noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem ho-
» mini, sed hominem pecori, vnde & primi pastores peco-
» rum magis, quam reges hominũ constituti sunt. Verum enim verò nõ contrariatur nobis, nec impia est Aristot. sententia, si modò eam rectè intelligere velimus. Seruitutis enim vocabulum variè vsurpatur: primò quidem seruire idem est quod parêre, & seruituti propriè dictæ opponitur: ita nimirum ægrotus paret quidem & obtemperat Medico, non autem ei seruit, vt hoc latius declarat Boterus lib. 1. c. 4. Pol. Vel etiam seruire idem est, quod obligatum alicui esse ad præstanda omnis generis beneficia, siue gratitudinis, siue humilitatis, siue debiti, siue pacti ea fuerint. Ita nempe liberi parentibus dicuntur seruire vt dominis, Eccles. 3. ℣. 8. Discipuli item præceptoribus suis ob gratitudinem: Christiani tenentur seruire sibi inuicem ob mutuam charitatem & humilitatem. Ita ætate minor seruit maiori, 7. Pol. c. 14. & gentes nonuullæ stupidæ ingeniosis, & pueri etiam ac fœminæ propter rationis imbecillitatem sapientioribus,

ribus velut ex debito & neceſſitate parent atque obediunt, 1.Pol.8. Ex pacto autem ſiue conducto ſeruiunt adhuc hodiè famuli noſtri & miniſtri, item mercenarii, & operarii, tamdiu, ſcil. quamdiu famulitium paciſcuntur, vt docet Iauel. tract.5.Oec.Chriſt.c.2. vbi quinque genera ſeruorum recenſet, & eorum ſeruitutem iuſtam ex lege diuina & humana pulcherrimè demõſtrat. Item eſt ſeruitus ex venditione, cum liber homo maior viginti annis ad participandum pretium ſe venundari paſſus eſt, *tit.3.lib.1.Inſtit.& l.5.§.1 ff. de ſtatu hom.* Et hæ quidem ſeruitutes nõ ſunt iniuſtæ aut contra naturam, ſed homini velut naturaliter implantatæ, & neceſſariæ omninò ſunt in hac vitæ conditione & ſtatu: imò & vtiles ſunt non tam dominantibus quàm parentibus, ſiue hoc modo ſeruientibus, vt manifeſtè fatetur Philoſophus citt. locis & 1.Pol.1. vbi inquit: Imperans naturâ & parens ſeſe mutuò conſeruant. nam qui mente poteſt proſpicere, naturâ imperat ac dominatur, quod autem poteſt corpore hoc facere, paret natura & ſeruit, quapropter domino & ſeruo id confert; Item 7.Pol.cap.14. Ac de eiuſmodi etiam ſeruiendi modo intelligenda ſunt quædam noſtri Philoſophi argumenta. Denique ſeruitus magis ſtrictè ſumitur non pro tali obedientia, quæ fit naturali inſtinctu & voluntariè, & quæ magis fit animo quam corpore, vt ſeruitutem modò conſiderauimus, ſed ſumitur pro tali ſubiectione quæ fit bello, nobis inuitis, & qua ius vitæ ac necis victor in victum obtinet, vel etiam ad corporis ſeruitia captiuos reſeruat; vnde & ſerui quaſi in *bello ſeruati*, & mancipia quaſi manu capta dicuntur, vt teſtatur Auguſt. loco ſupra cit. & Florent. ICtus *lib.4.inſtit.* & patet etiam ex *d.tit 3.Inſt.* Quam quidem ſeruitutem initiò non inſtituit natura, tanquam ſcil. ortam ex malo, nempe bello, ſed eam introduxit lex hum. ſiue ius gentium. At verò inquies: Si ius hum. ſeruitutes introduxit, falſa erit ſententia Ariſtotelis, qui ſtatuit ſeruitutem in natura fundamentum habere, ſiue ipſam naturam eſſe cauſam efficientem ſeruitutis: &, per conſeq. amplectenda erit tanquam vera, ſentẽtia ICtum & Auguſt. quam ſup. allegauimus. Sed reſpondemus, dupliciter conſiderari hominem eiuſque

naturam atque adeò etiam Ius naturæ. Si enim hominem in ſtatu naturæ integro & incorrupto conſideres, qualis nempe fuit ante lapſum, tùm quidem alter alteri non fuit ſubiectus vt ſeruus, ſed omnes erant liberi; quia omnes imaginem Dei ex æquo obtinere debuiſſent: & tale Ius naturæ vocatur *Primæuum*, de quo loquuntur *tit. ex Inſtitut. cit.* Poſt lapſum verò, vbi diſtinctiones & gradus quidam maioris vel minoris bonitatis, itemque maioris vel minoris deprauationis implantati ſunt in naturam humanam, vtique vnus homo alteri eſt ſubiectus, non tantum in Politicis, ſed etiam in œconomicis: Et hoc ius vocatur *ſecundarium*, ſiue *ortum*, vel etiam *Ius ratiocinationis*, & de hoc loquitur Ariſtoteles, cùm dicit per naturam (ſcil. in hac vitæ hum. conditione ſpectatam) quoſdam eſſe dominos, quoſdam ſeruos. Quam diſtinctionem pulcherrimis verbis expreſſit Auguſtinus ſupra cit. c.15. lib.19 vbi inquit: Conditio ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori: nomen iſtud culpa meruit, non natura. Et paulò pòſt: Prima ſeruitutis cauſa peccatum eſt, vt homo homini conditionis vinculo ſubderetur. Et paulò inferiùs: Nullus naturâ in qua prius DEVS hominem condidit, ſeruus eſt hominis aut peccati. Verùm & pœnalis ſeruitus ea lege ordinatur, qua naturalem ordinem conſeruari iubet, perturbari vetat; quia ſi contra eam legem non eſſet factum, nihil eſſet pœnali ſeruitute cohercendum. Ita vt hinc etiam manifeſtum ſit, quod ſeruitus licèt primò iuri naturæ ſit contraria, non tamen ſimpliciter vt iniuſta ſit improbanda: cum nempe ea reſpectu huius corrupti ſtatus humani vtilis omninò ſit, & neceſſaria ad ſocietatem non tantum ciuilem, ſed etiam domeſticam conſeruandam: nihil enim impedit quò minus illud quod ſimpliciter non eſt iuſtum, ſecundum quid tamen iuſtum fiat. Vnde nec omnem ſeruitutem, etiam ſecundum humanam conditionem conſideratam, iuſtam eſſe Philoſophus dicit, ſed eam quæ ex iuſto principio ſiue bello ex iuſta cauſa ſuſcepto orta eſt. Cęterũ ingens benè adminiſtrandæ domus momentũ poſitum eſſe in delectu & regimine, famulorũ ac famularũ docet Philoſophus 1. Pol. c.3. vbi inquit: Pars illa domus, per quã

Coler. lib.2. Oec. c.8, & 9.

reliquas

reliquas possessiones acquirimus, necessaria omninò est: Atqui per seruos possessiones acquiruntur, Ergo, &c. Deinde inquit: Sine necessariis non benè viuitur, sine seruis autem non benè viuitur, necessaria ergo est eorum societas: Imò cum opus sit in domo multitudine instrumentorum, instrumenta autem cum non possint seipsa mouere, quia multa sunt inanima, ideò necesse est vt adsint etiam instrumenta animata, quæ reliqua moueant, non secus ac in naui gubernatorem oportet habere clauum, quo ipsam nauim regat; seruus enim in artibus instrumenti loco est. Nam si instrumenta domestica possent se ad nutum sui domini mouere, si pectines per se possent texere, & plectra citharas per se possent pulsare (quemadmodum Dædali aut Vulcani tripodes finguntur à Poëtis suâ sponte ad diuinum prodiisse certamen) vtique nec architecti ministris, nec domini seruis indigerent: Et 1. Oecon. cap. 5. inquit Aristoteles: Illius rei quæ optima est & principalissima inter possessiones, eius acquisitio prima esse debet; atqui homo talis est, quapropter oportet primò seruos parare studiosos & fideles. Quin etiam quantò nobilior est actio factione, tantò maior etiam cura circa actionem est adhibenda; Seruus autem est minister ad actionem, d. c. 3. Pol. 1. Sed & instrumentum actiuum dignius est passiuo. solus autem seruus est instrumentum actiuum; circa eius igitur possessionem magis est laborandnm. Denique quo minus ad felicitatem domesticam sine seruis peruenitur, eò maior industria in eorum delectu & regimine Oeconomo incumbit.

32. *An eligendi sint serui potius timidi, quam feroces & animosi?*

Pulcherrimè inquit Philosophus 1. Oec. 5. Ad opera facienda ea seruorum natio est maximè opportuna, quæ neque timida & ignaua, neq; nimis animosa sit: vtrumque enim hoc genus seruorum iniustum est & improbum, propterea quod timidi & ignaui ob defectum caloris natiui labores ferre non possint; Confidentes autem & animosi difficulter regantur, propter nempe vehementiam caloris & spirituum, quę vehementia eos

inquietos reddit & iracundos. Prudenter de hac re disserit in thes. Oec. Ioh. Casus pag. 156. & seq. vbi addit hoc consilium; quandoquidem tam exacti temperamenti serui non reperiantur, potius esse eligendos timidos quam animosos, quia timidus magis studebit placere domino & facilius se patietur regi vel spe præmii, vel saltem metu pœnæ. Accedit etiam Aristotelis consilium 1. Pol. circa med. c. 8. vbi inquit: Virtus serui modica esse debet, & tota referri ad dominum: & addit, seruum indigere virtute parua, & tanta saltem, vt neque propter intemperantiam, neque propter timiditatem nimiam in operibus deficiat. Idcircò postea dicit, magis esse admonendos seruos quam liberos, nempe propterea, quia minor virtus sit seruorum quàm liberorum.

33 *An consultum sit plures seruos populares in domo habere?*

Consulit patrifam. Aristoteles 1. Oec. 5. ne multos seruos eiusdem generis siue peregrinos populares in domum asciscat, cum isti facilè inter se possint conspirare aduersus dominum, dum nempe lingua vtuntur peregrina, quam alii domestici non intelligunt: & præterea illa coniunctio patriæ præbet ipsis occasionem perpetuò inter sese garriendi de iis quę domi fiunt, & ita operis herilis negligendi; tum etiam reliquis in domo seruis aut ancillis insultant, & mendaciis ac fraudibus tàm hero quàm reliquæ familiæ imponunt. Idcircò etiam ne tale quid accidat, consultum esse dicit à prima ætate in ædibus educare eos, qui liberaliter postea debent famulari; cum illi disciplinâ adhuc flecti ac fingi possint.

34 *Cur tria ista; Opus, Cibus & Castigatio sint seruis necessaria?*

Verè inquit Philosophus 1. Pol. c. 4. non quidem per se magnæ artis esse regere seruos, interim tamen non tàm dominum esse eum qui seruos habet, quàm qui seruis rectè vtitur. Ita vt 1. Oec. 5. Dominum erga seruos ita sese gerere debere præcipiat, ne patiatur eos vel petulantes siue superbos esse, vel nimis remissos & abiectos, sed

semper

ſemper inter æquilibrium mediocritatis retineat: quod tum demum obtinere poterit, ſi opus, cibum & caſtigationem rectè ſciat temperare: Cibus enim ſine animaduerſione & opere petulantem reddit, opus verò & caſtigatio ſine cibo iniuſta & violenta res eſt, & elidit frangitque vires. Caſus ſuper hoc cap. 5. feſtiuè inquit: *Cibus ſine opere facit ex ſeruo porcum; opus ſine cibo, aſinum; caſtigatio ſine vtroque, canem.* Debetur igitur, inquit cum Ariſtotele, ſeruis opus, debetur & cibus ſufficiens (ad ſatietatem & robur) tanquam naturalis merces & præmium ſerui. Quæ tria etiam rex Salomon Eccleſiaſt. cap. 33. ℣. 25. & ſequentib. ſeruis eſſe tribuenda expreſsè monet, cum inquit: *Seruo debetur panis, caſtigatio & labor. Iugum & lorum curuant collum durum, & ſeruum inclinant operationes aſſiduæ: ſeruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet: multam enim malitiam docuit ocium*, &c. tandem hæc verba addit ℣. 30. *Sine iudicio tamen nihil facias graue.* Item Prouerb. 29. ℣. 21. dicitur: *Qui delicatè nutrit ſeruum ſuum, ſentiet eum contumacem.* Et 7. Politic. cap. 15. dicit Philoſophus: *Ocium nullum ſeruis.* Potum verò talem vult contribui, qui ſanitati & robori conducit, non qui ad petulantiam facit, vt eſt vinum, quod vel nullum vel perquam parum & valdè rarò ſeruis atque ancillis eſſe dandum monet, citato cap. 5. Oecon. eò quod vini potus etiam liberos ad inſolentiam impellat, & apud multas nationes ingenui quoque ab illo abſtineant, vt Carthaginenſes dum militant, item mulieres Roman. teſte Gellio libro 10. cap. 23. Quin etiam præter victum neceſſarias veſtes ſeruis eſſe tradendas ibidem præcipit, ſed ita vt cibus, potus, veſtes, ocium & caſtigatio verbo & opere pro eorum natura, vel intendatur interdum vel remittatur, prout quilibet eorum meretur: cum nempè homines mali niſi pœnis coherceantur, euadant peiores; boni autem niſi bona & præmia accipiant, reddantur etiam deteriores: Summum autem præmium olim fuit libertas, hodie verò laus & dignitas. Hinc rectè iterum dicit Salomon dicto capit. 33. verſ. 31. & capit. 7. verſ. 22. & 23. *Seruus eſt tibi ſenſatus & fidelis, dilectus ſit tibi vt anima*

tua: non defraudes illum libertate, neq; inopem derelinquas illum. Et Cato lib. 5. inquit: *Familiæ vt benè sit, prouideto, ne algeat, ne esuriat.* Quomodo verò regendi sint serui tam naturales quàm cõductitii & alii, in opere, victu & amictu & secundum animum, plenè & prudenter docet Iauel. tract. 5. Oec. Chr. cap. 3. & duob. seqq. Denique cum Aristoteles 8. Eth. cap. 10. ius domini in seruos dicit esse tyrannicum, de crudelitate tyrannica nõ loquitur Philosophus, sed comparationem tantum instituit iuris paterni & herilis siue dominici, quorum hoc durius, illud mitius est, vt ex ipso textu non obscure patet, præsertim cum etiam lib. 5. Eth. in fine cap. 6. manifeste dicatur, quod dominus possessiones suas siue seruos & mancipia iniuriâ simpliciter (ἁπλῶς) afficere non possit. Ita vt ius vitæ ac necis quod olim domini in seruos habebant, hîc non probet noster Philosophus, & rectè etiam fecerint pii legumlatores, quod hanc legem sustulerint, vt videre est in *tit. 8. lib. 1. Instit. & l. 1. ff. eod. & l. vn. C. de emendat. seruorum.*

35 *Cur dominus suis seruis debeat esse incitamentum virtutis; & cur debeat vniuersis finem certum præscribere?*

„ Extremo cap. 1. Polit. dicitur: Patet quod virtutis causam oporteat esse dominum seruo, nempe eo ipso quo dominus est, atque adeò magis per naturam quàm per doctrinam; nam aliàs dicitur: *Qualis dominus, talis seruus.* Finem autem seruis esse præscribendum, docetur 1. Oec. 5. vbi inquit Philosophus: Oportet finem omnibus esse terminatum; est enim iustum simul & vtile libertatem esse propositam, vel libertati aliquid simile; libenter enim laboratur præmio proposito. Præterea certum tempus & demensum opus pręfinire seruis vtile esse dicit cit. c. 5. eò quòd alacriores sint in eo labore, qui est certus & determinatus, quive fit certo & præfinito tempore, cum intempestiuum omne sit molestũ. Hinc pulchrè inquit Plutar. de educ. liber. Meminisse oportet nostram omnem vitam in remissionẽ ac studium esse diuisam. Quocirca non vigiliam modo, verùm etiam somnum esse repertũ; non bellum solum, sed & pacẽ; non hyemem

Et Arist. l. 10. Ethic. cap. 7.

hyemem & tempestatem, sed & tranquillitatem siue serenitatem; non operosos, sed festos etiam dies; in summa, laboris condimentum est ocium; idque non in animantibus modò, sed & in his quæ anima carent, fieri cōspicimus: arcus enim lyrasq; remittimus, vt tendere possimus. Hæc Plutarchus. Cæterum de festis diebus quod monet Plutarchus, id etiam inter Oeconom. præcepta Arist. tradidit 1. Oec. 5. vbi inquit: Ocium quod est in diebus festis, magis ad seruos quam liberos est referendum, quia plura sunt in seruis, propter quæ ista fuerunt instituta. Quæ sententia limitanda est ex præcepto diuino de sanctificatione Sabbathi, quam Deus non seruis solùm, sed & liberis hominibus seriò præcepit.

Arist. ibid. cap. 4.

36 *An vtile sit duplices habere seruos?*

Sicut dominus est prę domino, sic & seruus prę seruo, 1. Pol. 4. id est, seruus seruum superat vt ingenio, ita & dignitate: Ita vt abs re non sit, si paterfamilias habeat seruum vnum, qui sit operarum seruilium director & procurator, alii sint opifices & operarii, præsertim si familia sit copiosa & splendida, c. 5. Oec. 1. vt scil. paterfam. vni isti tanquam vicario suo operum seruilium curam siue inspectionem permittat, ipse interim reip. administrandæ vacare possit, aut studiis Philosophiæ intendere, d. c. 4. Pol. 1. Quibus quidem seruis, liberalioribus nēpe aliquid honoris à domino esse tribuendum censet Philosoph. cit. c. 5. Oec. 1. ita tamen ne se iis faciat nimis familiarem, cum familiaritas plerunq; pariat contemptum; Cæteris verò seruis, opificibus nimirum siue operariis & baiulis cibum abundè iubet suppeditari, imitando in his artem Medicorum, qui hæc alimenta ad cibum, illa ad Medicinam ordinant; cùm nempe sicut cibus propter continuum vsum medicamenti vicem nequaquam valeat præstare, sic & continuatus labor & idem seruitutis gradus sit violentus, nisi quædam interualla laboris & gradus honoris obseruentur. Quod verò additur 1. Pol. c. vlt. seruos omninò non habere deliberandi arbitrium, id referendum videtur ad mancipia, qualia fuerunt tempore Aristotelis: Quod item dicitur 1. Oecon. cap. 5. quod serui procreationibus liberorum

tanquam pignoribus obſidum debeant eſſe obſtricti, id ſimiliter pertinet ad ſeruos iſtos antiquos, qui in ædib. dominorum coniugia contrahebant, vt patet ex *tit. 3. lib. 1. Inſt. & l. 6. ff. de acquir. dom.*

37 *An ſeruorum officium multis præceptis opus habeat?*

De officio ſeruorũ erga dominum.

Ratio rectè ſeruiendi magnis præceptis non videtur egere, cum ſerui virtus tota ad dominum referatur, & ſit virtus inſtrumentalis, quæ à cauſa principali pendet & regitur, 1. Pol. c. 3. & 4. ita vt facere tantum ea ſciat, quæ dominus imperat. Niſi quod maior diſciplina requiratur ad eos ſeruos, qui coqui dicuntur, & ad ancillas quę culinarium munus habent, d. cap. 4. Denique vt paucis ſeruorum officium complectamur, nihil magis in illis requiritur, quàm vt ſint fideles & induſtrii. Apelles ſeruum prudenter & artificiosè olim ſic depinxit, vt ei attribuerit aures aſininas, nares porcinas, manus omni inſtrumentorum genere refertas, humeros patulos, ventrem macilentum, pedes ceruinos, labra duabus ſeris clauſa: vt refert inter alios Caſus ad cap. 3. lib. 1. Pol. vbi hanc imaginem explicat, & alia plura ad hanc materiã pertinentia addit.

Coler. lib. 3. Oecon.

38 *An dentur plures Oeconomicæ ſocietates præter tres illas explicatas?*

De ſocietate ſecundaria & imperfecta.

Trinum omne perfectum eſſe rectè prouerbio dicitur. Id quod maximè in hiſce tribus ſocietatibus domeſticis hactenus ad oculum patuit: quæ quidem vt ad finem ſuum & felicitatem domeſticam promtè ducunt, ita cæteræ quæ ab hac perfecta ſocietate declinant, & vel in exceſſu vel defectu peccant, à fine & perfectione ſua longiſſimè abſunt. Nam in exceſſu peccare illa videtur ſocietas, in qua hoſpites & peregrini confluunt & congregantur; quæ ſanè vt magis accedit ad multitudinem, eò magis recedit à perfectione, & facilè admittit ἀταξίαν ſiue confuſionem; adeò vt difficilior etiam ſit eiuſmodi Oeconomica adminiſtratio & confuſionibus maximè obnoxia. In defectu verò peccat familia vidui vel viduæ: Qui enim virtutes viro proprias rectè conſide-

considerat, tùm quoad prudentiam, tum quoad acquisitionis rationem; mulieris autem naturam cum hisce virtutibus confert, facilimè quoque intelliget, vter horum in domestica societate magis sit necessarius: & sicut in horum amborum κοινωνίᾳ & consociatione lætissimam quasi æstatem videt, ita in vxoris defectu videbit tristem autumnum; in mariti verò absentia & morte asperrimam hyemem. Ita vt mutila quidem illa sit domus quam administrat viduus; eò quod paruorum liberorum exigua possit esse cura; magis autem mutila, imperfecta & misera sit illa Oeconomia, quam administrat vidua: Omnium autem miserrima quam administrant relicti liberi & orphani, nisi tutores maturè deligantur, qui ipsis & possessionibus eorum fideliter præsint. Et huc etiam pertinet illa domestica gubernatio, quam vel solus maritus vult administrare, vel quando vxor propter amplitudinem dotis vult dominari, atque ita ex Aristocratia (quam præ se ferunt maritus & vxor, 8.Eth.cap.10.& 11.) fit vel Oligarchia vel γυναικοκρατία; vel etiam Anarchia, quando videlicet domus caret domino, & ita omnes æquè imperare volunt. Sed & imperfecta est domus sterilis, in qua nempe desunt liberi, qui debent esse pignora amoris coniugalis & fructus primæ societatis, & hæredes possessionis domesticæ, 8. Eth.circa fin.cap.12.& 1.Ethic. circa fin. cap. 8. vbi illam quoque domum infelicem dicit Philosophus, in qua mali sunt liberi siue malè educati, aut vbi boni mortui sunt. Similiter imperfecta est illa Oeconomia, in qua deest tertia societas, quæ est inter dominum & seruum, heram & ancillam, quando nempe vel præ paupertate vel alio quodam casu paterfamil. aut materfam. famulis & famulabus carent, ita vt sibi ipsis cogantur esse famuli & ancillæ, aut boue familiæ loco vtantur, 1.Politic.1. Denique omnium imperfectissima est illa Oeconomia, quam instituunt cœlibes, id est, tales, qui nec in coniugio vnquam fuerunt, nec esse volunt aut possunt, & interim cupiunt habere domesticam administrationem; quæ administratio vt est impropriè & ambiguè dicta Oeconomia, ita rarò est fortunata. Atq; hæc de prima & principali parte Oeconomicæ

disciplinæ, quæ est circa homines: Sequitur altera, quæ est circa possessiones, vt ipse Aristot. Oecon. distinguit 1. Oec. 2. & 1. Pol. c. 3. & 5.

DE POSSESSIONE.

39 *An Possessio quoq; ad naturam reduci possit, ita vt dicatur homini naturalis?*

Societatem Oeconomicam homini naturalem esse, ex superioribus satis constat: sed cum hæc non tantum propter seipsam constituta sit, sed etiam propter sufficientiam, 1. Oec. 1. & 1. Pol. 2. & 8. Eth. 12. idcircò etiam Possessio earum rerum, quæ faciunt ad sufficientiam, naturæ instinctu facta est, adeò vt hominum societas soluatur, si compotes horum esse nequeant, d. c. 1. Oeconom. 1. Quin imò sicut vita homini est naturalis, ita etiam cõseruatio eius naturalis est & naturali quoque alimento maximè sustentatur, vt dicitur 1. Oec. 2. Naturâ omnis educatio est à matre, quare & hominibus à terra. Et expresè dicit Philos. 1. Pol. 5. Acquisitio ab ipsa videtur natura hominibus data, vt statim post genituram, sic etiã ad perfectionem deductis: nam ab ipso generationis initio quædam animalium simul exprimunt tantum alimenti, vt sufficiat donec possit sibiipsi acquirere quod generatum est; vt quæcunque ex putredine vel ex ouis gignuntur; quæ verò pariunt viuentia, alimentum habent in seipsis ad natorum educationem vsque ad tempus quoddam, quam lactis naturam dicimus. Addit ibid. etiam hoc argumentum Aristoteles, inprimis consideratione dignum, quod nimirum natura non fecerit frustra plantas & herbas, sed animalium causâ, ipsa verò animantia & plantas propter hominem, tanquam finẽ vlteriorem, cum inquit: *Plantæ animalium sunt gratiâ, & cætera animalia hominum causâ; mansueta quidem propter vtilitatem & cibum, feræ autem* (etsi non omnia, at plurima illorum) *propter cibum & alia adiumenta, vt & vestis ac cætera instrumenta ex illis fiant.* Si igitur (piè concludit) natura neque imperfectum facit, neque frustra, manifestum est illa omnia hominum gratiâ fecisse naturam. Ideò etiam 1. Pol. 3. res possessa dicitur instrumentum ad vitam,

vitam, possessio autem multitudo instrumentorum, cũ sine necessariis, nempe sine possessione & instrumentis necessariis impossibile sit viuere, & benè viuere.

40 *Quarum rerum poßeßio necessaria sit Oeconomo?*

Ad viuendum simpliciter dicit Philosophus opus esse alimento, sine quo viuere nõ possumus, 1. Pol. 5. ad quod requiritur fundus siue ager, piscina, stagnum, lacus, sylua, hortus, vinea, &c. vt nimirum parari hinc possit triticum, siligo, hordeum, auena, stramen, fœnum, pisces, caro, olera, legumina, vinum aut cereuisia & eiusmodi alia ad vitam necessaria. Ad commodè autem viuendum pertinet inprimis seruus, 1. Pol. 5. qui est possessio omniũ possessionum optima & prçstantissima, 1. Oecon. 5. cuius adminiculo omnia reliqua rectissimè in domo peragũtur: Necessarii item sunt tauri & boues ad arandum, 1. Oec. 2. & 1. Pol. 1. item vaccæ & equi: oues item, arietes, agni, hœdi, &c. vt inde nutrimentum habeas & vestiméta ex eorum velleribus conficias. Vtiles etiam sunt gallinç, anseres, anates, columbæ tàm ad victũ, quàm ad lectos & puluinaria ex earum plumis paranda. Sed & inprimis domus est acquirenda secũdum illud Hesiodeum, quod Philosophus honorificè allegat 1. Oec. 2. οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα. Et illud: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, **eigen herdt/ist Geldes werdt.** Necessaria etiam sunt ligna & omnis generis supellex, qua intra ædes vtimur. Pertinent huc quidem etiam arma, medicamenta & libri, sed magis per accidens quàm per se; vtpote quibus Paterfam. vtitur, sed vel vt miles, vel Medicus, vel Philosophus, vt quidem de medicamentis disertè Aristoteles fatetur 1. Pol. 7. Porrò si hæc omnia prius adsint à Patrefam. acquisita, ad ornamenta etiam & splendorem domesticum attendere abs re non fuerit, cũ homo debeat esse animal naturâ mundissimum; & cum ornatus domesticus non modò ipsas ædes, sed & ipsum Patremfam. ornet & decoret; qualia ornamenta sunt aulæa, tapetia, picturæ & imagines. Quibus tamen omnibus non ad abundantiam, sed ad decentiam vtendum esse, imò pauciora esse habenda ad ornatum & splendorem; plura au-

tem ad vtilitatem & fructum, prudenter monet Philosophus 1. Oec. 6.

41 *Qualis domus laudati patris familias esse debeat?*

Domum quam vel emere vel ædificare cogitat paterfamilias, talem vult esse Aristoteles noster 1. Oec. 6. quæ sit accommodata ad sanitatem, commoditatem & iucunditatem inhabitantium. Ad sanitatem quidem & iucundum vsum, vt domus ad conuenientes cœli plagas sita sit, quò in æstate ventis possit esse exposita, spectetque Aquilonem, cum nempe hac ratione dissipentur halitus in domibus collecti, qui pestem causare non rarò solent, vtque homines etiam à caliditate nimia sint immunes, ac pori ipsis quodammodò maneant obstructi, nè virtus corporis atque animi penitus dissoluatur ac languescat. Contrà hyeme sit lucenti Soli exposita domus, & ad ortum meridiemque versa, vt radiis Solaribus & ventis tepidioribus reuiuiscaut velut in ædibus omnia. Ad commoditatem verò hoc requirit Philosophus, vt ædes non sint æqualiter latæ, sed vt partes quædam sint ampliores pro ratione vsus (vt conclauia æstiua) quædam verò angustiores (vt conclauia hyberna, præsertim in his locis, vbi pro fornacibus copia lignorum requiritur) deinde vt ædes sint distinctæ suis partibus, conclauibus & contignationibus, pro seruis, pro liberis, pro viris, pro fœminis, pro ciuibus & peregrinis siue hospitibus. Denique pro facultatibus siue possessionibus domesticis sic eandem domum parari aut construi iubet, vt sit vtilis ad res domesticas omnes aut acquirendas (quod fit si loco oportuno sita sit) vel ad easdem à situ, putredine & vligine incorruptè seruandas; quod fit si domus sit distincta partibus superioribus & inferioribus siue cellis; deinde locis perflabilibus & non perflabilibus, ita vt locus alius conueniat vestimẽtis & lectis, &c. alius fructibus tam aridis quàm liquidis: in summa, alius rebus animatis, alius inanimatis. Iauellus tract. 7. Oecon. Christ. vbi cap. 1. causas recensuisset, propter quas Paterfam. propriam domum habere debeat, capp. seqq. prolixè & prudenter docet, qualis esse de-

eſſe debeat domus quoad ſtructuram ; quoad aquæ & aëris ſalubritatem, & vltimò quoad ſitum reſpectu plagarum mundi.

42 *An in abundantia pecuniæ conſiſtant veræ diuitiæ ſiue optima poßeßio domeſtica; atq; adeò, an ea in infinitum ſit augenda?*

Τῷ ἀργυρείῳ ὑποτάσσεται πάντα, id eſt, *pecuniæ obediunt omnia*, inquit Diodorus: neceſſaria igitur pecuniæ poſſeſſio, ſi cætera omnia velis obtinere: cui enim deeſt pecunia, huic deſunt omnia, vt vulgò loquimur. Hinc Ariſtot. 1. Eth. cap. 5. & 7. & 4. Eth. cap. 1. pecuniam ſiue diuitias non propter ſeipſas, ſed propter aliud expetendas eſſe fatetur, tanquam bona vtilia ſeu potius organa & inſtrumenta, per quæ ἁπλῶς bona & verum finem tam Oeconomicum quam Politicum conſequimur, vt docuit etiam ante Ariſtotelem Archytas Pythag. referente Stobæo. Et in fine cap. 8. lib. 1. Eth. dicit noſter Philoſophus, impoſſibile eſſe aut admodum difficulter fieri, vt is cui externa bona non ſuppetunt, res præclaras agat, ſiquidem per amicos, per diuitias, &c. multa nos agere oporteat: adeò vt hæc bona externa finem habeant tanquam inſtrumentum quoddam, vt manifeſtè teſtatur 7. Pol. cap. 1. Vnde patet, diligentis patrisfamil. eſſe, videre quomodo pecunia & poſſeſſiones adſint, 1. Pol. c. 5. cum diuitiæ ſint multitudo inſtrumentorum rei familiaris, ſiue ſint talia media, per quæ ad rem domeſticam neceſſaria comparamus, aut amiſſa reparamus, quod præter pecuniam nulli alteri inſtrumento domeſtico competit; ſiquidem per vnum inſtrumentum, ex. grat. per ollam aliam ollam non poſſum acquirere, ita vt ex cap. ſeq. numus ſiue pecunia meritò dici poſſit primum & vltimum, vt in commutatione & contractu, ita etiam inter inſtrumenta domeſtica; imo ipſe finis rei familiaris, 1. Eth. 1. Quæ etſi ita ſint, tamen veriſſima & præclariſſima eſt Ariſtotelis ſententia, quæ extat in fine cap. 5. & 6. Polit. 1. veram poſſeſſionem & veras diuitias non eſſe multitudinem pecuniæ, nec in immenſum eſſe cumulandas opes; ſicut hodiè penè omnibus hominibus perſuaſum eſt, quibus id ſemper eſt in corde & ore:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primum, Virtus post nummos. Quam vulgatam & veterem opinionem, hominum mentibus conatur eripere Philosophus noster grauissimis & sapientissimis argumentis, dum inquit: Absurdũ est affirmare has esse diuitias, quibus aliquis abundans fame perire possit, vt de Mida fabulis traditur, cui propter insatiabilem appetitum ex aureo voto à Ioue concesso, quicquid apponebatur cibi aut potus, fiebat aurũ. *Et addit*: Quamobrem quærere oportet alias diuitias & aliam acquirendi rationem, nempe talem, quæ sit secũdum naturam, h. e. quæ vitæ hum. sustentandæ conducat, cum primus veræ possessionis finis sit, vt per eam viuamus. Et certè quis diceret eas esse veras diuitias, quas possessor in suo arbitrio habere non potest, sed quæ pẽdent ab arbitrio alterius? ita vt sint ipsi vtile quid, non si ipse velit, sed si alter velit; contrà si alter nolit, penitus reddantur possessori inutiles: quia nempe valor numorum aut edicto Principum siue magistratus, aut ex pacto hominum mutari potest, vt qui numus hodiè multum valuit, cras in eodem loco prohibitus nihil aut multò minus valeat; vnde rectè dicit Numum esse futile & nugatorium quid, quoniam lege aliorum mutari potest, vt nullius sit precii & vsus ad comparanda necessaria, cit. c. 6. Pol. & 5. Eth. 5. Quinetiam si pauperes & mendicos appellare illos meritò non possumus, qui olim ante numorum vsum aut vsum certè rarissimum vixerunt, pecudumque greges pro diuitiis ęstimarunt, vtique nec illos verè diuites, qui multis pecuniis abundant; nec illos verè pauperes & infelices, qui numis carent & interim habent quantum ad vsum domesticum sufficit, dicere poterimus. Præterea cum hæc bonorum natura sit, vt quantò magis excedunt, tantò magis sint vtilia; pecunię verò excessus vel noceat habenti vel certè nihil prosit, cum illi qui in externis bonis plura possident quàm opus est, in illis plerunque deficiant: certè pecuniæ copiosa possessio nec inter bona honesta, nec vtilia, adeoque nec inter instrumẽta dõmestica referetur, lib. 7. Pol. c. 1. Vnde rectè atq; admodũ concinnè Diogenes eos qui immensas opes cumulant, vti verò illis non audent, μεγαλοπτώχυς, i. e. *magnificos pauperes* appellauit. Sed & per se bo-

ſe bonum omnes appetunt, nulli repudiant, niſi forſitan inſani; atqui homines ſapientiſſimi (de vulgo enim non loquor) pecuniæ multitudinem vel non appetiuerunt, vel oblatam reiecerunt, vt teſtantur hiſtoriæ de Diogene, qui in dolio ſuo Solis calorem potius quàm aurum optauit: vt etiam de Curio, qui magnum auri pondus à Samnitibus oblatum accipere noluit, ſcribit Cic. in Cat. Maiore, & Valer. Maxim. lib. 4. cap. 3. vbi quoque Fabricium Lucinum ſine pecunia prædiuitem appellat, cauſamque addit dicens: *Locupletem illum faciebat, non multa poſſidere, ſed modica deſiderare.* Hinc Seneca ſapienter inquit: *Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt;* quia paucitas rerum inopem non facit; cum natura paucis ſit contenta, ideoque nec pecunia diuitem facit. Et Cicero dicit: *Animus hominis diues, non arca appellari ſolet.* Nec hominum modò ſapientum autoritas nobis aſtipulatur, ſed & conſcientia iſtorum hominum qui diuitiis affluunt: hos enim velut Pluti mancipia, ſæpè audias ſic conqueri: „O vtinam huius aut illius loco eſſem, qui mediocri fortuna vtens curis vacat ægerrimis, „quibus ego noctesque dieſque malè crucior. „Si hoc, quid boni, quid iucundi in pecuniæ multitudine, quæ curas multiplicat, animum diſtrahit atque inquietum reddit, dum fures timentur & latrones? Porrò cum nullum inſtrumentum debeat eſſe infinitum nec multitudine nec magnitudine, ſi ad finem ducere velit: Omnis autem poſſeſſio ſit inſtrumentum ſiue medium tendens ad finem Oeconomiæ, nempe ad felicitatem domeſticam: Pecunia igitur quatenus in infinitum & ſine modo augetur, non poteſt eſſe inſtrumentum ſiue medium felicitatis domeſticæ; ſufficientia enim verarum poſſeſſionum conducentium ad vitam non eſt infinita; numus autem ſine modo appetitus finem non habet, vt probat Solon cum inquit: Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται, h. e. *nullus eſt diuitiarum finis conſtitutus hominibus.* Idcircò dicit Philoſophus, non ſunt veræ diuitiæ, nec inter poſſeſſiones domeſticas numerandæ, quæ infinitæ ſunt & à ratione numi augendi proficiſcũtur: nam finis ſine modo & gradu appeti poteſt, vt in Medicina ſanitas ſine modo appetitur, & vnaquæque

5.

6.

Pecunia in infinitum nõ eſt augenda.

ars finem ſine modo appetit, quia finem quàm maximè optimum volunt efficere: eorum autem quæ ſunt ad finem, nihil debet eſſe infinitum, quia finis eſt extremum omnibus, & præſcribit mediis modum. Etſi ergò ſit finis rerum domeſticarum, tamen non eſt modus aut finis augendæ rei domeſticæ ſiue pecuniarum. Ideò (concludit) in his non ſunt per ſe diuitiæ, quia omnes in infinitum augent, qui pecuniæ ſtudent, dum nempe non diſtinguunt inter rem & eius vſum, & putant hoc eſſe opus ſiue officium patrisfam. vt conſeruet vel augeat pecuniam in infinitum, cum tamen ſumptus & donatio pecuniarum vſus ſit, vt dicitur cap. 1. Eth. 4. vbi pecuniæ ſtudio nimium occupati vocantur *illiberales*. Inſtrumentum etiam ſeparatum à principali cauſa & agente deſinit eſſe inſtrumentum: Si igitur pecunia etiam non referatur ad felicitatem domeſticam, non erit inſtrumentum aut poſſeſſio domeſtica, neq; veræ diuitiæ. Cæterũ ipſa inuentio numi ad neceſſitatem facta eſt, non ad abundantiam & lucrum. Ipſa etiam domeſtica ſocietas benè inſtituta ſufficienter ſe habere poteſt abſque numorum copia, ita vt in prima ſocietate ſiue in domo pecuniæ augendæ minus ſtudendum eſſe Philoſophus ſtatuat, quam in maiori ſocietate ſiue in rep. quæ amplioribus reditibus ſtudere poteſt, cum pluribus indigeat, quàm indigent in domo filii & hæredes. Quocirca ſatis iam manifeſtum eſſe putamus, quod quidem pecuniam amare per ſe malum non ſit, lib. 7. Eth. cap. 4. & lib. 2. Pol. cap. 3. nimis autem eam amare ſit vituperabile, ibidem & cap. 1. Eth. 4. imò pecuniæ ſine modo augendæ indulgere ſit violentum quid, 1. Eth. cap. 5. ſit etiam contra naturam; contra finem diſciplinæ Oeconom. & finem inuentæ atque vſurpatæ primitus pecuniæ, &c. d. c. 1. Polit. Plura argumenta ex ſacris literis afferri poſſunt, vt Eccleſ. 31. ℣. 5. & 6. item 1. Timoth. 6. ℣. 9. & ſeqq. Lucæ 12. ℣. 15. & 34. ſed hæc Theologis committimus. Videri tamen etiam poteſt Iauellus tract. 2. Oeconom. Chriſt. cap. 3. & Zuinger. in ſchol. Eth. pagina 25. vbi præclarum dictum Timandridæ Lacedæmonii ex lib. 14. hiſtor. Æliani & ex Menandro recenſet. Denique addit Philoſophus noſter cit. c. 6. ſapientiſſimas cauſas, cur homines putent

putent officium patrisfam. præcipuum in eo consistere, vt pecunia augeatur, cum ita inquit: *Causa huius dispositionis in hominibus est cupiditas viuendi, sed non cupiditas benè viuendi.* Cum ergò cupiditas viuendi in infinitum extendatur (omnes enim homines cupiunt esse immortales) ideò quoque in infinitum extenditur cupiditas habendi: quia habere iudicant homines esse medium præcipuum ad viuendum. Alteram causam esse dicit, quod homines vitam bonam & beatam collocēt in voluptatibus corporis, quæ voluptates cum non possint esse paucis contentæ, sed modum excedant, vt in textu dicitur, ideò student in immensum augere opes, vt eiusmodi excessum possint per eas implere, atq; adeò nō secundum naturam viuant, sed secundum petulantiam. Tertiam causam esse dicit, quod homines suorum laborum non verum finem constituant, sed omnia referant ad pecuniam, tanquam ad finem.

43 *An Agricultura sit modus acquirendi perfectissimus?*

De modis acquirendi.

Agricultura omnium acquisitionum prima est & maximè secundum naturam, non ex hominum instituto & præscripto orta, 1. Pol. 5. Huius enim cura & acquisitio circa alimentum est, quod cum propter cætera animalia sit, hominis gratia inprimis datum est; quia hominē tanquam perfectissimum animal natura maximè intēdit, d. c. & 1. Oeconom. 2. vbi dicitur: "Possessionis prima cura est ea, quę secundum naturam; secundum naturam verò potissima est Agricultura; naturâ enim omnis educatio est à matre, quare & hominibus à terra, vt egregiè ibi & 1. Pol. 7. Philos. loquitur." Sed & iusta atque innocens per agriculturam acquisitio est; non enim ab hominibus nec volentibus, vt Cauponaria & Mercenaria; nec inuitis quærit, quemadmodum bellicæ artes. Et hoc est, quod Columella dicit: *Innocentissimi sunt agriculturæ reditus.* Plurimum etiam conducit ad fortitudinem bellicam: Agricultura enim non eneruat corpora & inutilia reddit, sicut officina, sed indurat potius, vt & sub dio consistere, & tolerare laborem valeant, & aduersus hostes pericula capessere: soli enim hi res

ſuas extra munitiones habent. Hinc etium dicit Vegetius: *Optimus miles ex agro legitur.* Et Cic. inquit: *Vita hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ ac iuſtitiæ magiſtra eſt, ac maximè diſiuncta à libidine, & cum officio coniuncta.* Quas laudes etiam agriculturæ idem Cic. tribuit in Cat. M. & Senec. in Hippol. Non alia magis eſt libera, inquit, & vitio carens, rituſque melior vita quæ priſcos colat, quam quæ relictis mœnibus ſyluas amat, &c. Et Virgil. etiam lib. 2. Georg. Agricolarum vitam primam omnium eſſe dicit, vtpote quam homines primæui ſub aureo ſeculo coluerunt: & commendat quoque eam tanquam omnium virtutum Ethicarum & Oeconomicarum fideliſſimam officinam & promptuarium, ita vt in hæc verba tandem prorumpat: *O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint, Agricolas!* &c.

44 *Quid de Commutatione; quid item de Mercatura ſentiendum?*

Commutationis vocabulum tripliciter ſumitur: interdum enim ſignificat commutationem rei cum re; interdum verò commutationem rei cum pecunia, & è conuerſo; interdum denique commutationem pecuniæ cū pecunia, vt inter alios docet Iauel. tract. 6. Oec. Chriſt. c. 5. vbi cauſas trium harum commutationum introductarum affert: quod facit etiam Domin. Soto. lib. 6. de iuſt. & iur. quæſt. 8. art. 1. Agimus hîc autem de commutatione prima, rei ſcilicet cum re, quam etiam inter naturales modos acquirendi refert Philoſ. noſter 1. Pol. 6. ſed hac tamen conditione, ſi fiat propter indigentiam, non v. propter lucroſum augmentum rei familiaris. Cū enim cuiuſque rei, quæ poſſidetur, duplex ſit vſus; vterq; quidem ſecundum rem ipſam, ſed diſſimiliter; nam alius vſus eſt proprius & principalis (vt vſus calcei eſt munitio pedum) alius verò minus principalis (ſic vſus calcei eſt, vt pro eo vendito aut permutato cibū vel aliam rem acquiras) idcircò licèt quoad primum & proprium vſum rerum nihil generetur a natura propter permutationem, tamen in vſu ſecundario & fine minus principali conſideratæ res naturales etiam ad permutationem ac-

nem accommodantur, & quidem necessario, si humana societas salua esse debeat, 5.Eth.5. Ita vt hac ratione & scopo vinum, frumentum & res aliæ ad alimentum à natura principaliter factæ sine vlla iniustitia & sine violatione legis naturæ permutari possint; præsertim cum ipsa natura hoc videatur suadere, vt primò is, cui plura dedit quam opus habet, communicet aut permutet ea cum illo, qui habet pauciora quàm necesse est. Deinde etiam cum non eadem iisdem locis aut regionibus proueniant quibus indigent homines, vt permutatio fiat rerum necessariarum, ipsa flagitat necessitas hominumque indigentia, vt idipsum egregiè explicat Iauel. in princ. d. cap. 5. & ipse etiam Philosophus 5.Eth.5. adeò vt permutatio quamdiu & quatenus seruit ad defectum naturæ supplendum, nec euagatur ad excessum nimium, licita omninò sit & approbanda, vt Aristot. cit. loc. Polit. apertè fatetur. Ad Mercaturam quod attinet, videtur Aristot. cap. 6. 1. Pol. malè fauere mercatoribus, & durius eos insectari tanquam acquisitores contra naturam & contra leges ac iura naturalia, imò tanquam sordidos, viles atque abiectos. Sed si quis scopum Aristot. rectè attendat & cum iis conferat, quæ lib. 5. Ethic. de iustit. commutat. Philosophus docuit, reperiet, non disputari hìc contra mercaturam simpliciter & absolutè, sed primò tantum in comparatione ad agriculturam, tanquam iustissimum modum acquirendi: deinde non contra vsum mercaturæ siue pecuniæ, sed contra excessum, qui virtuti contrariatur, vt declarat etiam Boter. lib. 1. Pol. cap. 14. Si enim Mercatura comparetur cum modo acquirendi pure naturali, sique spectetur sola naturæ indigentia, verum quidem est, mercaturam esse modum acquirendi valde imperfectum & improprium, nec teneri patremfamil. ex officio, vt de pecunia prouideat, quia Oeconomiæ administratio necessariis alimentis contenta esse potest; sin verò non comparatiuè loquaris de mercatura, sed absolutè, & consideres nõ tantum necessitatem naturæ, neq; tantum Oeconomiã necessariis instructam, sed etiam Oeconomiam ad cõmoditatem & ornamentum & ad ditandam remp. cum opus est, comparatam, vtique mercatura etiam inter

legitimos & laudabiles modos acquirendi fuerit connumeranda, vt fatetur etiam Iauel. tract. 6. Oec. Christ. c. 6. vbi dicit veros mercatores fauore dignos esse, eò quod ex omnibus mundi partibus in vnico aliquo loco vbi degunt, commune quoddam forum efficiant, in quo totius mundi opes sint venales. Sed obiicitur, Mercatores iam negociari non ad supplendos naturæ defectus, sed tantum ad augmentum siue lucrum, cui se totos tanquã Deo consecrarunt, vt inuehitur in Mercatores Erasmus Roterod. in Adag. Et Apollonius inquit, referente Philostr. in eius vita: *Mercatura virtutis inimica est.* Item Eccles. 26. ℣. vltim. & c. 42. ℣. 5. dicitur: *Mercator & institor vix cauere possunt à peccato.* Verum per accidens hæc fiũt, non ex natura mercaturæ, quæ potius administra est publicæ & priuatæ virtutis, imò quæ facit ad vitæ hum. necessitatem, commoditatem & dignitatem, propter locorum distantiam, propter temporum differentiam, propter rerum quantitatem & denique indigentiam humanam. Idcircò meritò Plato 2. De repub. inquit: *Sine commerciis vix potest subsistere ciuitas.* Et memorabile est, quod Mich. Brutus lib. 8. Florent. histor. refert de Laurentio Medices principe florentissimo, qui dixit: *Mercaturam esse caput, vnde robur & nerui manant in remp.* Vnde etiam Neapolitanis ablata aliquamdiu mercatura necessariò fuit restituta, vt testatur Iou. Pontanus c. 45. de liberalit. ne scilicet ipsis contingeret, quod hodiè in Antuerpia & Wismaria videmus, quæ solitariæ ac desertæ iacent propter ablatam inde mercaturam. Et Solon etiam ad inopiam redactus per mercaturam opes conquirere non erubuit, vt scribit Plutarchus in eius vita, & Cæl. Rhodig. libro 16. cap. 8. Hinc adeò factum, quod Reges & Principes magna priuilegia mercatoribus passim indulserint; sicut inprimis memorabile est priuilegium illud, quod anno 1258. Henricus III. Angliæ Rex ciuitatibus Ansaticis in suo regno dedit, de quo Polyd. Virgil. lib. 16. hist. Angl. Quamuis præterea mercatoribus non patuerint olim aditus ad honores publicos, vt patet ex Liuio & Aristot. 2. Polit. Quamuis item Magnatibus & nobilibus leges Rom. negociatione interdixerint, tamen non propter ipsam mercaturam,

tanquam

tanquam inhonestam, sed propter peculiares causas & circumstantias id esse factum non est dubium, vt docet etiam Bodinus lib. 3. de repub. cap. 8. (nam mercatura summaria ipsis vbique ferè conceditur.) Porrò de eo cum quæritur; *An iustum sit carius vendere quam emisti?* in Ethicis disputauimus: hîc breuiter rem repetimus & monemus, quod si τὸ ἀκριβοδίκαιον, id est, strictam iustitiæ regulam respicere velimus, tres cautelæ necessariò fuerint obseruandæ: 1, ne hodiè emptum hodiè vendas aut cras statim, præsertim si emisti rem alimentariam, vt frumentum, vinum, &c. 2, vt rem commutabilem siue vendẽdam reddas meliorem: quod quidem in multis rebus fit artificio, in aliis autem non artificio, sed opera transportationis siue transvectionis; item per conseruationem ad indigentiam, vt de his requisitis iustæ mercaturæ tractat Casus ad 1. Pol. c. 7. 3, vt occultũ rei vendendæ vitium emptori indices.

45 *An Numus necessariò sit inuentus?*

Aristoteles 1. Pol. 6. Numum vocat primum & vltimũ in commutatione, dicitque Numum primò simpliciter fuisse definitum quantitate & pondere, postmodum verò signum ei fuisse impressum, vt declarat Carol. Molinæus in tract. de vsu. tex. 793. inprimis tex. 195. Iauellus tract. 6. Oecon. Christ. cap. 5. vbi dicit à principio statim mundi vsurpatam fuisse monetam. Numum verò necessarium medium esse mercaturæ, siue necessariò fuisse inuentum, Philosophus cit. loco quatuor inprimis argumentis ostendit: primò à distantia locorum: cum enim omnes res, quibus indigent homines, non prouenian in vno loco, sed aliæ regiones aliis rebus abundẽt; interim verò regiones istæ longo interuallo sint dissitæ, ita vt merces aliæ non ita commodè isthuc transportari possint, necessariò numus qui ita grauis non est, transportari debuit. 2, à circumstantia temporis: cum nempe possit fieri, vt aliquis victualibus abundans necessariò diuendere ea cogatur; si verò iste rem cum re commutare nolit, necesse est vt pecunia ipsi detur. 3, à varietate rerum & inæquali earum precio: Habet enim, exempli gr. aliquis equum, at cibus & vestis deest: si equum det

& cibum acquirat, adhuc tamen vestis deest, ergò numo opus est, vt vestem acquirat. Cum item multæ res inæqualis sint precii, factum est vt moneta siue numismate vteremur, vt pro dignitate cuiuslibet rei fiat inter ipsos contrahentes permutatio, quæ ciuilem communionem contineat, vt Aristot. lib. 5. Eth. cap. 5. & lib. 1. Magn. mor. cap. 31. testatur & exemplis abundè declarat. Denique 4. ab indigentia & necessitate hominum; si nempe planè non habeamus id, quod possimus commutare, & tamen egemus re commutanda, vtiq; necesse est numũ afferamus. Oritur hîc vtilis quæstio: *An magna rerum conuersio sit metuenda tum, cum ferè nullum amplius est regimen monetæ?* ℞. Cum numus sit medium, per quod res fiunt commensurabiles, siue cum numus ipsa sit mẽsura, ad quam commensurantur omnia, imò nihil sit quod non metiatur numus, vt sedulò inculcat Aristotel. 5. Eth. 5. & repetit in princip. cap. 1. lib. 9. Ethic. imò cum primum sit & vltimum in commutatione, atque adeò instrumentum domesticum, 1. Polit. 6. euidentissimè patet ex adulteratione monetæ, vel mutatione valoris eius, tanquam ex publicæ mensuræ corruptione, necessariò magnas rerum conuersiones & mutationes in communi vita orituras, vt inter alios Politicos etiam Boter. in lib. de Polit. illustr. pag. 101. fatetur, cum inquit: Nihil
" est periculosius ciuitati, nihil ciuib. perniciosius, quàm
" sæpius mutari legitimam pecuniam, quam rerum com-
" mutandarum mensuram eamque permanentem iusti-
" tia fecit. Idem fatetur Molinæus textu 794. & 804. vbi
" reprehendit auaros mercatores, qui putant è republ. es-
" se aureorum talerorumque indicaturam siue valorem
" augeri, dum ipsi priuatum suum commodum spectent,
&c. Ita vt Philippus Melanchthon rectè vaticinatus videatur, qui dicere solebat; **Es wird der Welt an dreyen Dingen mangeln: an gutter Müntz: an Holtz: vnd an guten Freunden.** Nec inutilis est hæc quæstio: *An detectio Americæ, ex qua intra centum annos ingens vis auri & argenti exportata est, profuerit annonæ & mercaturæ in Europa?* Respondemus, per se quidem detectionem istius terræ, diuinæ prouidentiæ & misericordiæ singulare opus esse: vult enim DEVS ante

finem

finem mundi prædicationem sui Euangelii in totum terrarum orbem promulgari: sed hac tamen ratione istam noui orbis inuentionem non profuisse, quod cupiditas cumulandarum opum in patribusfam. ex eo tempore magis creuerit quàm alias: deinde quia quò plus pecuniæ siue auri & argenti in Europam delatum est, eò magis creuit precium omnium rerum; quia quãdo sciunt venditores multum esse pecuniæ, etiam carius indicant, & homines sunt magis emaces.

De Monopolio & Sortilegio.

46 *An paterfam. rem suam familiarem per numulariam, siue fœnus & vsuram legitimè augere possit?*

Numularia, quâ ex numo numum acquiro atque lucror, tam lege naturæ, quàm diuina ac humana prohibita esse videtur. Idcircò Aristot. 1. Polit. cap. 6. & 7. dicit pecuniariam siue numulariam nulla ratione probandam esse, sed odio rationabilissimè habendam: 1, quod hæc acquisitio in infinitum fieri possit, atque ita nullus finis diuitiarum ac possessionis esse videatur, c. 6. d. lib. & cap. 1 Eth. 4. 2, quod sit præter naturam inuenti primitùs numi, qui nempè ex necessitate commutationis emersit, vt esset medium acquisitionis, siue mensura permutationis, non verò species eius; cum species rei & mensura rei differant, c. 6. & 7. atque adeò quod sic non Ens vendi videatur, vt acutè argumentatur Boter. lib. 1. Pol. cap. 14. pag. 103. 3, quod prauo hominum instituto introducta sit, qui multitudinem pecuniarum veras diuitias esse falsò sibi imaginati sunt, atque ita si numis numos cumulare possent, sese felices fore putarunt, c. 6. 4, cum absurdum sit idem seipsum parere, fœnus autem seipsum parit, vnde & nomen habere dicitur tam apud Latinos quam Græcos, vt pulchrè declarat Molinæus *d. tr. tex. 2. & 3.* vbi vsuram ex autoribus variis comparat *belluæ, latroni legali, morsui aspidis, teredini, igni, deniq; damno*, vt inquit Hesiodus lib. 1. Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν. *Ne malè lucreris, mala lucra æqualia damnis.* Quare maximè præter naturam est hic acquirendi modus, concludit Aristot. c. 7. lib. 1. Pol. Et Cato lib. 2. de re rust. inquit: *Maiores nostri sic habuêre, furem duplo, fœne-*

ratorem quadruplo puniri debere. Idem extat apud Liu. lib.1. & 6. de M. Manlio. Plures eiusmodi rationes contra vsuram habet Casus super hoc cap.7. lib. 1. Pol. Arist. & Dominicus Soto lib.6.de iustit.& iur.quæst.1. Diuina autem lege vsuræ passim tam in veteri quam in nouo Testamento prohibitæ leguntur, vt Exodi 22.℣.25. Leuit. 25.℣.36. & seq. Deuter.23.℣.19. & seq. Psal. 14.℣.5. Psal.54.℣.12. Ezech.18.℣.8.& 13. item c.22.℣.12. Nehem. 5.℣.7.& 9. Ierem.15.℣.10. Prou.28.℣.8. Luc.6.℣.35. & alibi. His suffragantur omnes ferè Patres Latini & Græci in Ecclesia, qui vsuras improbant: Et faciunt idem tum Scholastici, tum recentes multi Theologi Euangelici & Pontificii, & inter hos inprimis prolixè Gregorius de Valentia in comment. suis super Thomam, & Iauel.tracta.6.Oecon.Christ.cap.6.item Decretum aureum Gratiani, *causa* 14. *quæst.*3. *item Decretal. Gregorii, tit.*19. *c.*1. *de vsuris.* Albertus Cæsar ante annos centum & supra, legem promulgauit, vt qui duobus testibus fœnoris conuinceretur, omnibus bonis caderet: si verò vxor eius iuramento sese purgaret, tertia pars bonorum ei redderetur. Item anno 1500.in Constitut.Imper. vsura prohibebatur. Item sub Carolo V. anno 1530.& postea etiam Augustæ Vindelicorum ordinatũ fuit, vt vsurarii quartâ parte bonorum suorum confiscarentur. Et Boterus etiam cum Aristotelis argumenta syllogisticè exposuisset, & cur ciuili iure vsuræ tolerentur, declarasset, tandem concludit, Vsuras è quauis rep.modò saluam se cupiat, esse exterminandas, lib.1.c.14.Pol.pag.104. Verùm quod ad Aristotelem attinet, videtur ille nobis non simpliciter intelligendus, præcipuè si vera illa esse debeant, quæ lib.5.Ethic.de iustit. commutatiua docuit. Nam si penitius Aristotelis scopum consideremus, comparationem saltem ille instituit inter agriculturam & numulariam, & illam tanquam iustissimum & simplicissimum acquirendi modum huic longè præfert, vt fatetur etiam Boterus cit. lib. pag. 96. deinde non ita absolutè & simpliciter numulariæ vsum damnat, sed excessum eius tanquam virtuti contrarium: Vsus enim laudem, crimen abusus habet. Nam expressè patet ex c.6. Pol.1. quod in eos inuehatur, qui pecuniis in infinitum student.

dent, cum inquit: Contra fieri video; Omnes enim in "infinitum augent, qui pecuniis student. Et paulò pòst: "Isti cuncta ad pecuniam conuertunt, quasi hic sit finis. "Id quod prudenter etiam determinat *Car. Molin. d. tract. tex.* 439. *& seqq.* aliquot, in quibus hoc cap. 6. & 7. Arist. 1. Pol. examinat; & qualem acquisitionem Philosophus laudet vel vituperet, sapienter explicat. Quod verò ad ius diuinum & sacram Scripturam attinet, non improbatur ibi vsura simpliciter, sed tantum respectu populi Iudaici, propter causas isti populo proprias. quia enim illi ex agricultura tum magna parte viuebant, & magis quam ex mercatura, ideò facilè fieri potuisset, vt dominia agrorum, &c. transferrentur de familiis in familias, si vsura fuisset inter ipsos concessa. Vt ergò ista alienatio dominiorum in hoc populo caueretur, prohibuit DEVS vsuras: Deinde non sustulit DEVS vsuram inter quosuis, vt inprimis patet Deuter. 23. ℣. 20. sed inter egenos, Exodi 22. qui ad necessitatem vitæ suæ rem aliquam cuiuscunque sit generis, à nobis petunt: nec omnem etiam vsuram prohibuit, sed iniquam & proximi facultates mordicus attenuantem, vt ipsa vox Hebræa *Neschech*, à *Naschach*, momordit, clarè indicat, & ex omnibus suprà citatis sacræ Scripturæ locis cuiuis rem exactè consideranti, manifestum est. Ita vt rectè concludat Molinæus ante tex. 156. vt & tex. 49. Canonistas in prohibendis simpliciter vsuris grauiter errasse, dum bonas literas legesque ciuiles ignorarunt, & ius etiam diuinum rectè non intellexerunt. Nam vt constat ex *L. eos*, quam pag. 68. Molinæus enarrat, vsuræ iure Ciuili & Cæsareo non omninò prohibitæ sunt, sed certa solum quantitas eis præscribitur tàm in fructibus aut aliis quibuscumque rebus quàm in numis, vt à textu 63. vsque ad 70. egregiè & prolixè autor iste declarat. Et tex. 48. & 72. Canonistarum & Scholasticorum Theologorum errorem refutat, qui hoc dicto Christi Luc. 6. *Mutuum date*, &c. Iustiniani legem de concessis vsuris tanquam improbam repudiarunt: quod dictum ibid. vt & text. 11. & 85. ac sequent. rectissimè interpretatur, & quasnam vsuras Iurisconsulti & Iustinianus concedant, text. 75. determinat. Idem etiam cum de iusta modera-

tione vſurarum diſſeruiſſet, propter crebras ac varias hominum neceſſitates, neceſſarium & omninò vtilem eſſe æris alieni vſum probat tex.76. & ſeqq. atque ideò vſuras non eſſe tollendas ſiue abrogandas, præſertim cum iis ſublatis incommoda & fraudes infinitæ oriantur, tex.13. & ſeqq. & 534. & 535. Porrò de Iure Canonico, quod videlicet reipſa non pugnet cum Ciuili, ſatis prolixè tractat idem Molin.t.515.& 518. vbi tres caſus recenſet, quibus vſura illicita eſt & prohibita.vt & tex.84. 90.Dominus Lutherus autem etſi in libello ad Concionatores de abroganda vſura, vſuram tanquam peccatum contra conſcientiam damnare videatur, tamẽ non omnem ſimpliciter vſuram, ſed exceſſiuam deteſtatur, vt patet ex eodem libello; vbi cautè & ſecundum leges ciuitatum, eas vſuras concedit, quas ipſa neceſſitas citra fraudem & damnum proximi inuehit, dicitque viduos, orphanos, ſenes decrepitos & egenos, potiſſimum nullam artem edoctos, iuſtum ex pecunia mutuò data, intereſſe ſiue lucrum captare poſſe, interea tamen Politici magiſtratus eſſe, in pacem conſcientiæ cum conſilio Theologorum & ICtorum conſtitutionem certam in mutuò ſumenda pecunia præſcribere. In eadem etiam ſentẽtia fuit Dn.Ph.Melanchth, qui cum triplicem mutuationem eſſe dixiſſet, in tertia ſpecie intereſſe meritò & bona conſcientia peti poſſe concludit, ſi nimirum cum modo fiat, vt quinque de centum, &c. ſicut vberius patet ex eius conſilio, quod Dn. Bugenhagio Pomer. dedit cum in Holſatiam proficiſceretur; *in conſtit. Saxon.par.1.quæſt.6.* Reſpondemus itaque, quod Paterfam. ſi pecuniam mutuo det, quatenus pecunia eſt abſolutè & in ſe conſiderata, h. e. quatenus eſt menſura rerum neceſſariarum, abſurdè agat, & contra ius naturę ac diuinum peccet, ſi tunc vſurâ aliquem mordere velit, & opes ſuas iniuſtè augere, præſertim cum etiam contra mutui naturam ſit vſuram capere earum rerum, quæ vſu ipſo abſumuntur, vt patet *ex lib.3. Inſtitut.tit.15.& l.1. ibique gloſ.Bart.& Bal.C.de condict.indeb.* Sin verò numus conſideretur non reſpectu ſui, & vt ſupplet neceſſitatem proximi, ſed reſpectu lucri quod alter ex numo habet, vtique non abſurdum eſſe putamus nec contra naturam,

ſi com-

ſi compenſatio poſtuletur, præſertim cum ita numis ſuis ad tempus ipſe creditor carere cogatur, & interdum quidem non ſine periculo; qui etiam idem lucrum forţaſſe capere potuiſſet, quod debitor modò anticipat. Vnde illam vſuram Legiſtæ vocant *Lucratoriam & illicitam*. hanc verò *Recompenſatoriam*, t.5. Molin. Et hoc poſteriori vſuræ genere Patremfam. legitimè vti poſſe ad vſum ſuum domeſticum non inficias imus, cum hîc nihil contra charitatem, ſed ex mutua charitate fiat, vt exemplo mercatoris diuitis ab alio pecuniam lucrandi cauſa mutuantis, perſpicuè Molin. tex. 10. declarat, vbi iuſtæ vſuræ requiſita breuiter enumerat, eamque etiam per conſcientiam licitam eſſe dicit, quæ fit ſine damno & fraude proximi, *t.* 11. 80. *in fine. t.* 155. *& t.* 441. quæ iuſtum modum non excedit, aut vſuram ex vſura facit, 45. 525, 419. quæ vſuras non frequentat, & velut artem liberalem, aut negociationem fœneratoriam facit, t. 58. quæ non exigitur pro modica ſorte, 453. quæ non excedit metas legibus, aut politicis ordinationibus ſpecialiter conſtitutas. t. 11. 513. quæ denique non vbique locorum, nec à quibuſuis ſine diſcrimine, nec quouis tempore æquè magnas vſuras capit.

47 *An poſſeſſio legitimè acquiratur per Cambium?*

Cambium à *cambire* dicitur, quod eſt commutare rem cum re, Germanicè Wechſel. Vocatur à Iauel. tr. 3. cap. 3. pol. 1. *Numularia induſtrioſa*, & tr. 6. c. 6. Oec. Chri. via ſeu *ars campſoria*, quam ibid. dupliciter conſiderari docet; primò quidem fine & ſcopo ſuo principali, quo primùm inuenta eſt: Deinde verò minus principaliter, ex modis ſuperadditis, qui ſunt: 1, modus cambii minuti; 2, modus cambii per literas; 3, modus cambii, qui nunc eſt in vſu in curia Romana. Quoad modum ergò quo primò cambium eſt inuentum, omninò licitum id eſſe cum Iauello ſtatuimus: Cum enim propter diuerſos in orbe terrarum principes ac magiſtratus varii generis numiſmata in variis locis ac regionibus cudantur, numiſmatum verò ſiue pecuniæ valor in quauis ditione & principatu non ſit idem, ſed maioris plerunque ſit pretii eo in

loco vbi cuditur, minoris verò peregrinis in locis; & interim tamen, necessaria sit cum istis hominibus commutatio, ipsa profectò hominum indigentia per solertiam quandam Cambii vsum introduxit, quo non solum mercatores apud exteros commodè possent negociari, sed & pauperes ac viatores aliunde peregrinam monetam secum afferentes, eo in loco ad quem modò deueniunt, aliméta sibi ad vitam cōparare valeant, quo certè carere cogerētur, nisi quis esset, qui pro peregrina moneta huius modò loci monetam iis contribueret; Ita vt vix alio contractu possint carere ii, qui ad longinqua loca peregrinantes negociationem ibi exercent, sicut de hoc vsu Cambii etiam Immanuel Metteranus scribit in histor. Belgica. Porrò Cambium licèt modus sit acquirendi à naturali diuersus, adeò vt secundum vocis sonum (quo à Philosopho 1. Pol. 6. *numularia specialis* vocatur) mali quid significare videatur: licèt item præter numi primitùs inuenti vsum hæc commutatio instituatur, adeoque non tam ad acquisitionem necessariorum quàm ad lucrū conuertatur, multiplici fraude plerumq; scateat; tamen cum quatuor pręcipuè sint actionum genera; alia quidem actio in se bona, vt virtutis opus; alia indifferens, vt ambulare; alia semper mala, vt mentiri; alia denique talis, quæ absolutè & per se nudè considerata in malum sonat, attamen non repugnat, quo minus fine aliquo & circumstantia fieri possit licita: statuimus Campsoriam esse eiusmodi, vt in finem bonū & honestum queat conuerti, ita vt reip. emolumentū afferat; atque adeò licitam omninò esse & vtilem & necessariā, vt ex antecedentibus perspicuū est: præsertim cum non absque modo, sed honestū optare lucrum Campsor possit, & à maculis quibus nonnunquam hæc ars inquinatur, sibi cauere. Deinde sicut cæterarum rerū vsus alius primæuus est, (vt e.g. indumenti indutio) alius secundarius (vt emptio & venditio, docente Philosoph. cit. cap.) pari quoque ratione, etsi numorum proprius vsus & finis sit rerum æstimatio ac pro illis commutatio, nihilominus eorum inuicem Cambium non est omninò absurdum, si eatenus permittatur, quatenus est Oeconomiæ ac reip. necessarium, vt prolixè & egregie disputat

Dom.

Domin. Soto lib. 6. de iustit. & iur. q. 8. & seqq. Præterea Cambium quod *Minutum* vocant, vbi nempe aurea moneta pro argentea vel ærea commutatur, vel è diuerso, licitũ esse plerique autores existimant, modò fraus absit & pecunia falsa, præcisa, diminuta & inexpendibilis (vt loquuntur) non admisceatur; Neque ciuili lege interdictum esse hoc cambium, docet Iauel. d. cap. 6. Oeconom. Christ. & Dominicus Soto d. l. quæst. 9. De cambio quoq; pro ratione loci seu Cambio per literas idem est iudicium. Iauel. ibid. & Domin. quæst. 10. art. 1. Cambium verò quod fit ratione temporis, diciturque *Cambium vsitatum in Romanâ curia*, illicitum esse, eò quod mutui rationem habeat & in turpissimum fœnus conuertatur, statuit Dom. Soto quæst. cit. art. 2. & Iau. d. l. vbi argumenta aduersariorum adducit & refutat. Porrò de Assecuratione quod hæc quoque sit licita acquisitionis species, statuimus cum Dominico Soto lib. 6. de iust. & iure q. 7. vbi & limitationes & rationes adduntur.

48 *Vtrum possessiones rerum per lusum; adeoq; etiam per certamen depositi pignoris legitimè acquirantur?*

Acquisitio per lusum sortilegio similis videtur, cum sit modus acquirendi indirectus & extraordinarius, & quo magis fortuna tentatur, quam Prudentia adhibetur. At verò non parum inter se discrepant Sortilegium propriè dictum & Lusus. Illud enim certũ sibi lucrum ex omniũ promiscuè opibus pollicetur, naturâ sortilegii id postulante, adhibitis etiam plerumque dolis malis: Lusus verò fortunæ dubiæ nititur aleæ, vt vtrique ex æquo sit spes lucri: Ad iustum etiam lusum non admittuntur omnes sine discrimine, non pauperes, nõ pupilli, aut ætatis immaturæ homines, aut alii nonnulli, sed qui eiusdem sunt quoad diuitias gradus, suaque bona legitimè & plena potestate possident. Quod verò multa incommmoda hinc etiam oriantur, vt scil. quis fiat tam suorum prodigus, quàm alienorum auidissimè cupidus; lites item & alia mala circa lusum moueantur, adeoq; gestus & verba obscœna immisceantur, &c. hoc respectu lusus eiusmodi lege diuina & humana prohiberi,

ostendit Dominic. Soto, lib. 4. de iustit. & iure, q. 5. art. 2. vbi hanc quæstionem prolixè tractat, dicitque ludos animi leuandi gratia nonnunquam posse concedi, dummodo moderamen non absit, & si velut somno ac requie illis vtamur, vt inquit Cic. 1. Off. deinde si contra iura ciuitatum particularia non fiant, vbi propter certas causas alearū & chartarum lusus interdictus est: tertio si non ampla pecuniæ summa exponatur, per quam familiæ necessaria subtrahantur: denique concludit, illa, quæ ludo acquisita sunt, transire in dominium lucrantis, adeò vt nisi statim repetantur ab eo qui perdit, non sint restitutionis vinculo alligatæ: cùm nempe inter hos ita colludentes libera quædam pactio videatur intercedere (*Do vt Des*, h.e. meam pecuniam periculo expono, vt tu vicissim exponas tuam) ita vt alteri iniuria non fiat, si hac ratione numis suis cadat, cū sponte sua illos dederit pro spe si sibi alea caderet: quādoquidem nulla sit dominiorū translatio naturæ germanior, quàm quæ fit plena & libera domini voluntate; præsertim cum etiam prodigalitate quæ vitium est, rerū dominia transferri possint, sicut latius de hac pulchra materia Dom. Soto d. l. tractat, & ex lege naturæ ac iure ciuili eā defendit, præcipuè si nulla vis aut fraus interueniat, aut amici compilentur, quod apertè Philosophus reprehendit circa fin. c. 1. lib. 4. Eth. vbi aleatores eiusmodi cū latronibus, auaris & illiberalibus cōparat. Postremo Depositiones, das Wetten / videlicet, cum de re aliqua decertantes sequestrum faciunt, quod illi obueniat, à quo steterit veritas, licèt modus sit acquirendi non illicitus secundum Dom. Soto, d. antea loco: tamen rectè ac prudenter facit magistratus Amsteldamensis & alii, qui in hoc casu actionem iudiciariam non committunt inter mercatores variè & temerè alioquin, hoc indirecto acquirendi modo abusuros.

49 *Quomodo Aristoteles de cura, administratione & conseruatione rerum acquisitarum præcipiat?*

De cura & cōseruatione rerum partarū.

Cum non solum Oeconomiæ, sed & Reip. intersit, vt quisq; re sua benè vtatur, *tit. 8. Instit. lib. 1.* nec minor sit virtus,

virtus, quam quærere, parta tueri. Idcirco de hac quoque parte prudentiæ Oeconomicæ Philosophus noster commemorabilia præcepta tradit, & 1. Oecon. c. 6. grauiter monet, inquiens: si tueri nescias, frustra paraueris, estque hoc aquam cribro haurire, & pertuso dolio aliquid infundere: oportet igitur & ordinare bona, exornare & his vti, quia has ob causas illis opus est. Præcepta autem illa, quæ toto isto capite præscribit breuiter adducemus: 1, Impendia ne sint maiora quam fructus; non enim potest quæstus consistere, si eum sumptus superet, & vt loquitur Cato: Bonus paterfam. sit magis vendax quàm emax. 2, Facultates sint sigillatim distinctæ, & plures habēdæ fructuosæ, quàm infructuosæ. 3, Habendæ sunt tabulæ accepti & expensi, vt scire possit Paterfam. quid quantumve in diem, in septimanam, in mensem atque annum impendere debeat in negotiationem & vitæ necessaria, præsertim si familia sit copiosa; quibus verò sumptibus parcere queat; qui item fructus aut non proueniant cum possint prouenire, aut quinam possint maiores fieri, cum iam sunt exigui. 4, In mercaturam & in alias res, quibus aliquid periculi subest, sic distribuat impensas & sumptus, ne simul & semel vniuersorum periculum adeat, vt monet etiam Hesiod. lib. 2. Μηδ' ἐνὶ νηυσὶν ἅπαντα βίον κοίλῃσι τίθεσθαι, &c.

Nunquam quicquid habes, totum committe carinis,
Plura domi linquens, paucissima credito naui.

5, Cum duo sint modi administrandæ rei domesticæ, vnus Persicus, alter Atticus: Persicus in genere præferendus est, licèt Atticus in exilis rei familiaris cura, vbi facultates sunt exiguæ, vtilis esse possit in fructibus disponendis: Nam quando admodum parui sunt reditus annui, qui non sufficiant ad necessariam sustentationem domus, vtique possunt omnia diuendi, præsertim si annona sit carior, & si Paterfamilias ex tenuiori viuere possit: tum enim si meliora vendat, quæ ipsius ager tulit, & viliora emat, quibus possit esse contentus, poterit hac ratione annuatim aliquid lucrari. In magnis verò familiis omnia velle diuendere & noua emere, id verò ingentes parit molestias: Vt taceam quod propria sint nobis gratiora, & aliena quæ emimus raro sint tam

bona ac salubria atque ea quæ ipsi nostrâ cura coluimus. Excipere tamen hoc loco oportet certas quasdam familias ita amplas, vt annui fructus planè in abundantia prouenaint. Tales enim patresfam. si sua prædia locent in arrendam, vt loquimur, vtique consultò facere videntur, modò tales sint Arendarii, qui fundos non corrumpant & exhauriant, sed meliores reddant. 6, In domo inspiciantur quædam ab ipso viro, quædam ab vxore, pro eo atque diuisæ sunt operæ administrationis domesticæ, & suæ vtrique attributæ, 7. Domus sine custodia, perinde vt vrbs, relinquatur nullo tempore, neque die neque noctu; imò si ampla sit familia, constituendus est ianitor, qui alioquin vel per ætatem senilem, vel ob corporis affectum inhabilis est ad alias operas præstandas, & interim homo fidelis, qui diligenter attendat ad omnia & singula, quæ inferuntur in domum, vel efferuntur ex domo. 8, Dominus ipse omnibus operis seruorum præsit, omnia iubeat omniaque inspiciat, vt tota familia domini exemplo excitetur: Nam rectè dixit Dion de Dionysio: *Nemo parem curam adhibet in alienis quàm in propriis.* Et Hippocomus siue Persa aliquis interrogatus, quid maximè pinguem efficeret equum, respondit: *Oculus domini.* Item Apher siue Libycus interrogatus, *quodnam stercus esset optimum*, respondit: *in quo domini apparent vestigia.* Et Homer. Ὀδυσ. ρ. inquit: Δμῶες δ᾽ εὖτ᾽ ἂν μηκέτ᾽ ἐπικρατέωσιν ἄνακτες, &c. h.e. *vbi non est imperiũ domini, ibi non est diligentia serui.* 9, Paterfam. vltimus omnium cubitum eat, primus iterum surgat, quia hoc est ad virtutem speciosum, & valde conducit ad studia sapientiæ; conducit ad sanitatem; vtile est ad augendam rem familiarem. 10, Domus sarta tectaque seruetur & munda. 11, Pecora si quæ domi habemus & animalia omnis generis, optimè curentur, 1. Pol. 7. 12, Fundi, agri, horti. piscinæ, &c. non negligantur. 13, Victualia commodè præparentur & seruentur: Vestimẽta aridis siue siccis locis custodiantur. 14, Instrumenta domestica distinctis & separatis locis ponantur, ita vt ea quæ sunt rarioris vsus, separentur ab iis, quæ sunt quotidiani vsus: sic enim fiet vt præfecti siue Procuratores magis sollicitè ad ea attendere possint. 15, Certo tem-

Plutarch. de educ. liber.

Prou. 20. v. 13. & c. 24. v. 32. & seqq. Eccl. 32. v. 26.

Eccl. 7. v. 24.

Prou. 24. v. 37. 30. & seqq.

to tempore inspectio facienda est & quasi lustratio supellectilis domesticæ, vt scias quid saluum, quid corruptum, quid denique planè perierit. 16, Ad expeditum vsum & promptitudinem inueniendorum instrumētorum domesticorum illud Laconicum valeat, nempe vt singula suo loco iaceant; sic enim cum vsus postulat facilè reperientur.

Hæc etiam sunto præcipua Oeconomicæ totius Disciplinæ Problemata; quæ si quis & plura & prolixiora esse existimet, quam vt vni Disputationi fuerint admetienda, ab eo veniam ita petimus, vt simul moneamus causas huius instituti nostri fuisse tales, quas hominibus æquis facilè simus probaturi: Vna illa suffecerit, Oeonomicam Politicæ cedere de viâ voluisse, & nobis aurem vellicasse, vt nobilissimæ simul & amplissimæ Disciplinæ Disputationes maturaremus; Id quòd DEO *benedicente, sumus propediem facturi.*

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXIX.

Quæ est Politica prima.

DE POLITICA IN GENERE, ET DE CAVSIS STATVS MONARCHICI siue Principatus.

INSTITVTA PVBLICE IN GYMNASIO DANTISCANO, 2. Decembris Anni 1606.

Respondente

PETRO BERGMANNO Dantiscano.

MAGNIFICO ET AMPLISSIMO PROCONSVLI REIP. DANTISCANÆ

Dn. BARTHOLOMÆO SCHACHMANNO, Patrono summopere colendo,

hoc suæ obseruantiæ qualecunque symbolum exhibet

Petrus Bergman. Dantisc.

COMPENDIOSVM SYSTEMA PRVDENTIÆ POLITICÆ.

DISPVTATIONIS PRIMÆ POLITICÆ THESES.

De Politica in genere; ac de caufis ac fundamentis ſtatus Monarchici ſiue Principatus.

1 Progreſſi ſumus diuina gratia in diſputationum Philoſophicarum ſtadio ad *Politicam diſciplinam*, loco quidem vltimam, ſed dignitate atque vtilitate primam ac verè auguſtam. Eſt enim Politica nihil aliud quam Prudentia ſtatus Publici dirigendi ad bonum Publicum.

2 Finis ergo Politicæ eſt Bonum ſiue Felicitas & Salus publica; quod bonum publicum, vel abſolutè ſpectatur, vel quodam gradu ſublimitatis & eminentiæ.

3 Abſolutè ſpectatum Bonum publicum iterum vel primarium eſt, vel ſecundarium.

4 Primarium eſt Honeſtas publica, ſiue vita honeſta omnium eorum, qui in ſocietate politica degunt.

5 Vitam honeſtam publicam tanquam cauſam, per ſe & vltro ſequitur Iucunditas, ſiue pax interna publica ſiue tranquillitas, ſequitur etiam decus ſiue honor publicus in iſto ſtatu.

6 Secundarium Bonum publicum, eſt vtile publicum ſiue publica commoda & pax externa, atque adeo potentia & ſplendor publicus. Hunc vtrumque ſtatus Politici finem primarium nempe & ſecundarium Cicero aptiſſimè coniungit in exi-

in eximia illa sententia quam ex quinto suo de Republ. libro ipse allegat lib. 8. Epist. ad Atticum: *Vt gubernatori*, inquit, *cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic moderatori Reipublicæ beata ciuium vita proposita est, vt opibus firma, gloria ampla, virtute honesta sit Respublica.*

7 Finis consideratus cum gradu eminentiæ & sublimitatis sub se continet tum contemplationem, tum religionem.

8 Et sic de Fine. Obiectum cui finis iste quæritur, *est Societas hominum*, amplior illa quidem, quam domestica atque adeò talis, quæ plures (ad minimum sanè tres) familias siue domus complectatur. Vt enim aliquot homines domum, ita aliquot domus Rempublicam constituunt.

9 Istius Societatis consideratur tum Constitutio, tum distinctio.

10 Constitutio est ex Materiali & Formali. Materiale societatis politicæ sunt multi homines, siue multæ domus aut domesticæ familiæ.

11 Formale est multarum domuum inter se vnio ad statum publicum, siue Rempub. constituendam.

12 Huius vnionis spectandum tum Fundamentum, siue causa efficiens, tum finis siue terminus.

13 Fundamentum vel remotius vel propius.

14 Remotius fundamentum est consensus tacitus vel expressus cohabitandi in certo loco, cui opponitur migratio de loco in locum, ita vt nusquam pes figatur, quod cum forma veræ Reipub. pugnat; nec dici potest quod Hamaxobii illi po-

puli & Zigari veram Rempublicam habeant, etsi & familiæ multæ in illa colluuie sint, & suum etiam ducem eligant.

15 Propinquum fundamentum est, vel primum, vel ortum à primo.

16 Primum est obligatio singulorum membrorum istius societatis, erga totum corpus Politicum, siue totam Communitatem isto loco collectam & habitantem, quæ *Communis Patria* dicitur; atque adeo erga istius corporis caput, siue magistratum. Idcircò Cyclopum nulla fuit Respublica; quia nemo alteri volebat esse obligatus.

17 Hæc obligatio, dicitur interdum Ius Politicum, & oritur ex obligatione Iuris Naturæ in statu Oeconomico, siue domestico, cuius obligationis œconomicæ exemplar & imaginem obligatio ista politica in se continet. Sicut omne ius inferius continet in se exemplar Iuris superioris.

18 Obligatio autem ista tota est Boni, siue Virtutis, id est, honesti & iusti. Solum enim Bonum congregat, colligit, vnit & obligat; malum autem omne dissipat & dissoluit. [Idcirco prædones & latrones, qui in vnum locum confluunt, ibidemque cohabitant latrocinandi proposito, nullam vnquam possunt constituere Rempublicam, vtut suis quibusdam pactis & conuentis videantur inuicem obligati.]

19 Fundamentum à primo ortum est proportionalis participatio siue communio omnium bonorum, quæ vel ad Necessitatem, vel ad commoditatem vitæ humanæ pertinent. Idcirco Respublica

publica perfecta ibi non eſt, vbi Leonino more partitio inſtituitur,& potentiores & robuſtiores omnia patriæ bona ad ſe rapiunt, aliis autem imbecillioribus Reipublicæ membris vel parum, vel nihil relinquunt. In ſumma, vbi nimis magna eſt membrorum Reipublicæ in participandis communis patriæ bonis inæqualitas, ibi forma Reipubl. laborat.

20 Cum autem nullus in mundo locus ſit, qui cum commodis ſua non habeat miſta incommoda; idcirco non tantum commodorum, ſed & incommodorum participatio ad fundamentum Reipublicæ pertinet. Et illi qui commoda ſola ſectantur, incommoda autem tolerare nolentes, belli, vel aliarum neceſſitatum publicarum tempore aliò migrant, & communem ſocietatem deſerunt, pro veris ac fundamentalibus Reipub. membris haberi nec debent, nec poſſunt. [*Secus verò de iis iudicandum fuerit, qui cum vident patriam ſuam incolarum multitudini ſuſtentandæ nõ ſufficere, aliis cedunt, & alibi vitæ ſuſtentationem quærunt; aut qui vi & tyrannide apertâ coacti patriam relinquunt, vt conſcientiis liberioribus frui poſſint.*]

21 Terminus eſt κοινοπραξία, ſiue communicatio publica in honeſto, vtili & iucundo.

22 Sic de conſtitutione Societatis publicæ: ſequitur diſtinctio; eſt.n. vel ex natura ſola, vel etiam ex inſtituto.

23 Societas quæ ex ſola natura eſt, iterum eſt vel minor, vel maior.

24 Minor eſt Familia, quæ primariò eſt ſeries

cognatorum adſcendentium, deſcendentium & collateralium; ſecundariò verò etiam affinium.

25 Maior eſt integer populus (gens) qui eſt vel primæuus, id eſt, talis qui locum aliquem ab antiquo inhabitat, eiuſdem inter ſe naturæ & linguæ: aſcititius qui vel populo primæuo acceſſit, & ab eo adoptatus eſt, vel populo primæuo expulſo, aut ſponte ſedem mutante, vacuam poſſeſſionem occupauit.

26 Societas publica ex inſtituto etiam eſt vel Continens, vel contenta. Continens eſt vel prima; vel orta.

27 Prima ſocietas eſt in vicis; vel in pagis.

28 Orta ſocietas eſt vel minor, vel maior.

29 Minor eſt tum oppidum, tum vrbs, quæ primitus fuit multorum vicorum & pagorũ collectio in vnum ambitum ſiue circumferentiam.

30 Maior eſt integer diſtrictus, Prouincia, Regio.

31 Contentæ ſocietates vocantur *collegia* in vicis, pagis, oppidis, vrbibus, diſtrictibus; quæ omnia hîc tantum velut prælibantur, ſuo loco plenius diducenda.

32 Hucuſq; de Fine & obiecto Politicæ: reſtant media, per quæ iſte finis obiecto applicandus & acquirendus eſt; Medium autem per quod bonum publicum procuratur, eſt vel primarium vel ſecundarium.

33 Primarium ac principale medium eſt rectè regere, ſiue adminiſtrare Statum publicum: Secundarium medium eſt parêre regenti; hoc enim medium à priori pendet, & facilè eſt rectè parêre, ſed difficillimum eſt rectè regere. Ita vt potiſſimũ

ac principale, quod in Politicis docetur, sit ratio benè gubernandi & regendi status publici: alterũ .n. nempe parere, ab isto priori pendet & per id cognoscitur, atq; adeò paucis p̄ceptis opus habet.

34 Porrò ratione mediorum istorum Politica disciplina in duas partes diuiditur, nempe in *Generalem* & *Specialem*.

35 Generalis, quæ de statu Politico generaliter tractat; Specialis verò, q̄ de statu Polit. tractat in accommodatione ad definita loca, tempora & personas; e.g. de Politia Germanica, Anglica, Danica, Polonica. Sicut.n. ius est duplex, commune, & municipale: ita Politia, à qua ius pendet.

36 Cæterum de Speciali Politia suo loco: nũc Generalem videamus tanquam naturâ priorem & digniorem.

37 Status Politicus, siue administratio status Politici aut Politia est vel prima & principalis, nempe *Monarchia*; vel orta & minus principalis, nempe *Polyarchia*.

38 Monarchia est status siue Politia in qua multi vnum respiciunt, sic vt vnus absolutè regat, reliqui omnes pareant.

39 Monarchia iterum est vel excellentior, vel minus excellens.

40 Excellens Monarchia spectatur vel absolutè ratione finis absoluti, vel ratione finis eminentioris.

41 Monarchia ratione finis absoluti iterum consideratur, vel in se & sua natura, quatenus integra & incorrupta est; vel ratione suorum oppositorum & morborum ac mutationis à quibus vindicanda est.

42 Monarchia integra, atq; adeò administratio

Monarchica, constat duabus partibus; Principe & Subditis.

43 Princeps est, qui solus absolutè imperat.

44 In principe duo consideranda sunt; primò, causæ imperandi; secundò, partes officii eius.

45 Causa imperandi partim est Efficiens siue Fundamentum; partim Finis siue Terminus.

46 Fundamentum principale est tum aptitudo imperandi, tum Potestas.

47 Aptitudo imperandi vel generalis est; vel specialis.

48 Generalis aptitudo est vel naturalis; vel acquisita.

49 Naturalis aptitudo iterum est vel communior; vel restrictior.

50 Communior est, vt sit sexus dignioris siue masculi; sit indigena; sit stirpe nobili; sit ætatis maturæ: quæ causæ communes & ordinariæ extraordinariis & particularib. causis possunt mutari & compensari.

51 Restrictior est vel ratione corporis; vel animi.

52 Ratione corporis est tum Temperamentũ excellentius; tum species corporis augusta.

53 Ratione animi est primò vis singularis ingenii, in apprehendendo & in iudicando; deinde vis memoriæ in retinendo & recordando; atque adeò indoles imperio apta.

54 Aptitudo imperandi acquisita est vel superior; vel inferior.

55 Superior est afflatus diuinus peculiaris in persona principis.

56 In-

56 Inferior, est habitus virtutum certarum.

57 Horum habituum tum causæ spectantur; tum species.

58 Causæ, præter naturam sunt institutio siue informatio, & Exercitatio.

59 Species virtutum, quibus princeps idoneus redditur ad imperandum tot sunt, quot esse in vniuersum possunt. *Is enim qui aliis imperare velit, omni virtutum genere præcellere debet eos quibus imperat*, inquit Aristoteles. Cum ergo omnis virtus sit vel intellectualis, vel moralis, ex vtroque genere eas saltem (cum omnes nō possit) possidere princeps debet, quæ eius personæ & officio maximè sunt accommodatæ, vt sunt Prudentia, & Iustitia.

60 Sic de generali aptitudine imperandi; specialis aptitudo est tum interna, tum externa.

61 Interna est 1, Notitia gentis cui imperat, & iurium consuetudinumque in ista gente. 2, amor gentis reciprocus (qui respectu indiuiduorum certorum quæ singulariter complectitur, dicitur *Gratia*,) vt & amet eam & ametur ab ea. 3, studiū boni publici priuato præferendi. 4, approbatio legum Regni fundamentalium & ad eas seruandas obligatio. Sunt autem leges fundamentales Regni, pacta quædam specialia, secundum quæ Princeps vltrò & solenniter sese subditis suis obligat in primis, & summis illis mediis, quæ ad felicem certi istius principatus administrationem pertinent.

62 Externa est 1, potentia seu nerui & vires, 2, Felicitas & Successus. 3, autoritas.

63 Vidimus aptitudinem imperandi; ſequitur Poteſtas, quæ vel prima eſt; vel orta.

64 Prima vel abſolutè conſiderata; vel quoad externam ſignificationem.

65 Abſolutè conſiderata vel diuina eſt ; vel humana.

66 Diuina eſt, quâ Deus imperium principi Dei ſimilitudinem & legationem ac vicem inter homines gerenti decernit, cuius ſignum & teſtimonium ſunt illa tituli principalis verba : *Dei gratia.*

67 Humana eſt commiſſio Regni ſiue principatus, quæ fit conſenſu ſubditorum vel expreſſo, vel tacito.

68 Eſtq; vel ordinaria, vel extraordinaria.

69 Ordinaria eſt vel per Succeſſionem ; vel per Electionem.

70 Extraordinaria vel frequentior, vel rarior.

71 Frequentior vel mediis pacificis, vel bello.

72 Pacificis mediis vt iure dotis, Teſtamẽto.

73 Iure belli, cum legitimo bello principatus paratur.

74 Rarior, cum caſui vel ſorti committitur principis electio.

75 Hactenus commiſſio principatus abſolutè ſpectata; commiſſio Principatus ſignis confirmata eſt tum iuſiurandum, tum inauguratio.

76 Iuſiurandum eſt quo ſe princeps ſubditis, & ſubditi Principi concepta iuramenti formula obligant.

77 Inaugurationis ſpectandæ tum partes, tũ connexa & inſignia.

78 Partes ſunt Proclamatio, Coronatio, Publica

blica acclamatio: Connexa sunt publicæ epulæ & spectacula inauguralia.

79 Insignia sunt vel res, vt Corona, Diadema, fasces, Sceptrum, Gladius, amictus regalis: Vel picturæ, vt insignia, Sigillum principis in specie sic dictum, item Symbolũ, vel Tituli principis, tũ eminentiæ principalis, tum ditionis cui imperat.

80 Sic de Fundamẽto principatus primo; Ortum à primo est vel primarium; vel secundarium.

81 Primarium est ius maiestatis, quod *ius Despoticum* dicitur, & ex iure siue potestate Patris in filios originem trahit, sicut ius gentium ex iure Naturæ deriuatur, eiusque in se imaginem & exemplar continet: vocantur etiam *Regalia principis* tam vniuersalia, quam particularia.

82 Ius Maiestatis distinguitur in Ius Dispensationis & ius obligationis.

83 Ius Maiestatis dispensatorium est, per quod princeps potest de iis quæ ad statum politicum pertinẽt absolutè disponere. [*Iuris Maiestatis capita alii plura, alii pauciora enumerant; in codice Iustinianeo tria constituuntur, nempe Ius Sacrorum, Ius boni publici, & Ius belli indicendi. Summatim & accuratè loquendo, Ius maiestatis est potestas ordinandi, procurandi, & constituendi media illa omnia quæ ad bonum publicum pertinent tàm pacis quàm belli tempore. Idcircò tàm latè patet ius maiestatis, quam late officium & cura Principis.*]

84 Ius maieſtatis obligatorium eſt, quo ſubditos ſibi ad ſummum honorem & obſequium ac fidelitatem habet obſtrictos.

85 Secundarium eſt authentia ſigilli & manus ſiue Cheirographi principis.

86 Sic de cauſis efficientibus, ſiue fundamẽtis Principatus; reſtat terminus ſiue finis, qui idẽ eſt cum vniuerſa prudentia Politica, nempè Salus publica, conſiſtens in honeſtate, commoditate, honorificentia, ſiue decore publico.

87 Salus autem publica multorum ſalus eſt; cum ergo Princeps vna tantum perſona ſit, ideò non tam principis ipſius, quam ſubditorum ſalus ſiue felicitas eſt finis principatus. [*Ipſe Deus mũdum gubernat non propter ſuam perfectionem, vtpote qui perfectiſſimus & ſibi ſufficientiſſimus fuit, antequam mundus eſſet, ſed propter perfectionem creaturarum, & inter has præcipuè hominis. In principe ergo virtus, atq; adeò omnis generis bona præſupponuntur tanquam cauſæ efficientes, per quas honeſtas & alia bona honeſtatem comitantia ſubditis, tanquam fini cui, vt Logici loquuntur, ſunt cõmunicanda. Patrisfam. finis eſt non tam ſua, quam familiæ ſalus ac felicitas. Et gubernator non ſibi, ſed vectoribus propriè nauem regit, quatenus nempè gubernator eſt; nam aliàs quatenus idem ille qui gubernat eâdem ſimul cum vectoribus naue vehitur, atq; adeò ipſe etiam vector eſt; eatenus enim ſibi quoq; nauem gubernat.*] Huc vſque de cauſis Principatus.

PROBLE-

PROBLEMATA POLITICA.

1 *Cur Politica disciplina sit omnium tum augustissima, tum vtilissima?*

IPso aditu thesium profitebamur, inter Philosophicas disciplinas omnes laudem hanc Politicæ deberi, quòd omnium sit augustissima, & humano generi in commune vtilissima. Id quod ex Platonis, Aristotelis, Plutarchi, & aliorum præstantium virorum ore sumebamus. Plato sanè πασῶν ἐπιστατικὴν, *omnium disciplinarum constitutricem,* appellat. Aristot. 1. Eth. c. 2. vocat κυριωτάτην, καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν, *reliquarum artium & disciplinarum dominam & antistitem ac veluti imperatricem.* Plutarchus in Catone Maiore: τῆς πολιτικῆς ἄνθρωπος οὐ κτᾶται τελειοτέραν; *virtute Politica, præstantiorem nullam homo assequitur.* Nimirum Politica ad totius humani generis vsum alias omnes disciplinas applicat, & cœtus hominũ constituit, gubernat ac tuetur; in quibus disciplinæ liberales doceri & exerceri possunt, & ad posteritatẽ propagari. Et quamuis quælibet disciplina suo fine circumsepta & contenta sit; Politica tamen quendam iis velut gradum perfectionis addit, vt meritò Cic. dixerit lib. 10. Epist. Fam. ad Planc. Nihil est ex omnibus rebus humanis præclarius, quàm de Rep. benè mereri: Contrà verò nihil est ex omnibus rebus humanis fœdius, deterius & pestilentius, quàm de Repub. malè mereri. Errata enim in reliquis artibus & disciplinis minus nocent; quia nẽpè paucis nocent, & illi potissimum qui errat; sed qui in Politicis committuntur errores & præuaricationes, in magnam partem humani generis exundant, & totas vniuersitates pessundant. Vt meritò dixerit Lamb. Danæus in prooemio Polit. *Nullibi grauius ab hominibus peccari, & periculosius errari, quàm in Politicis.*

2 *Quæ fuerint causæ primæ congregationis hominum?*

Non moramur hic fictitias Poëtarum & aliorum narrationes, qui vel miraculorum prodigio, vel Musicæ suauitate, vel eloquentiæ cuiusdam prolectamento, vel etiam temerario confluxu societates extitisse, commēti sunt. Aliorum autem sententias, qui vel cœli ac frigoris iniurias, vel artis coquinarię admirationem, vel metum iniuriarum, vel alias etiam vitæ commoditates homines primitus in vnum coegisse sentiunt, ad externa proëgumena referimus. Penitiorem. a. ac magis arduam causam naturæ hominis, eiusque instinctui irrefragabili, atque adeò ipsi Deo tribuimus. Qui naturæ stimulus (brutis etiam ex generali naturæ impetu cōmunis, imò à primis etiam naturæ corporibus originem trahens, quæ non tàm ad sui conseruationem, quàm totius vniuersi coniunctionem pernicissimo impetu feruntur) in homine perfectiori gradu, quoad ordinem rationis pręditus, non vtilitatem & commoditatem vitæ solam respexit (quin potius eos, quib. propria solummodo pręfixa est vtilitas, societates odisse videmus:) sed illud quod optimum, atque adeò quod summum perfectionis gradum, communitatem scilicet maximè affectat, honestū puta. Qui stimulus, etsi post lapsum languidior factus, atque adeò externo prolectamento, commoditate scilicet, excitatus fuerit: maximam tamen vim ac principale studium propagandæ societatis, hominum mentibus indidit. Arist. 3. Pol. 4. Natura, inquit, homo est animal politicum, propterea etiam illi, qui non videntur aliorum operâ egere, tamen appetunt conuersationē cū aliis. Falsum est igitur, homines initio instar pecudum in campis, & syluis longo tempore obuagatos esse, & nō à primis statim initiis hanc naturę legem viguisse, si pleramq; humani generis partem consideres. Licèt in quibusdam infra communem hominum corruptionem positis, naturam vicerit præternaturale vitium, vt cum societatis studio ipsam quasi primam naturā exuerint. Nec propterea desinit esse naturæ lex ea, quæ ab hominibus quibusdam contra naturam constitutis violari nonnunquam soleat.

3 *An in statu innocentiæ Politiæ viguissent?*

Si vitæ solam commoditatem Politiarum scopū po-

namus,

namus, inutilis videretur quæstio, vtrum tum cum singuli homines tantum cõmoditatis obtinere potuerint, quantum iam vix plurimorum conuentus conferre possit, societate mutuoq; auxilio homines indiguerint. Sed si id, quod naturæ hominis absolutè Deus instillauit, attendas, tantum abest vt à societate abhorruerit, vt optimi istius status deprauatio maxima corruptionis humanæ pars fuerit. Fuit enim ea corruptio non priuata singulorum hominum tantum, sed eius etiam, qui totũ humanum genus simul complectebatur, vniuersi ordinis. Et sanè quicquid nunc per se bonum dicimus, id in summo perfectionis gradu viguisse certum est, tanquã suo principio proximum. Quicquid etiam nunc aliquã Dei similitudinem obtinet, vt est Maiestas Principis; primis initiis absolutissimè eius imaginem repræsentauit. Neq; enim post demum aliquid boni extitisse, quod antea non fuerit, credendum est. Et improbabilis est illorum opinio, qui pœnæ loco Respub. humano generi indictas esse statuunt. Quasi inquit Danæus, tot sint maledictionis Dei testimonia, quot inter homines regna Resvepub. constitutæ nunc apparent, vigentq;: Imò cõtra quo magis excoli quotidiè Resp. videmus, eò magis diuinæ iræ deferuescentiam sentire possumus: qui humanam sortem magis quotidiè à fæcibus istis lapsus & corruptionis turpissimis depurare & defæcare studet, atque ad innocentiæ statum reducere, vt plenariam illam omnium creaturarum depurationem iam iam imminẽtẽ præsagiat: quod probabiliter asserimus. Et sanè quorsum familiæ ordinem, constituto capite marito & sanctissimo coniugii vinculo imposito, sanxisset Deus hominibus in statu innocentiæ degentibus, nisi vt Reip. alicuius, cuius primordia familiæ essent futuræ, fundamenta iaceret. Nec obstat, quod media distincta fuerint ab his quib. nunc opus est, dummodò fine non discreparint. Tum.n. æqualis omniũ ad virtutẽ promptitudo ac spontanea ad bonum quoduis inclinatio durã hanc dominãdi potestatem Regib. excussisset; & non fuisset tàm subditorum ad honestatem coacta directio, quàm diuinus quidam inter superiorem & inferiores honestè sua sponte viuentium ordo: Et quidem ordo Monarchicus,

lib. 1. Pol. Christ. c. 4.

vtpote imaginem Dei omnium euidentissimè exprimens; isque vnicus tantum; multitudo enim Politiarum imperfectionis nota est. Nec etiam dissoluisset ordinem omnium communis ista donorum animi corporisque perfectio: Cum neque dissoluat ordinatissimum cælestium spirituum regimen; nec dissoluturum sit electorũ hominum simili graduum varietate disponendum in cælis ordinem. Et Adamo certè concesserat Deus ratione quadam primogenituræ & ætatis extraordinariam præ reliquis obseruantiæ præeminentiam: quæ huius Regis autoritas ideò abundè sufficiebat huic tam expedito faciliq; imperio, quod domestico siue Oeconomico imperio & regimini boni patrisfamilias fuisset longè similius, quàm Regna post lapsum esse potuerunt: Sic vt illa sententia, quam Aristoteles 1. Pol. cap. 1. repudiat, respectu illius, qui ante lapsum fuit status, non inconcinnè dicta videri possit: Qui putant, inquit, Gubernatoris ciuitatis & regis, patrisq; familias eandem esse rationẽ, non benè dicunt: multitudine enim & paucitate, sed nõ specie illorum singulos putant differre; veluti si paucorum quidem, dominum; si verò pluriũ, patremfamilias; sin adhuc plurium, gubernatorem ciuitatis, siue regem, dicunt: quasi nihil differat magna dom⁹ & parua ciuitas.

4 *An finis principalis Politiæ sit pax & tranquillitas interna?*

Tolosanus lib. 5. de Rep. c. 5. Finis Rerump. inquit, propter quem introductæ videntur, idem videtur ac finis, propter quem homo factus est. Siquidem ad benè beateq; viuendum coierunt homines. Hominis verò cuiusque finis alius non videtur, quam felicitas. Ratio est, siquidem felicitas hominis optimum quid est, idcirco & vnica sit necesse est; quæ in societate ciuili solo illo accidente variatur, quod sit communis, nec tàm variatur, quàm quodam gradu augetur. Non secus ac vnum eundemque finem respicit totus exercitus, qui vni militi præfixus est, nimirum victoriam. Ea enim natura est totius impropriè dicti, quod *aggregatiuum* vocant, vt idem numero finis parti propositus sit, qui totius est. Qua ergo ratione Reipub. finis respondet fini vnius hominis;

minis;eadem ratione effectus finem Reipub. immediatè insequens,qui tranquillitas interna ciuitatis dicitur, correspondet effectui vnius hominis finem comitanti, quem tranquillitatem humanæ conscientiæ vocant. Vt ergo tranquillitas animi siue voluptas conscientiæ ad hominem se habet:ita trãquillitas interna ciuiũ Remp. respicit:scilicet vt effectus immediatus, atq; adeò signũ certissimum felicitatis publicæ;quo sublato, manifesta est Reip.iactura,posito autem floret Reip. felicitas, honesta vita scilicet.Vbi enim honestè viuitur, ibidẽ quoque tranquillè & pacatè viuitur, nempè quoad pacem internam,oppositam internis dissidiis & bellis. Nec tamen propterea potior honestate finis est: non.n.omnis effectus suæ caussæ finis est: nec pax illa honestatis finis esse potest, cum sit longè inferior honestate, quæ propter seipsam expetitur,& appetitum terminat.Finis autem omni medio præstantior est.

5 *An regere prius sit,quam regi; atq; adeò, an princeps sit propter subditos, an verò subditi propter Principem?*

Non quærimus,inquit Danæus lib.1.Pol.Christ.c.4. quatenus relata sunt, quæ simul tempore oportet esse, vter ex his altero tempore prior sit, vel posterior; sed quatenus vt absoluta subiecta considerantur; sic enim non vt pater filium, sic Princeps subditum tempore antecedit:Pater.n.generat filium: Reges autem à subditis, non autem subditi a regibus creantur.Sed si tamen vtriusq; relati,vt relati naturam inspicias,id est,non amplius de temporis, sed naturæ ac dignitatis prioritate dispu-tes;cum regere actionem significet, regi verò passionẽ; actio verò passionẽ naturæ dignitate antecedat; ecquis non concedat, eum qui regit, quatenus regit, natura priorem esse illis qui parent, quatenus parent? Relata ergo sunt Rex & subditus:sed relata inæqualia, quæ *disquiparentia* vocant Scholastici, in quibus Relatum dignius & superius Correlato;vt Creator & Creatura,Pater & Filius.In talibus Relatis Correlatum pendet à Relato magis quam Relatum à Correlato,e.gr.magis pendet à Patre filius quam Pater a filio. Sic magis pendent

Subditi à Principe, quã Princeps à subditis. Pendent, inquam, ratione eminentiæ & dignitatis, cuius respectu subditi sunt propter Principem, & non Princeps propter subditum. Sin verò non eminentia spectetur, sed necessitas communis conditionis humanæ; vtiq; Princeps est propter subditos, vtpote quorum felicitatem & bonum tenetur procurare, & quorum saluti se suamque vitam debet consecrare, vt præclarissimè Cic. monet, 1. Offic.
» Omnino qui Reip. præsunt, duo Plat. præcepta teneant.
» Vnum vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quicquid a-
» gant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Al-
» terum vt totum Corpus Reip. curent, ne cum partem a-
» liquam tuentur, reliquas deserant. Vt.n. tutela, sic pro-
» curatio Reipub. ad vtilitatem eorum qui commissi sunt,
» non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.

6 *An Monarchia sit perfectissimus Reip. status?*

Monarchiam esse perfectissimam regiminis Politici speciem, reliquas autem non nisi analogicè, & quatenus similitudine quadam ad hanc referuntur, esse bonas: id in Thesibus potius præsupponi debuit, quam quod hic peculiari probatione egeat. Ioh. Mariana Hispanus lib. 1. de Rege & Reg. institut. rem summatim complexus est;
» cum inquit: Respublica per eum modum Deo similior
» euadit, qui maximè vnus est. Dei autem similitudine,
» quoad natura recipit; tum singuli tum vniuersi felices
» efficiuntur. Ad hoc, bonum & vnum ita inter se apta &
» connexa sunt, vt boni ratio vnius rationem consequatur. Constat autem Rempublicam vnius imperio cõstrictam, magis quam plurium vniri inter se, & cum suis partibus, atque adeò meliorem & perfectiorem fore, quam si plura habeat capita, fateamur necesse est. Nam quicquid Respublica simplicitatis, quicquid in gubernando facilitatis, quicquid denique diuturnitatis & firmitudinis habet, id totum vnitatis ratione & beneficio obtinet. Quæ quò est naturæ propior, eò illa omnia expeditius in Remp. emanant. Sed hoc loco diligenter distinguendum fuerit inter id quod absolutè & ex ipsa rerum naturâ præstantius est, & inter id quod propter certas quasdam temporum, locorum & personarum conditiones

ditiones magis optabile est. Illud Arist. 3. Topic. τὸ βέλτιον vocat; istud τὸ αἱρετόν. e. g. vinum ex rei natura præstantius est quam aqua, interim tamen febricitanti eligenda est aqua præ vino. Sic Monarchia si naturam regiminis absolutè consideres, præstantissimum est regimen: Sin verò spectes particulares circumstantias, sæpè magis optanda Aristocratia vel alia forma. Iohannes Mariana Hispanus in libro de Principis institutione; Quod inquit, in aliis rerum generibus contingit, vt quæ præstantiora sunt & elegantiora, non omnibus conueniant, vestes, calcei, domicilium: idem in Reipubl. forma contingere arbitror, vt quæ præstantissima sit, eam non omnium populorum mores & instituta recipiant. Vnde apparet, non ex parte regentium id euenire, vt minus expediat interdum status Monarchicus (ex illorum enim parte plura semper incommoda in Polyarchiam, quam Monarchiam promanare solent:) sed ex parte subditorum qui libertate maiori gaudentes, vel non vnum vel nullum Magistratum ferre queunt. Hi propter hanc circumstantiam aliam aliquam Rempubl. eligant potius, quam vt nullam habeant. Sæpe & loci qualitas eiusmodi est, vt huic regio splendori sustinendo haud par esse possit, sed humili qualicunque regimini magis apta sit: Sicut nonnullas res vmbris potius quam diurna ac solari luce sustentari videmus. Quod sensisse Bodinus videtur; cum inquit 6. Polit. cap. 4. Est intoleranda subditis vnius tyranni summa egestas. Et quemadmodum sub Rege maximo ac potentissimo cui satis superque est, vnde cupiditates explere possit, sub optimatum item angusto imperio beatè viuere licet, modo ne imperium alienum affectare velint; ita miserum est angusta vnius tyrannide concludi, nisi Princeps optimè à natura, melius etiam ab optimis imperandi artib. ac disciplinis instructus erit. Et addit exemplum Heluetiorum. Videmus, inquit, angustas Heluetiorum ac Rhetorum ciuitates, quę imperii propagandi curam nullā habent, præclare Imperium tueri. Cæterum ex his quæ diximus, etiam apparet, quæ sit vera & genuina methodus disciplinæ Politicæ; in qua hucusque valdè errarunt ii, qui Politica præcepta conscripserunt. Cum enim

Regimen Politicum non ſit genus perfectum ſiue Synonymum, ſed genus πρὸς ἕν, ſiue imperfectum, ideò tota eius natura continetur in ſpecie perfecta, nempè Monarchia, ita vt vniuerſum magiſtratus & ſubditi officium non in genere extra & ante ſtatum Monarchicum oporteat explicare, quod hactenus à Politicis magnâ diſciplinæ confuſione factum eſt, ſed in ipſo ſolo ſtatu Monarchico, ſicut manifeſtis rationib. in Syſtem. Polit. latius eſt demonſtratum.

7 *An mulier ſit capax imperii?*

Eſt ſanè nonnunquam, ſi primaria Principatus fundamenta ſpectes, virtutem ſcilicet. Multas enim reperias maſculis virtutibus inſtructas, atq; adeò quæ virilib. curis fœminarum vitia exuerint, vt Tacitus ait: *Quasq; adeò natura ſolertes, induſtria literatas, educatio pias, experientia ſapientes fecerit.* Etenim Seneca: " Nulli inquit præ-" cluſa eſt virtus, ſed omnes admittit, eaq; nec cēſum, nec " ſexum eligit: Siquidem anima ex qua virtutes emanant ſexu caret, cum ſexus generationi inſeruiat: hîc autem non agatur de eâ facultate, ſed de alia quæ aliunde quā ex ea parte pendeat, vt Toloſan. egregiè diſſerit libro 7. De Rep. cap. 11. Quæ tela non imbellia pro imbelli ſexu, vt Lipſius ait, euertunt interdum minus principalia ſexus obſtacula. Sed interdum tantum & extraordinariè, velut quæ extraordinariis tantum mulieribus competant. Ordinariè enim quicquid maſculum, naturâ magis factum ad imperandum fœmineo. Ariſtot. 1. Polit. 8. Siquidem annata mulieribus ordinario modo diſpoſitis ob frigiditatem vitia, per quæ *Nulla diu fœmina pondus habet*: vt Propertius ait. Et conſilium illarum plerūque deterius, vt Tacitus. Et ob quæ non imbellis tantū & impar laboribus hic ſexus, ſed ſi licentia adſit, ſæuus, malitioſus; ac quod periculoſiſſimum in hoc ſexu, pudicitiæ lubricitas, ob quam in lubrico ſemper Reip. fama & honor. Hæc inquam faciunt plerunque, vt fœminis ſufficiat obſequii gloria, vt Plin. in Paneg. Vbi ergo libera remanſit electio, ſi æqua ſit in vtroque ſexu virtutis fama? marem, tamē, ſexu nihilominus ſuperiorem præferas, ne id de nobis temerè, ꝙ de barbara quadā gente,

à Tacito

à Tacito audiatur: Fœmina dominatur, in tantum non "
modo à libertate, sed etiam à seruitute degenerant. "
Quid si autẽ fœmina omnem virum animi excellentia
superet, imperet ea, cuius virtus imperat? Quis enim
non mallet fœminam virili animo, quam virum effœ-
minatis moribus præditum? Veluti Iustinus de Scythis
asserit, eos non virorum imperio magis quam fœmina-
rum virtutibus claruisse. Quod tamen Monarchia so-
li sibi proprium retineat. In Polyarchicis enim statibus
non vnus homo præcellere omnibus potest: sed omnes
oportet esse tales, quibus alii æquales & similes esse pos-
sint, id est, vulgaris conditionis homines; quales qui-
dem fœminæ regimini ineptæ sint. Annotatum in An-
nalibus pro monstro, inquit Tolosanus lib.7. de Rep.
cap.11. quod sub solo primum Heliogabalo mulier in
Senatum admissa est, nempe eius mater Samiamurica,
quam & sententiam in Senatu admissam, rogari ius-
sit, permisitque eam habere senatulum mulierum: vnde
& prodierunt Senatusconsulta ridicula de legibus, quæ
& quo vestitu incederent, quæ & ad cuius oscula veni-
ret, & de similibus eiusmodi farinæ. Quod postea He-
liogabalo cum matre necato penitus profligatum fuisse
testatur Lampridius in Heliogabalo. Sed hæc facilè in
Electione quidem enodatur quæstio: difficilius in suc-
cessione, vbi distinguendum, quid absolutæ successionis
naturæ congruat, quid autem Reip. saluti expediat, at-
que adeo successioni limitatæ. Cum enim in iure suc-
cessionis absoluto nullius aut dignitatis, aut alterius
personæ qualitatis attendatur ratio, sed sola defuncti
Principis consanguinitas, quæ sanè cum naturalis sit,
non magis viri quàm fœminæ naturam attingens, nulla
ratione fœminam excludi permittit. Si enim mulierem
naturæ vitia à successione excluderent, omnes vitio-
si successores excluderentur. Quod successionis natu-
ræ è diametro aduersatur. Consultius tamen esse Rei-
publicæ cum Bodino statuimus, si restricta non nihil
Successionis natura, vt maximè non alterius qualitatis,
saltem sexus delectum habeamus. Atque adeò, cum
in successione nihil extraordinarii committi possit, si
firma huius legis de repudianda muliere authoritas ma-

nere debet, extraordinariæ etiam arcendæ fuerint. Si enim vna succedet, omnes eodem iure postea gaudere volent, etiam fœminæ ordinario modo virili sexui per naturam subiectæ: quarum funesta imperia extraordinariarum heroinarum, si quæ forent laudes & exspectationem, ac omnia perpetuæ successionis commoda simul oppriment. Sicuti prudenter Bodinus Gynæcocratiæ incommoda recenset lib. 6. de Rep. cap. 5. Primũ, „ inquit, hoc erit incommodum, siue marito nupserit, „ siue cælebs maneat. Si enim nupserit, ea lege nubet, vt „ maritum habeat sub sua potestate, atque adeò contra „ naturam marito imperet. (cuius rei horribile exemplũ „ recenset Buch. lib. 18. hist. Scot.) Sin autem nuptias re„ gina recusarit, quæ verissima Gynęcocratia dicitur, „ Rempub. in summo discrimine versari necesse est: quo„ niam magno & forti animo subditi muliebre imperiũ & „ contumeliosum, nec diu tolerandũ sibi putabunt. Nihil „ autẽ virtuti perniciosius, quàm eos, qui Maiestati præ„ sunt, à subditis contemni. Hactenus Bodinus. Aut ergo in successione omnis fœmina ad imperium admittenda est, quod & naturæ repugnans & Reipub. exitiosum est; aut nulla, ne quidem extraordinaria: aut saltem tali casu, si nullum aliud regiæ stirpis etiam longissimũ membrum restet; in eiusmodi regnis, vbi aut cũ muliere simul tota Resp. profliganda, aut hoc remedio medenda est: Cum præstet habere Rempub. sub fœmineo imperio gubernatam, quam nullam. Vt moris est in Anglia, Scotia, Hispania, & aliis Rebuspub. iu quibus non expressa lege id prohibitũ est, vt in Galliis. Quo casu incommoda Gynæcocratiæ aliqua saltem ratione releuari poterunt. 1, Si peculiari populi consensu id statuatur legibus regni fundamentalibus. 2, Si regina cęlebs maneat. Id enim ex vsu Reip. foret magis, quam si nubat. Si enim nupserit, peregrino potius, quàm subdito suo nubet, eique vel contra naturam imperabit, & simul peregrinis hominibus in regnum accersitis Reip. nocitura est, vel si ei se subiiciat, simul populo alienum & peregrinum iugum imponet, quod quam periculosum, sequenti problemate patebit.

8 *An sceptra peregrino sint committenda?*

Cum regere & parêre in earum rerum genere sint, relatorum scilicet, quæ summa ac conuenientissima similitudine ad inuicem prædita esse oportet, si coniungi, atque alterum ad alterius essentiam referri debeant. Idcircò inter eum principem eosque subditos arctissima erit relatio, atque adeo regimen peroptimum, qui & amore innataque naturali ad inuicem obligatione, & moribus, omnique animi ac corporis constitutione conueniunt. Sed & optime leges populo sanciet, & sancitas conseruabit is, cuius natura cum legum inibi seruandarum ratione & circumstantiis consentiet. Cum Princeps alienigena iuxta id quod honestum apud suos videbitur mores ciuium nouorum velit aptare, non emendabit, sed perdet Remp. inquit Tolosan. lib. 7. c. 4. Cic. 2. de Orat. *Caput Reipub. est*, inquit, *perspectos habere ciuium mores, quod peregrino est denegatum*. Hinc leges Spartanorum de arcendo omni peregrino homine: Venetorum de exclusione peregrini à Magistratu: Itemq; Germanorum, de non ad exteros transferendo Imperio. Imò lex ipsa DEI Israelitis lata, Deuter. 18. Quinetiam summo gentis præiudicio cedit tàm nouercam habere patriam, quæ dignum gubernaculis propriis nequeat producere. Sed nec poterit, inquit Bodinus, peregrinus Princeps à periculis tutus esse, nisi validissimo præsidio seipsum inprimis, deinde arces munierit. Illa autem externa præsidia infensissima semper subditis, vt quæ ad tyrannidem viam parent: quod Buchananus lib. 18. hist. Scot. de Maria Regina diligenter notauit. At verò ob particulares & speciales Rerump. tum conditiones, tũ necessitates sæpè vtilius fuerit peregrinũ habere principem, quam indigenam. Gens enim libertatis æquabilitate gaudens, cui suffragia sunt libera, aut qui extincta penitus stirpe regia, reliquorum omnium æqualitatem seruare exoptant, inuidas familiarum æmulationes execrantes, extero cuidam rerum summas committere malunt, quàm vnum ex sese reliquis superiorẽ agnoscere: Cuius quidem consuetudinis hoc prudentissimum est Politicorum consilium: vt sanguinis nihilominus etiam apud exteros habeatur ratio.

9 *An inuiti prouehendi sint ad fastigium Imperii?*

Primum boni regiminis fundamentum est amor patriæ; cuius salutem suâ ipsius vita nedum cõmodis aliis longe priorem habere oportet Principem. Recte ergò Comicus: *Inuitos canes venatum ducere, id verò nihil est.* Quod enim inuitum, atque adeò violentum est, id diuturnum nulla ratione esse potest. Quod si ergò certum, eum odisse patriam, qui imperium oblatum detrectat; nulla ratione assumendus erit, imò grauissima pœna mulctandus, tanquam qui omnem virtutis stimulum excusserit: Vt fecisse legimus Rempubl. Atheniensem, quæ capite, Romanam, quæ libertate, Spartanam, quæ exilio eos mulctarunt, qui Magistratus repudiarunt. Aliter tamen de excellentissimis quibusdam viris, qui principatum recusare soliti sunt, iudicandum esse existimem. In illis nempè exactissimam istius officii periculosissimi considerationem irretiuisse nonnihil amorem patriæ, & quasi attonitum tenuisse: qui postquam erupit, plena ista rerum gerendarum noticia incredibiliter adiutus, eò præclariorem virtutem in adminstrando officio exercuit, quò euidentius quanta virtute opus esset, sibi imaginatus fuerat. Ostenderunt hoc Numa Pompilius, Hadrianus, & alii, quos Romani inuitos ad imperium pertraxerunt, qui sanè multò ardentius patriam amasse comperti sunt, quàm qui se vltrò eius gubernaculis ingesserant. Quam tamen rationem eatenus sequendam esse censeo, si nimirum virorum excellentium inopia, vel extrema Reipublicæ necessitas delectum inter nolẽtes & volentes nolit admittere: Vbi præstat inuitum quã indignum assumere. Ne si boni ac prudentes oblatos sibi honores non admittant, eosdem praui & stolidi consequantur, vt Plato inquit Epistola 9. Et esse quidem renuentem pertrahendum tanquam ad id à iustitia, quæ partem totius vtilitati adstringit, compulsum (quâ nempe naturam particularem, e. g. in fuga vacui ad totius vniuersi conseruationem etiam contra naturam rapi, & membrum, si aliter saluari corpus nequeat, interdum comburi vel excidi videmus.)

demus.) Non tamen penitus recalcitrantem summâ vi rapiendum esse; non quin id iustè possit fieri, sed quod Reipublicæ minus expediat, vt ab homine tali regatur. Ei etiam qui æquâ excusatione regnum vitare velit, tali nempe, quæ vsum etiam Reipub. concernat, vt ætate, imbecillitate corporis, tempore scilicet libero, parcendum esse, lege cauetur, *ff. lib. 50. tit. 5.*

10 *Simplicitasne, an calliditas tolerabilior in Principe?*

Calliditatem ac fallaciam in nullo homine homo bonus probauerit, neque est ad fallendum homo natus, vt cum offendiculo disputat Cardan. lib. 11. de Subtilit. p. 262. Homo, inquit, propter quatuor factus est; 1, vt diuina opera cognosceret; 2, vt illis mortalia melius connecteret; 3, vt mortalibus imperaret; 4, vt quicquid mẽte excogitari posset, id omne opifex maior ipsa cogitatione præstaret, essetque animal fallax. Nam belluæ fallaces esse non poterant ob stultitiam, superi verò ob probitatem. In qua quidem subtilitate nihil est subtilitatis. Superi fallere non possunt, & bestiæ fallere non possunt; Ergo hominem oportet fallere. Malum enim & peccatum ac vitium esse non oportet: sed oportebat potius penitus non esse. Nec si homo non falleret, statim nemo falleret, cum ab initio statim fefellerit ille Archisophista ac pater mendacii Sathanas. Corrigit ergo se & reuocat merito Cardanus, dum addit: Non enim hic finis, finis enim bonum: Hoc autem vitare conuenit velut & mortem. Sed ad Politica propius. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 4. Paradoxum quoddam ex maiorum suorum prouerbio petitum proponit: *Ex homine callido & malitioso bonum Regem fieri.* Quod sic explicandum est: Cum malum minus ratione eius quod deterius est, boni quodammodo appellationem sortiatur, idcircò ex homine callido Regem minus malũ fieri, quam ex homine simplici. Nimirum non absolutè, sed si nimiæ simplicitatis effecta respicias, eaque cum calliditatis effectibus compares. Quod Bodinus de vna calliditatis filia, seueritate nimirum testatur. Multò commodior est, inquit, in omni Republica seueritas, quam simplex illa stupori similis lenitas quædam, flagitiorum

ac scelerum alumna. Certum enim est ab iis Principum excessibus, qui primo vultu acerbiores apparent, vt calliditas, seueritas, auaritia, &c. etiamsi sint execranda; tamen si contrariis vitiis compares, minus quodammodò metuenda esse. Cum illa tyrannidem quidem præ se ferant, hæc autem Anarchiam, quæ omni tyrannide miserior est. Et illa curari quidem facilius possunt, hæc neutiquam. Quippe in homine callido natura inest ad prudentiam apta, quam sola exercitatio in vitium vertit: in stolido & exercitatio mala & simul natura inepta mansit: facilius autem consuetudo mutatur quam natura; & citius nimio aliquid demi potest, quam illi „ qui nihil habet, aliquid addi. Sic Domitiani crudelita„ tem, inquit Bodinus S.P. Q. R. nec ferre potuit, & mor„ tuo eo leges omnes ac edicta rescidit: At cum Nerua, „ qui eius imperium exceperat, à seueritate procul ab„ horreret, omnia in miserrimum statum delabi, iura pro„ stitui, iudicia peruerti, tenues potentiorum iniuriis opprimi. Tunc certè Fronto consul illam quam in Domitiano prius damnauerat crudelitatem ac tyrannidem votis ardentibus optauit. Vnde patet, optabilius esse post Principem mollem & simplicem sequi acerbiorem, quam Regem seuerum excipi a Principe animo dissoluto & simplici. Quippe ille collapsum imperium erigere poterit, hic verò erectum destruet. Iam verò illud Ludouici Galliarum Regis Symbolum: *Qui nescit dissimulare, nescit imperare*, improbari non potest, si rectè intelligatur, & *dissimulationis* vocabulum sumatur non pro callido mendacio verbis aut gestibus factisque ipsis admisso, nec pro periurio & fidei datæ violatione; quomodo illud sui antecessoris symbolum Carolus Nonus interpretatus est, & feralis Lanienæ praxi expressit: sed pro specie prudentiæ ac circumspectionis, quâ nempè animi sui sensa & consilia princeps cautè tegit illis quibus tegenda esse salus Reipub. suadet, & quibus ea vel verbis, vel gestibus innuere aut patefacere nullo iure obligatur. At vero quale illud Machiauelli dogma est „ in Principe sub finem cap. 18? *Vitam Princeps tueatur, cu„ retque imperium conseruare: quibus autem id fiat rationibus, „ ea modo honesti speciem præ se ferant, nũquam non honore digna lau-*

gna laudibusque existimabuntur. Cæterum de Machiauello, quia in eius mentionem incidimus, & quia celeberrima hominis inter Politicos fama est, inserendum hoc loco aliquid fuerit, ne posthac in Politicis, quoties eum citabimus, vel veram laudem igneo eius ingenio detraxisse, vel etiam falsam affinxisse videamur. Nouimus quid de eo sentiat vir Clariss. Albericus Gentilis lib. 3. de Legatis, cap. 11. Qui inquit, in Machiauellum scripsit, illum nec intellexit, nec non in multis calumniatus est. Machiauellus Democratiæ laudator & assertor natus, educatus, honoratus in eo Reipub. statu, tyrannis summè inimicus. Sui propositi non est tyrannum instituere, sed arcanis eius palam factis ipsum miseris populis nudũ & conspicuum exhibere. At verò contra de eo iudicant viri non minus magni. Vnũ præ multis nominabo Iohannem Leunclauium illum in omni historia, atque adeò politicis etiã magni iudicii & industriæ virũ. is in præfatione super Bellisarii Neretinorum Ducis de Principũ educatione verè aureolos libellos, ita de Machiauello scribit ad Iulium Comitem Salmensem: Ausus est, inquit, patrum memoria, tum de Principe, tũ de omni administrationis ratione, quâ pace, quâ bello, cõmẽtarios scribere Nicolaus quidam Machiauellus Florentinæ Reip. tabellarius, acuti quidem ingenii vir, sed detestabilis & pestilentissimus improbitatis magister. Quippe dũ se prudẽtis & egregii Principis quasi formã expressurum ostendit, & tam luculento promisso lectorum animos allicit, verissimis & impietatis & tyrannici dominatus astu, quo iure, quâ iniuriâ constituendi, præceptis imprudentes animos imbuit. Hinc illa fœda nefariaque axiomata, quæ passim in eius scriptis reperiuntur: Ante omnia dandam operam Principi, vt religiosus esse videatur, tametsi reipsa talis non sit: Fidem, Clementiam, Liberalitatem, virtutes admodum damnosas Principi: cui tamen expediat, si eas tantummodo præ se ferat: Malis moribus implendam gentem, vel ciuitatẽ, de qua vindictã sumere princeps nullo negotio cupiat: Alẽdas factiones inter subditos, & amãtes boni publici de medio tollẽdos, conseruandi dominatus causa; Debere Principẽ imitãdũ sibi proponere Cæs. Borgiã, Alex.

" Sexti, ſpurciſſimi Pontificis, nequiſſimum filium: Floc-
" cifaciendum principi, ſi crudelis habeatur, modo hâc
" via ſubditos dicto audientes efficiat: principem qui pa-
" cis tempore factiones inter ſuos alat, eis ex animi ſui
" libidine facilius imperaturum: Præſtare Principi, ſi me-
" tuatur quam ſi ametur: Crudelitatem, quæ bonum ad
" finem tendat, nullam reprehenſionem mereri: A periu-
" riis, fraudibus, ſimulationibus minimè principi abſti-
" nendum; cum impoſtori ſe ſemper offerant qui circum-
" ueniri poſſint. Hi ſunt egregii ſtygiæ iſtius viperę partûs
" non omnes quidem illi, ſed è multis eximii: quæ tamen
" ea fœtus ſuos arte tum veſtire tum exornare potuit: vt
" regum in aulis hodieq; tantum non in ſinu foueantur,
" & ex ipſorum pręſcripto pleraque non ſine graui bono-
" rum luctu, & præſentiſſimo Reipub. Chriſtianæ exitio
" gerantur. Neque diu eſt cum tandem aliquãdo præſtan-
" tis ingenii, magnæque doctrinæ vir abſurdiſſima portē-
" ta ſub ſpecioſis latentia laruis, nõ ſolum perite detexit,
" verùm etiam ſolidis & grauibus argumentis refutauit.
" Cuius ego rationes vti vehementer probo, confirma-
" tas exemplis optimis ex omni antiquitatis memoria re-
" petens: ita ne vilis ſcribæ virus, latè cæteroqui diffu-
" ſum, longius adhuc ſerpat, rectè me facturum exiſtima-
" ui, ſi noſtrorũ hominum animos, eorum præſertim qui
" ad gerendam Rempublicam educantur, profecto à ſa-
" pientiſſimis duobus principibus antidoto munirem.
Hucuſque Leunclauius. Nec viſum eſt Gentileti qui An-
timachiauelli autor eſt, Petri Ribadeneiræ, Bozii, Io-
hannis Caſi & aliorum qui aduerſus Machiauellũ ſcri-
pſerũt, teſtimonia allegare. Illud ſaltem monuero, inter
Machiauelli ſcripta diſtinguendum omnino eſſe & in-
ter tempora quibus aliquid ſcripſit. Neque enim is au-
tor ſtabilis fuit, aut ſubacti & preſſi ingenii ac iudicii,
ſed vagi & incerti & inconſtantis, atque inſtar flammæ
modò huc, modò illuc euolantis. Idcirco & ſibi ipſi cõ-
tradicit ſæpè, non tantum in diuerſis libris, vt in *diſcur-
ſibus de Repub.* & in *Principe*, ſed etiam in eodem libro,
imò eiuſdem libri eodẽ capite, quod facilè patet ei qui
caput 18. Libri de Principe conſideratius perlegit. Nec
mirum id eſt in naturis atque ingeniis eiuſmodi, quæ
tempera-

temperamēti ac cerebri ſunt nimis feruidi atque æſtuā-tis, præſertim ſi vel ira, vel vinum, vel venus, vel externa etiam aliquando cauſa accedat quæ calorem ſanguinis ac ſpirituum nimis accendat & exaſperet, ita vt ſpiritus qui ſunt inſtrumenta cogitationum, diſcurſuum, ac iudiciorum, incendantur; atque igneſcant; ac flammæ inſtar in vaſis cerebri rapidè ac perniciter oberrent. Ad ſolidum enim & ſtabile iudicium de rebus in mente formandum requiruntur ſpiritus moderati ac ſtabiles; atque adeo tales, in quibus aërea caliditas cum terrea quadam frigiditate ad certi ponderis proportionem tē-peratur. Velox enim & calidus ſpiritus cito apprehen-dit; tardus verò ſolidè iudicat, vt ex Ariſtotele præclarè diſſerit Marſilius Ficinus lib. 1. de vita ſtudioſorum. Cum ergo illo tempore Machiauellus aliquid meditatus eſt & ſcripſit, quo non nimis incaluit eius natura, ibi tum agnoſcas in eo vim ingenii cum ſingulari iudicio con-iunctam; vt in diſcurſibus pleriſque de Repub. quibus & prudenter multa monet; & modum oſtendit, quo Liuius & huius exemplo alii hiſtorici vtiliter à Politicæ ſtudioſis legi poſſint & debeant. Sed & de pontifice Romano eiuſque in Italos tyrannide non minus verè quā liberè & iudicioſe multa annotauit. At verò cum vel internis, vel externis cauſis tenues iſti & agiles in Machia-uello ſpiritus nimis efferbuerunt & in naturam igneam degenerarunt, iam nihil in eo ſtabile, nihil firmum a-nimaduertas; modò Tyrannum aperit, modò tegit, modò laudat & euehit in cœlum vſque, modò deteſtatur extremè; iam format tyrannidem, mox non format; vt exiſtimare quis iurē poſſit, cum librum iſtum ſcribe-ret, non ſemper ſui potentem fuiſſe, nec ſcopum cer-tum habuiſſe, nec ſatis cogitaſſe, quid ante ſcripſerit, aut paulò poſt ſcripturus eſſet. Id ſanè magnopere de-plorandum eſt, in iſta, vt ſic dicam, cogitationum in-flammatione, viro alioquin acutiſſimo, & tam floren-tis præſertim Reipub. Secretario excidiſſe multa, in Moſen, in Dauidem, in alios ſanctos Dei homines, in ipſam Religionem Chriſtianam blaſphema: excidiſſe etiam dogmata pernitioſa, pugnantia cum omni hone-ſtate, cum Principiis Ethicis & Politicis; & ita quidem

excidiſſe, vt nuſquam lectoris incauti animũ aduerſum talia præmuniat, nuſquam indicet, quo animo aut ſcopo talia ſcripſerit: quod ſane facere eum omnino decebat. Iam quia non fecit, id ſcribendo effecit, vt nullum inuentũ aut factum audias tam prauum & curuum, tam contra omnes veri & boni normas, contra ipſa principia ac ſcopum veræ ac ſolidæ prudẽtiæ politicæ ſuſceptum, quod non pallietur, imo & defendatur ac prædicetur ſpecioſo quodam titulo ingenii & acuminis Politici, aut Machiauellici artificii.

11 *Quouſq; ſe extendant iura Maieſtatis abſoluta?*

" Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 8. Maieſtatẽ definit, quod " ſit ſumma ac perpetua in ciues ac ſubditos, legibusque " ſoluta Poteſtas. Id eſt, quod ſit poteſtas omnia media adminiſtrandi, quæ pro Republicâ ſunt neceſſaria, ſiue, facultas gubernandi & omnes curas gubernationis pro Reipublicæ ſalute diſponẽdi. Cuius quidem Maieſtatis tria capita à Iureconſultis generaliſſima diuiſione recenſentur, nimirum ius ſacrorum, ius boni publici, & ius belli. Ad quæ poſtea reliqua omnia recte reduci poſſunt, vt in Theſibus etiam eſt traditum. Statuit autem idem Bodinus, iuri maieſtatis nihil cum legibus illis, quas *fundamentales imperii* vocant, commercii eſſe, id" circo eodem capite inquit: Quantum verò ad leges im" perii attinet, cũ ſint cũ ipſa Maieſtate coniunctæ, Prin" ceps nec eas abrogare, nec iis obrogare poteſt. Cuiuſ" modi eſt lex Salica regni huius firmiſſimum fundamen" tum. Quod ſi legibus imperii derogatum ſit, hoc ſarciri " ſolet à Magiſtratibus mortuo Principe, ſi quid erit con" tra leges imperii decretum, aut de iure maieſtatis demi" nutum, &c. Quales tres tanquam firmiſſima, vt ait, " regni Francorum fundamenta recenſet lib. 6. cap. 5. 1. " quâ filiis regum, niſi iuſto connubio quæſiti fuiſſent, o" mnes ad regnũ aditus præcluſerint maiores. 2. Quâ Pa" latii Magiſtros, quorum potentia populis terrori, Regi" bus exitio fuit, de Repub. ſuſtulerint. 3. quâ vni primo" genito Regalia Maieſtatis iura in ſolidum tribuenda de" creuerint. Hactenus Bodinus. Diſtinguuntur autem tales leges à Maieſtatis iure, atque adeò à poteſtate ſo-

luta

luta legibus cæteris, tanquam causa à suo effectu, eique nil derogant; vt, *an*, ex. gratia, *fœminis regimen conueniat? an debeant potius electis ex omnium numero concedi, an hæreditario iure succedentibus? an indigenæ, an peregrino potius offerenda maiestas?* Quæ non magis esse possunt in potestate Principis, ac sui ipsius cōstitutio atque in regnum immissio, siue causa proprii regiminis; siquidem non sunt instrumenta regiminis, vt cæteræ leges, sed causæ efficientes & fundamenta: quæ ita planè sunt in potestate populi, prout ipsum ius constituendi Principem, aut aliud Magistratuum genus introducendi. Cum ergo sequenti problemate quærimus, vtrum Princeps, qui iura Maiestatis absolutæ habet, subiectus sit legibus? principaliter non *leges* hæ *fundamentales*, quas vocant, intelligendæ sunt, sed eæ quarum potestas est pars iuris Maiest. siue q̄ sunt media & Instrumenta gubernationis.

12 *An princeps iura Maiestatis absoluta possidens sit subiectus legibus?*

Bodinus quidem & alii sic sentiunt, legibus diuinis, naturæ & gentium obligatum esse Principem; sed in his ciuilibus institutis Principis non esse sibi leges scribere. Sed nulla videtur ratio, quominus si legi vniuersali naturæ scilicet, sit obligatus, non itidem teneatur particulari: cum lex ciuilis nihil aliud sit, quam lex naturæ ad particulares circumstantias accommodata. Et cum non modò lex naturæ, sed & leges ciuiles obiecta sint iustitiæ; Nulla enim est legum diuersitas, quoad obligationem, sed tantum quoad obligandi perpetuitatem & immutabilitatem. Leges enim ciuiles sæpe quidem variant, sed semper tamen obligant. De omnibus ergo legum generibus intelligenda est quæstio, etiamsi non de singulis indiuiduis; non sanè de iis, quæ ad principis officium nil pertinent. Sed & inprimis oportet distinguere Vim legis, quæ duplex, nempe vel Dirigens, vel cohercens. Si ergò lex consideretur secundum vim dirigentem, & quà est obiectum iustitiæ vniuersalis in Ethica consideratum, vtique omnem hominem in genere & Ethicè consideratum obligat, atque adeò ipsum etiam principem, tum absolutè, vt ad offi-

cium boni viri, qui ſemper eſt iuſtus, tum reſtrictè ad ſtatum Politicum, vt fundamentum regiminis, non autem vt ipſum officium regiminis, à quo diſtinguitur iſta obligatio, tanquam cauſa ab effectu: Et hoc ſenſu accipienda ſunt magnorũ Impp. Theodoſii & Valentiniani verba: *Digna eſt vox Maieſtate regnantis Legibus alligatum ſe Principem profiteri: Adeò de autoritate iuris noſtra pendet autoritas.* Et reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum. Idcircò quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Et hoc reſpectu Princeps lege eſt inferior, non aliter ac dominus cæcus ſeruo ſe ducente, & in viam dirigente, qui tamen, quâ inſtrumentum ſui domini eſt, ipſi etiam reuera ſubiacet. Inde iam altera legis conſideratio patet, quâ nimirum non amplius dirigit, ſed cohercet, in regimine nempe publico. Cohercet autem non principaliter, ſed inſtrumentaliter: Principaliter autem cohercet ipſe regens. Penes quem ergo eſt principalis actio, penes eum inſtrumentum eſſe oportet. Ergo regere ſiue cohercere nulla ratione poteſt is, cuius poteſtati inſtrumentum regendi ablatũ eſt: & qui non pro libitu inſtrumentis vtitur, ſed quatenus alius præſcribit & dirigit: Is ipſe inſtrumenti, non principalis agentis rationem habet. Monarcha autem abſolutè & perfectè ſic dictus, principalis in regimine Politico agens eſt, & quidem ſolitarius, quia vnus; qui, ſi à lege cohercеretur, ab inſtrumento ſuo pateretur, atque adeo in ſeipſum ageret, ratione eiuſdem, totus in totum: quod abſurdiſſimum eſt, vtpote contradictionem infinitam producens. Non ergò à ſeipſo cohercеri poteſt: ſed nec ab alio; æquali neutiquam, quia omne agens ſuo patiente ſuperius, non par eſſe debet: Multò minus ab inferiori, nimirũ ſubditis, ne quidem vniuerſis, qui, ſiquidem ſimul omnes reguntur, ipſo regente ſuperiores eſſe nequeunt: neq; vno eodemq; reſpectu parêre, & quomodo parêre & regi velint præſcribere, atq; adeo ſimul regere & regi poſſunt. *Legis verbo*, inquit Bodinus, *imperium ſignificatur eius in quo Reipub. maieſtas ineſt.* Albericus Gentilis in quæſt. Regiis: *Hoc*, inquit, *ſupremitatis eſt, vt nihil ſupra ſe vnquam cernat Princeps, neque hominem, neque legem.* Ergo abſoluta hæc poteſtas

eſt, &

est, & absque limitibus. *Princeps legibus solutus est*, inquit lex, & eadem quoque lex, *quodcunque placet, principi*, l. princeps. ff. de legibus. Barclaius lib. 1. de regali potestate contra Monarchomachos, inquit: Distinguẽdum esse inter potestatem imperii, & officium imperantis: Et cum sit malus Princeps siue Tyrannus, mutare voluntatem siue officium, non autem mutare potestatem. Sed id durius est & crudius, quod Barclaius eodem libro asserit; etiamsi de facto princeps iniuriã subditis faciat, ius impunitatis nihilominus retinere, nec fieri læsis subditis iniuriam, si non puniatur: quod vult probare ex isto Samuelis, vbi enarrans Israelitis ex iussu Dei multa incommoda, quæ sub Regibus perpessuri essent: Hoc, inquit, erit ius Regis, id est, potestas quiduis agendi sine cuiusdam obiurgatione. Addit tamen Barclaius, intelligendum hoc esse respectu status Politici, nõ verò quatenus Deo subiacet, atque adeò quam diu se alienæ tutelæ non subiicit.

13 *Num Princeps conuentionibus & pactis, quæ cum subditis iniit, teneatur?*

Dubium hoc relinquit prioris quæstionis enodatio, *legibus nempè non obligari principem: ergo nec pactis, quæ ex præscripto legum sanciuntur.* Respondet Bodin. lib. 1. cap. 8. Non est, inquit, conuentionum ac legum perturbanda ratio, cum lex ab eius voluntate pendeat, qui summam in Repub. potestatem adeptus est, & qui sua lege subditos omnes tenere, ipse verò teneri non potest: At conuentio inter ciues & principem mutuam habet obligationem, à qua discedi sine mutuo consensu non potest. In quo genere princeps nihil habet, quo subditis superior esse videatur. Sic Tolos. lib. 7. c. 20. num. 47. Princeps tum induit naturam inferioris, quia contractus est inter pares: in quibus inquit, Princeps habetur pro priuato, siquidem se submittit iuris communis dispositioni, sequendo formam a iure ciuili vel gentium præscriptam. Et post Bodinus: *Legibus*, inquit, *Regem, ne quidem iuratum obligari.* Nulla enim, vt Pomponius *l. à Titio. §. nulla, ff. de verb. oblig.* ait, obligatio consistere potest, quæ à voluntate promittentis statum capit. Conuenientibus

autem iustis, in quas iurauerit, non ideo teneri, quia iuratus sit, aut quia suis legibus obligetur, sed quia iustis conuentionibus quisque tenetur, si quid alterius intersit, siue iuratus sit, siue iniuratus. Sed hæc ipsa etiam durissimè à Bodino dicta videri possint. Iuramentū enim, quia Dei contestatio est, idcirco diuinum vinculum est, & magis quàm vlla fides pactorum; idcircò magis laudem, quod postea addit: Quid mirum autem, inquit, si teneatur princeps? cum ipse Deus sese pactis suis vltrò subiiciat. Ierem.45. Quod eousque extendit, vt antecessoris fidem etiam soluere teneatur, si iure testamenti regni hæreditatem creuerit, etiamsi id ex vsu suo aut Reip. neutiquam futurum sit. Eâdem porrò distinctione res eget, quæ superioris difficultatem tollebat. Cum enim pactorum fidem seruare sit lex naturæ, quæ manifestè quemuis obligat, eodem modo hac lege tenetur Princeps, quo omnibus aliis, quoad vim directiuam scilicet, non tamen coherciuam; siquidem à subditis, quâ nempè subditi sunt, non cohercetur, si fidem violet.

14 *An successio magis conueniat Monarchiæ absolutæ quam electio?*

Verissima quidem sunt, quæ tum Plin. in Paneg. *Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus:* tum Tacitus 1. Hist. *Electio optimum quemque & dignissimum quærit atque inuenit*: pro Electionis prærogatiua dicentes adferunt; Sed sciendum: virtutis excellentiam esse quidem causam principalem imperii, non tamen proximam. Ea enim est potestas siue ius maiestatis absolutum. A virtute ergo ad potestatem processus est quidem per se maximè naturalis: Vnde Bodinus Imperium dignissimo cuique tribuendum esse ipsam naturam docere fatetur. Sed addit tamen, vt meliores futuri sint Principes, qui potentiorum aut plebis aut sapientum suffragiis fiunt: Si præsertim, addiderim ego, inter maturæ iam ætatis homines delectus habeatur vel talis, vel saltem aliquo pacto similis illi, quem in eligendo primo Hierosolymitano Rege obseruatum fuisse, memorabiliter annotat Guilhelmus Tyrius lib.9. belli sacri, c.2. Attamen

tot ac tanta incommoda vndique circumstant, vt præstabilius esse videatur, optimis Principibus carere, quã tanta subditorum pernicie creari. Quippe omnibus illis periculis exposita esse videtur electio, quæ vel frequentissima Interregna, vel æqualium factiones ac suffragiorũ contrarias voluntates, vel ignobilis cuiusdam elationem, vel etiam peregrini Principis admissionem comitari solent. Quibus tamen potior est libertatis suæ conseruatio, & legibus alligati Principis restrictio; iis omninò retinẽda est, & retineri vtcunq; potest Electio. Sed retineri cum certo quodam definitoque modo & ordine. De quo quidem Inclytos Regni Poloniæ ordines videtur prudenter monuisse Stanislaus Saruicius, cum in Præfatione super Historiam Polonicam ita inquit; Nec definitionem eligendi Regis, cuias & qualis esse debeat, nec modum præscriptum, nec formam electionis celebrandæ habet hęc Respublica per tot centurias annorum ex quo stetit, sine quibus necessitas ipsa, etiam bonos viros, interdũ cogit ad varias artes & compendia confugere. Alioquin enim in infinitum tempus electionis nullo effectu, cum graui autem periculo extraheretur, & tot voluntates hominum ferè semper inter se variantes ad vnum scopum impossibile est sine arte reducere. Respicite, reuoluite annales nostros, vix vnum exemplum, exactè loquendo, liberæ electionis inuenietis, cui aliqua vis aut ars non admixta fuerit. Nec modo hoc in Polonia vsu venit, sed in omnibus propemodum nationibus, vbicunque modus certus & proportio quædam certis numeris absoluta non est, tanquam ex cerâ efformata; At vbi hæc eadem est legibus sancita, res ista quanquam est per se perplexa & operosa, tamẽ citò, tutò & prosperè expeditur; & omnes isti cæci styli omniaque suspecta cõsilia vno impetu corruunt. Collegeram ego ante decem annos exempla & formulas Electionum, Pontificum nimirũ Romanorum, Imperatorum, & Ducum Venetorum, & ad hunc vsum Reipub. in lucem edideram. Non contemnatis quæso prudentissimorum virorum consilia, nec sinatis amplius casu hanc Rempublicam regi. Aut vnam formam ex istis tribus eligatis, aut si potestis, aliã accommodatio-

„ rẽ excogitetis, qua & vos nunc & postea successore non „ sine gratiarum actione pro re bene gestâ, in tali casu vti „ possint. Respicite quæso, ad præcedentia tempora; in- „ tra hos duodecim annos iam tres Reges mortui, tres „ electiones celebratæ. Possunt autem & sæpius vel peste, „ vel bello eripi, vt sunt hominum res instabiles. Placetne „ spectare toties Rempublicam in periculo versari? Re- „ cordemini quæso, vocis Regis mortui, quando in me- „ dio senatus ante biennium, veluti iam supremum diem „ mortis sibi instare præuidens, ea de re disserebat: Co- „ horresco, inquit, toto pectore quoties mecum recogito „ Interregnorum superiorum pericula. Respondistis tum „ vos, de Rege viuente Rege nolle deliberare. Ecce ergo „ nunc illud tẽpus aduolauit, & difficilius ni fallor, quam „ superiora interregna. Sanciatis igitur aliquam amplis- „ simam legem, quam siue *Capturum* more Patrio *perpe-* „ *tuum*, vel *auream Bullam* vocare licebit, Germanos in „ hoc imitati, qui huiuscemodi voce talis sanctionis vo- „ lentes laudes amplificare nomen ei ab auro imposue- „ runt. Huc vsque Saruicius. Cæterum Electio absolutæ & meræ Monarchiæ non vsquequaque quadrare ac conuenire videtur, vtpote cuius monarchiæ proprium maximè est perpetuum vnius quasi Principis regimen: sicut acutè disputat Albericus Gentilis in dissertatione sua de absoluto imperio. Ad perpetuitatem autem illam succesionis ordo quam proximè accedit, dum imperium, vnius familiæ continuata hæredum serie nectitur, vt altero propediem priore succedente vix vnquam obitus Principis sentiatur. Quod vehementer Bodinus in regno Galliæ celebrat. Id, inquit, ab auorum extrema memoria contrito prouerbio didicimus, *nunquam Reges apud nos interire*. Accedit, quod in tali statu, vbi præter Principem nulli sceptra tenent, mortuo Principe necessariò oriatur Anarchia. Quin nec consistere diu potest ius electionis in absoluto regimine: Qui enim legibus impediri non potest, in- „ quit Bodinus, quis dubitet, quin vias omnes sibi poste- „ risque suis ad Principatum munire malit, quam im- „ peritæ plebis suffragio committere? Notatu dignum „ est Neruæ dictum, quod citat Eberhardus à Weyen,

hanc

hanc quæstionem peculiari scripto tractans: Nihil interesse, genueris an elegeris Principē; nisi quod æquiore animo ferant homines, quem princeps parum feliciter genuit, quam quem malè elegit populus.

15 *Vtrum sortibus interdum Electio committenda sit?*

Cum sors in rebus æqualitate laborantibus solummodo locum habeat: Electio contra non sit æqualium, sed inæqualium; idcirco simul cohærere ista nequeunt, atque adeò vbi æqualitas est, ibi difficilis est Electio: vbi autem delectus haberi potest, ibi præpostera sortitio. Hinc rectè quidem Pontanus alicubi: Tentare fortunā, vbi consilio locus est, temerarium iudicari debet. Sed vtilius esse nonnunquam Bodinus ait, sorte quam suffragiis Principem ducere. id enim ad semina discordiarum tollenda legibus diuinis & humanis probari: scilicet vbi vel ea est necessitas, vt nec ratio, nec consiliū adhiberi possit, aut etiam æqualitas duorum vel plurium candidatorum regni, virtute & aliis requisitis parium id postulet, vt prudēter monet Aretius part. 2. Probl. Theol. fol. 147. Et sapienter Cicero. In & pro Rep. omnia sunt summa ratione agenda. Nempe Electio res omnium maxima est, & totius Reip. clauis, vt Casus lib. 4. Sphær. Ciuit. cap. 15. quæst. 2. Sed addimus discretione sortium opus esse, ne permittantur tales, per quas fraudibus & technis resignetur imperium, velut fuit hinnitus equi, quo Darius electus fuit: item equiria illa siue cursus equorum, cui Principis electionem Poloni quondam permiserunt, parum felici euentu, vt inter alios refert Iohannes Herburtus in Chron. Polon. lib. 1. cap. 8. Præmislao, inquit, vitâ functo exoritur noua de Principatu contentio: cumque nullus appareret ambiendi modus atque finis, placuit rem fortunæ committere. Indictus est itaque ad certam diem maculosorum equorum cursus: qui primus ad metam peruenisset, eius dominus princeps vt esset: erigitur meta ad Prandinicam amnem: effunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo. Ibi Lescus quispiam competitorum vnus, cum stadiū vafro cōsilio (strauerat enim clam in sabulo ferreos acu-

„ tos stylos, quibus currentium equorum pedes irretiret)
„ impediuisset, primus ad metam, obliquo & minimè im-
„ pedito tramite, peruenit. Munierat autem & equi sui
„ calces ferreis soleis, vt si fortè cum impetu currens, in
„ eos incidisset, non offenderet in stylis. Cum omnes o-
„ mnium aliorum equi, de more illius temporis, soleas
„ nullas haberent. Illius itaq; rei prorsus ignaris omni-
„ bus, & miraculo attonitis iamq; victorem & Principem
„ (quasi diuinitus sibi oblatum) Lescum acclamantibus,
„ techna deprehenditur; protrahitur Lescus in medium,
„ conuincitur, damnatur, concerpitur. Exemplum melio-
„ ris successus quo Turcæ primitus sibi Regem elegerũt,
„ narratur tum ab aliis, tum inprimis perspicuè à Guilhel-
„ mo Tyrio lib. 1. Belli sacri, c. 7.

16 *An necessario ad constitutionem Regis requiratur inauguratio siue Coronatio?*

„ Couarruuias lib. 1. pract. quæst. cap. 1. num. 24. citante
„ Althus. c. 14. Pol. Cæteris, inquit, gentibus (præter Iudæ-
„ os) Deus ipse ab ipso naturæ iure liberam fecisse videtur
„ potestatem sibi Principes, Reges, Magistratus constitu-
endi. Id est, hanc vel illam Reip. formam assumendi, talē vel talem Regi potestatem, & Maiestatis ius concedendi. Hinc nimirum factum, quòd Deus ipse etiam modũ inaugurandi Regis Iudæis præscripserit; reliqui autem populi varios alios modos ac ritus inaugurationis excogitarint. Apud plærosq; autem Diadematis aut coronę vsus receptus fuit. Cæterum an inaugurationis ritus ita necessarius sit, vt is qui inauguratus non est, principatus fundamentum non habeat, id verò in Thesibus sic definitum est, vt dubium esse non possit: Principatum & imperii potestatem absq; inauguratione etiam esse posse. Sicut verum est ac legitimum coniugium, etiamsi solennia nuptiarum nondum celebrata sint. Rudolphus Secundus, legitimus Romanorum Imperator est, etiamsi coronatus nondum sit. Barclaius lib. 3. de Reg. potest. c. 2.
„ Quod nobis debetur, inquit, id non statim nostrum esse.
„ Et apud Israëlitas quidem Reges, quos ipse Deus inungi
„ dudum ante iusserat; inauguratione tamē post peculiari
„ populi consensu confirmatos fuisse ait, vt Saulem, Da-

uidem,

uidem, Hazaëlem. Quippe Deum quos deligit Reges, offerre populis, non obtrudere. His etiam, quibus natura & gentium iure paterna regna deferuntur, Reges tamen non esse, antequam ritu patrio, & more maiorum inaugurentur. Cuius hæc videtur ratio, quia constitutio Principis quasi quædam conuentio est, quæ non tacito consensu contrahitur, sed certis & euidentibus signis & verbis fidem facientibus administratur. Ac etiamsi dum primus familiæ Regiæ, velut caput Successionis, inauguratur, hæredes eius simul in Reges assumuntur; non tamen omnes simul Reges fiunt; siquidem inauguratio ad vnum tantum vno tempore pertinet; atq; adeò Rex perfectissimo modo dici non potest, qui non expressis signis confirmatus sit. Nisi fortè populus alicubi ius aliud in Regum suorum fauorem vel expressa lege constituit, vel tacito & diuturno consensu introduxit, vt Barclaius ait. Quemadmodum apud Francos in more positum inquit, vt qui ad sceptrum iure hæreditario vocatus sit, is ante solennem inaugurationem pro inaugurato quoad ius & honorem regium habeatur. Summa hæc est, non oportere confundere confirmationem siue consensum subditorum cum ritibus inaugurationis, siue cum externis istis dati iam consensus signis & testimoniis, de quibus nos præsentem quæstionem mouebamus.

COROLLARIVM METAPHYSICVM.

An Ens quà Ens sit perfectum?

A bonitate in Metaphysicis ad perfectionem deducimur. Distinguitur autem perfectio in Transcendentalē, quam vocant, ***Naturalem***, & ***Moralem***, quæ ad virtutes spectat. Nos de prima perfectionis acceptione asserimus, quod omni Enti insit. Est enim modus, per quem Ens essentiam suam plenam obtinet. Ens ergò vt Ens, sicut excludit omne non Ens, eo ipso, qui Ens est: Ita simul omnem excludit imperfectionem. Nam imperfectio arguit non Ens. Non secus ac Ens eo ipso, quia Ens est, excludit omne falsum, omne malū, omne vagū

& incertum. Omne etiam non Ens imperfectum cupit esse perfectum; sicut falsum cupit esse verum, malum cupit esse & videri bonum, ad similitudinem Entis perfecti, veri, boni, quantum potest, sese componendo. Cũ de Ente absolutè loquimur, substantia intelligenda est, vtpote quæ sola per se ac primariò Ens est.

ASTRONOMICVM.

An possibile sit vllam in hac vita Astronomiam tradere, quæ sit expers hypothesium?

FRustrà optarunt nonnulli eiusmodi Astronomiam, quæ ab Hypothesibus esset libera. Cælum enim & stellæ, non sunt res vniuersales, quæ sine sensibus immediatè intelligi possint; sed sunt res singulares, sunt indiuidua corpora, quæ impossibile est mente humanâ cõprehendi, siue quoad substantiam suam, siue quoad motum, ni sensibus externis subiiciantur. Cum verò cælum & stellæ longius à nobis distent, quàm vt manibus tractari, vel oculis distinctè conspici possint, quoad motũ præsertim; idcirco necesse omninò est, sensibus nostris succurri alio aliquo analogo adminiculo, nempè Hypothesibus, quæ vicem tactus, & visus supplent. Sed & terræ ad cælum positus, siue globi terreni cum cælesti comparatio, à quâ tota ortuum & occasuum ratio, tota poli eleuatio pendet, nulla ratione à mente humana concipi potest sine hypothesibus circulorum, ita vt Astronomia sine hypothesibus sperari nulla vel possit, vel debeat.

CVRSVS

CVRSVS PHILOSOPHICI

Diſputatio XXX.

Quæ eſt Politica ſecunda.

DE GVBERNATIONE PRINCIPIS IN GENERE, ATQVE ADEO DE EIVS CAVSIS AC PARTITIONE.

INSTITVTA PVBLICE IN GYMNASIO DANTISCANO, 24. Febr. Anni 1607.

Reſpondente

MICHAELE HERNVVIRT Colbergenſi, Pomerano.

AMPLISSIMO ET SPECTATISSIMO VIRO,

Dn. IOHANNI SPEMANNO,

REIP. GEDANENSIS SENATORI ET IUDICI,

Dn. Patrono & Mæcenati suo summè obseruando,

Hanc qualemcunq; suam Politicam συζήτησιν

submissè offert & consecrat

MICHAEL HERRENWIRT Colb. Respondens.

THESES

De Gubernatione siue Regimine Principis in genere, atq; adeò de eius causis & partitione.

1 Prima Disputatione Politicâ vidimus Principatus fundamenta ac constitutionem; sequitur vt de officio Principis, atque adeò de eius gubernatione aliquot disputationibus pertractemus.

2 Officium & Regimen Principis consideratur vel primariò, nempe in eius vita; vel secundariò, nempe circa mortem.

3 Officiũ & RegiméPrincipis in vita consideratur, vel ratione primi principii sui; vel ratione progressus.

4 Regimen ratione primi principii spectatũ dicitur, quo forma Reipublicæ vel primò constituenda, vel collapsa restauranda est. *Vt, cum inter barbaros, qui vel nullam, vel non satis idoneam reginimis formam habuerunt, Respublica aliqua ordinatur ac constituitur.*

5 Ratione progressus spectatũ regimen Principis est, cum Reipublicæ forma antè constituta salutari gubernatione continuatur & conseruatur. Et ita Princeps recipit certam relationem ad suos maiores, siue præcessores, ad quorum memoriam & gloriam tuendam obligatur.

6 Vtrouis autem modo spectatum Regimen, iisdem planè in Politica præceptis & regulis constat. *Etsi enim difficilius sit primitus ordinare*

Rempublicam, quam à maioribus acceptam administrare; tamen reipsa hæc nõ differunt, sed tantum tempore & modo. Vt enim aliæ omnes disciplinæ & artes iisdem præceptis inuentæ discuntur, quibus à primo inuentore constituebantur, licèt prima inuentio magis fuerit ardua & difficilis: Ita quoque ratio gubernationis Politicæ iisdem mediis & adminiculis continuatur, quibus ab initio fuerat ordinata.

7 Circa regimen porrò, siue Gubernationem principis consideranda sunt duo: primò eius Cõstitutio, pòst eius Instrumenta.

8 Constitutio regiminis vel in genere consideratur; vel in specie secundum bonæ Gubernationis partitiones.

9 Constitutio regiminis in genere considerata pendet, tum à causa dirigente; siue norma; tum à causis ac partibus essentialibus, tum deniq; à causis adiuuantibus.

10 Causa dirigens siue norma regiminis, est Lex, qua Princeps gubernat, & qua tanquam norma subditos regit, atq; adeò cui Normæ subditi ad publicum bonum parere debent.

11 Circa legem spectanda est; tum distinctio eius, tum functio.

12 Distinguitur Lex in propriè, & impropriè dictam.

13 Propriè dicta lex, siue norma regiminis, est vel Naturalis, vel Positiua. Et Naturalis vel prima, quæ absolutè *Lex Naturæ* dici solet; vel orta à primâ, id est, quæ dicitur *lex*, siue *ius gentium*.

14 Posi-

14 Positiua Lex est vel generalior, vel special.

15 Generalis lex Positiua est regula quæuis, siue præceptum Ethicum, Oeconomicum, Politicum, Iuridicũ, quo mores hominum informantur, & vita regitur ad honestatem & dignitatem.

16 Specialis Lex positiua, vel indefinitè consideratur, vel definitè.

17 Indefinitè considerata est Voluntas, Arbitrium, Placitum, Decretum, Constitutio, Sãctio, Statutum & mandatum Principis, idq; vel immediatè per ipsum principem, vel mediatè per eius magistros promulgatum.

18 Definitè sumtam legem specialem appellamus constitutionem. *Quæcunq; n. Princeps vel per Epistolam constituit, vel cognoscens decreuit, vel edicto præcepit, legem esse constat; hæc sunt quæ constitutiones appellantur, inquit Imp.* Inst. Tit. 2.

19 Est ergo Constitutio vel Solitaria, vel Socia.

20 Solitariam vocamus, quam princeps solus sancit sine communicato cum aliis consilio.

21 Socia est, quam Princeps sancit consilio prius communicato.

22 Et hę iterũ est vel minus, vel magis solẽnis.

23 Minus solennis est, quæ sancitur de consilio eorũ, qui Principi perpetuo adsunt. *Quo pertinẽt responsa iuri-prudentũ, item Pragmat. Sanctiones.*

24 Magis solennis est, quæ sancitur in conuẽtu maiori & solenniori, i. e. in Comitiis; quales cõstitutiones non tam Statui Principali, siue Monarchico, quàm statui Democratico & statui mixto conueniunt, sicut & ipsa Comitia, de quib. suo loco agetur.

25 Est & Lex siue Cõstitutio Principis alia publica, alia priuata.

26 Lex publica est quæ ad statum Reip. pertinet. *Vt Leges & constitutiones de officiariis Principis, deq; Magistratib. inferioribus, de ærario principis, &c. ICti vocant Ius publicum.*

27 Lex priuata est, quæ officium, vel vtilitatẽ subditorum concernit. *ICti dicunt priuatum Ius est, quod singulorum vtilitatem spectat.*

28 Distinguitur etiam Lex siue Constitutio in Edictum, & Decretum.

29 Edictum est constitutio citra determinationem personæ, causa, aliusque circumstantiæ facta.

30 Decretũ est Constitutio sub determinatione personæ, causæ, aliusq; circumstantiæ facta; sic tamen vt in consimilib. casib. etiam valeat.

31 Deniq; Constitutio alia est ordinaria, quæ ordinariè obtinet; alia extraordinaria, quæ peculiarib. & velut extraordinariis causis obtinet; quo pertinent indulta Principum peculiaria.

32 Sic de Lege magis propriè dicta; minus ꝓpriè dicta Lex est vel tacita, vt consuetudo recepta: vel expressa, vt sunt Principis adhortationes & postulata; vel directè, vel obliquè, tum ab ipso Principe immediatè, tum mediatè per ministros subditis propositæ.

33 Fuit distinctio legis; sequitur functio, quæ vel primaria est, vel secundaria.

34 Primaria est tum Sanctio legis; tum Executio.

35 Sanctio Legis est tum prima, tum orta.

36 Prima est legis conceptio, & conscriptio.

37 Orta sanctio est Legis, principis authoritate & subscriptione munitæ, promulgatio & publicatio:

catio: quæ fit vel voce præconis; vel diplomatis Principalis affixione; cuius refixio capitalis censetur.

38 Executio Legis est per quam Lex finẽ suũ ob quem lata est, obtinet, sic vt vel seruetur, vel non seruata debitis pœnis vindicetur.

39 Secundaria functio est tum directa, nempe confirmatio & interpretatio legis: tum indirecta, nempe legis obrogatio, derogatio, abrogatio, & mutatio.

40 Tantum de principio & causa Regiminis dirigente, siue quod idem est, de norma gubernationis: Sequuntur causæ & partes essentiales constituentes Regimen, quæ duæ sunt; Nempe omnium eorum, quæ ad Principatus procurationem pertinent, cognitio, & si dubia atq; ambigua sint, præuio consilio, determinatio: Post eorum, quæ facienda Princeps cognouit, procuratio & administratio. Siue vt breuius dicamus: *Agenda nosse: & cognita procurare atq; exequi.*

41 Vtraq; pars Prudentiæ Politicæ effectus est: sed prior tamen magis ex Prudentia Politicâ; posterior magis ex fidelitate & sedulitate officii Politicâ promanat.

42 Prudentiæ.n. Politicæ istæ sunt primæ partes: Ea omnia, quæ ad Reip. procurationem pertinent, si certa sint, nosse; si ambigua, consilio definire. Quæ enim facta sunt, vel fiunt, ea princeps vel sensuum ministerio, vel mentis informatione cognoscit; quæ autem facienda sunt, vel omittenda in Rep. ea consilio determinabit.

43 Consilium politicum quid sit & quale esse debeat, ex generali doctrina de consilio in

Ethicis tradita intelligi poteſt. *Nempe quod conſilium dupliciter ſumatur, primò pro operatione intellectus, ſiue mentis practicæ, inquirente ea, quæ ad res practicas, ſi ignotæ & obſcuræ ſint, explicandas; ſi incertæ & dubiæ, probandas: ſi confuſæ, ordinādas pertinēt, quæ propriè Deliberatio & Cōſultatio dicitur. Secundò pro ipſa inuentione eorum, quæ inquiſita ſunt, nempe pro rerum ignotarum & obſcurarum explicatione, incertarum probatione, & confuſarum ordinatione. In qua poſteriori ſignificatione conſiliū idem ſignificat quod ſententia, & concluſio de reb. ignotis, obſcuris, incertis, ambiguis, & confuſis. Eſt itaq; omne conſilium vel primum; vel à primo ortū. Primum conſilium eſt vel ſimplex, vel* Complexū. Simplex *eſt vel abſolutum vel comparatum*: Abſolutum *eſt, quo inquirendæ veniunt cauſæ, ſiue media, quib. certum aliquem ſcopum ſiue effectum aſſequi poſſimus; vt quibus mediis ſit cogenda pecunia tempore neceſſitatis.* Comparatum *conſilium eſt, quo inſtituitur collatio, & cōparatio inter res duas, ſiue plures quæ in deliberationem cadunt:* Cōplexū *conſilium eſt vel Syllogiſticum, vel Methodicum*: Syllogiſticum *etiam eſt vel abſolutum, vel cōparatum.* Abſolutum *quò inquiritur, an aliquid faciendum vel omittendum? vt, An ſit ſuſcipiendum bellum?* Comparatum, *quo inquiritur an aliquid ſit melius vel deterius altero.* Conſilium Methodicum *vocatur, quo inquiritur de ordine ac diſpoſitione rei, vt ſi dandum ſit conſilium de ordinanda acie, item de ordine ac proceſſu in iudiciis conſtituēdo, & ſimilib. Conſilium ortū a primò vocatur illud, quod tam ſimplicem, quam complexam inquiſitionem includit; vt ſi deliberetur de ordinanda vel emendanda Rep.*

Qui

44 Qui autem nouit, quid sit consiliũ, & quotuplex, is demum solidè sciuerit, quomodo salutaria consilia ineunda sint, & quis sit eorum capiendorum modus.

45 Nimirum Consilium Politicum est operatio, & effectus prudentiæ politicę. Prudentia.n. mixta virtus est, ex intellectuali & morali. Ideò ad salutare consilium animo concipiendum, &, cum opus est aliis dandum, partim intellectualia, partim moralia requisita pertinent.

46 Intellectualia media, ad dextrum consiliũ formandum, petęnda sunt ex natura istius rei, de qua consilium capiendum, & pro qua capiendũ est. *Ad Consilium de Rep. dandum, caput est, nosse Rempub.* inquit Cicero.

47 Videndum igitur, an Inquisitio siue Cõsultatio sit de re simplici, & tum istius rei causæ, præsertim finales, effecta, item propria, cognata, pugnantia, mente percurrenda sunt; sed inprimis attendenda sunt connexa, circumstantiæ loci, temporis, item obiectum, antecedentia, consequentia. Nec verò tantum ea cogitanda in consilio fuerint, quæ per se & sua naturâ insunt reb. in consilium vocatis, sed etiam ea, quæ per accidens insunt, atq; adeo omnia ea, quæ quomodocunq; rei isti accidere aut circa eam cõtingere possunt. Habet.n. ista mentis actio, quæ *consultatio* dicitur, istud peculiare præ aliis rerum tractationib. & meditationibus, quod in his ea tantum cogitanda veniunt, quæ cuique rei per se insunt: in consilio verò etiam ea, quæ per accidens insunt; imò quæ quocunq; modo inesse & accidere possunt.

48 Si verò de themate siue quæstione coniũ-

cta absoluta deliberatio sit instituenda, etiam omnia illa mente voluenda sunt, quæ vtriq; extremo quæstionis (subiecto & prædicato, vt loquūtur Logici) insunt; Et quia plerumq; de actionib. aut passionib. solet quæri in consiliis, ideò partim generalia accidentia ista spectanda, honestas, vtilitas, facultas, difficultas; partim alia magis specialia argumenta, vt sunt inprimis subiectum seu persona agens, aut patiens; secundò finis siue scopus primarius, cur quis agere velit? deinde obiectum seu persona in quam & circa quam fit actio; quartò circumstantiæ loci & temporis; quintò connexa, quæ simul cum ista actione possint contingere; & denique effecta & consequētia, siue euentus, non tantum ii, qui certo futuri sunt, aut euenire solent plerūque, sed etiam ii, qui quomodocunque siue per se, siue per accidens accidere possunt. *De quo sapienter monet Leo Imperator in tractatu suo de apparatu bellico, vbi peculiare caput extat de modo capiendi consilii, in quo inter alia sic inquit: Non solum, quid facile sit, eligito, & in hoc incumbito, sed etiam omnia, quæ vsu venire possunt, animo prospice. Et paulò pòst: Vtilissima autem est in omnes partes animi quasi excubatio, & eorum, quæ vllâ ratione fieri possint, in considerandis rebus pertractatio; ita enim fiet, vt neq; teipsum minus cacæ temeritati exponas, nec rursus nimia rerum cupiditate illectus, in manifestum aliquod discrimen incidas.*

49 Sin deliberatio sit de quęstione comparata, vtrum nempè alteri sit præferendum? iam duplicandus mentis discursus fuerit, & vtriusque

rei,

rei, quæ in comparationem venit, natura sic expendenda, vt in quæstione absoluta faciendum diximus. Quam ad rem mirificè conducent, tum canones isti logici, qui traduntur de quæstionibus comparatis, tum etiam axiomata illa Ethica, quæ proponuntur in doctrina de Prudentiâ.

50 Quando consilium est tale, in quo consultatur de rei ordine, dispositione ac processu, assumendæ sunt tum generales regulæ Logicæ de ordine ac methodo; tum verò res ipsæ, quæ disponi debent, inter se conferendæ sunt, vt ex fine, effectu, & aliis argumentis mens intelligere possit, quid primo, quid medio, quid vltimo loco sit ponendum.

51 Deniq; si consilium sit ortum à primis cōsiliis, atq; adeò combinatum ex simplici & complexa inquisitione, tum accuratè discernenda sūt simplicia à complexis, & in singulis ita procedēdum, prout ante exposuimus.

52 Opus autem est ad omnes istas, quas diximus, inquisitiones Consultrices, primò ingenio sagaci ad apprehendendum simul, & iudicandū: deinde accedat necesse est rerum singularium, siue earum, quæ in vita humana & in Repub. geruntur, noticia, quæ sensu primitus hauritur. Sed quia singularia magnam habent varietatem, & quia in vna re singulari plurima insunt, aut inesse possunt, ideo sensu opus est creberrimè repetito, atque adeò obseruatione & experientia diuturnâ.

53 Quod si verò ad naturā præstantē, & sagax illud in apprehendendo & iudicando ingenium

accedat ars Logica, quæ ingenium magis illuminet, & cõfirmet in præceptis Politicis methodicè traditis, quæq; adeò & iudicium & memoriã dirigat, ac iuuet in obseruatione earum rerum, quæ in vita humana, inq; imperiis ac Rebusp. vel contigerunt antehac, vel contingunt quotidie, tũ sanè eximia quædam in reperiundis & dandis consiliis dexteritas existet, Rebusp. inprimis salutaris. *Etsi enim Logica primò formet ingenium humanũ in cognoscendis & iudicandis vniuersalib. tamen ad res indiuiduas & singulares humanæ vitæ actiones quoq; descendit, & iudicium hominis sic parat, vt ea quoq; rectè diiudicet, quæ certis locorum, temporũ, & personarum circumstantiis definita sunt: Sicut manifestum ex iis, quæ de vsu Logicæ circa themata singularia ostendimus; & quæ porrò etiam, Deo dãte, vberius suo tempore sumus Logicæ studiosis tradituri. Reuera enim, vt Consilium intellectus actio est, ita quoq; ad vsum Logicæ, quæ omnes intellectus humani functiones dirigit & informat, ista res pertinebit. Atq; hæc quidem de Consilio, & modo deliberandi propterea in his thesib. politicis fusius aliquãto tradere visum est, quòd videam Politicos de Cõsiliariis multa quidem præclarè scripsisse, de Cõsilio aũt ipso, eiusq; natura & modo, parcissimè attingere, cùm tamen ea doctrina de Consilio pendeat tota de Consiliario tractato. Nec vidi sanè qui de modo Consilii inueniendi peculiaria quædam ac distincta præcepta tradiderit, præter eum, quem paulò ante citaui, Leonem Imperatorem, qui & ipse tamen ita hic breuis est ac strictus, vt consilium nimis angustè definiat, quod sit deliberatio quædam de re agenda, vel nõ agenda: cum tamen, vt ostensum est, consilium sit inquisitio*

quisitio

quisitio rei siue quæstionis non tantum complexæ, ad quam solā ista definitio pertinet; sed etiam simplicis: imò etiam sit inquisitio ordinis ac processus, quo res peragenda sit. Quæ consilii simplicis, & complexi diuersitas ac distinctio, nisi attendatur, vtique etiam de modo consilii inueniendi & dandi, nihil pleni, aut plani, vel doceri, vel percipi à Politicæ studiosis poterit.

54 Et sic quidem, de requisitis consilii pertinentibus ad mentem solam: Iam, quia etiam voluntas & affectus hominis ad consilium inquirendum vel dandum concurrunt, ideo istæ quoque dextri & boni consilii virtutes tenendæ fuerint, quæ ex voluntate & affectu pendent.

55 Et illa quidem boni consilii virtus siue requisitum vel primum est, vel à primo ortum.

56 Primum voco, quod primo pertinet ad capiendum consilium, & illud est triplex: Primo fidelis affectus erga Rempub. illam, pro qua consilium capitur; qui affectus & fidelitas in cuius pectore habitat, is non poterit non publica semper priuatis anteferre. Alterum requisitum est mansuetudo animi, ne in consilio capiendo mens conturbetur vehementioribus istis affectibus, vt sunt Ira, Odium. Tertium est libertas, vt libera mente ac voluntate, adeoque etiam liberâ linguâ ac voce consilium & capiatur & promatur. Quartum denique est Taciturnitas, vt consilia celentur & sint secreta. *Consilia enim si diuulgentur, cōsilia esse desinunt: qua de causa prudentissimè* „ *Curtius lib. 4. Res magnæ sustineri non possunt ab* „ *eo, cui tacere graue est.* „

57 Huc usq; de consilio; altera regiminis pars essentialis est Procuratio & administratio diuer-

sorum officiorum in Repub. Cum enim Principi commissa sit ingens quædam varietas hominum, locorum, & temporum, ideò impossibile est, vno quodam aut etiam paucis curæ officiique ac sedulitatis generibus regi Remp. sed opus est varia officiorum Politicorum distinctione ac partitione, quã vtinam fuissent huc vsque plenè ac dextrè persecuti ii, qui politica præcepta scripserũt.

58 Porrò vtraque ista regiminis pars essentialis, nempe consiliũ, & diuersorum in statu publico officiorũ administratio à Principe ipso & quidem solo præstanda fuerat, si humana imbecillitas ferendo esset. *Et sanè quo paucioribus administris princeps eget vel vtitur, eò perfectius & felicius est Regimen. Ac in paruo quidem principatu siue imperio sine administris, cõsiliariis & officiariis obtineri fortassis id possit; in maiori autem neutiquam. Vbi cum maiori opus sit tum consiliariorum, tum officiariorum numero, ideò rarò felicia sunt ampla illa & vasta imperia.*

59 Adiunguntur ergo Principi causę adiuuantes: sed ita, vt ipse maneat causa principalis, à qua omnes administri pẽdeant, & cuius nutu regantur. *Secus si fiat, perturbatio Regiminis oritur, non secus, ac omnis gubernatio domestica labefactatur, si familia ab alio aliquo pendeat magis, quam à Patrefamilias.*

60 Administrorum porrò Principis doctrina vel generalis est, vel specialis.

61 In generali doctrina spectatur administrorum delectus & admissio, cui opponitur partim obreptio & emptio officiorum publicorum, partim dimissio: eaque vel honorifica, qualis est in eme-

emeritis, vel minus honorifica.

62 In specie omnis administer Principis est vel directus, vel indirectus.

63 Directus minister est vel ad informandũ; vel ad expediendum siue administrandum:

64 Ad informandum est tum Consiliarius, tum consultus Iuris, tum Historicus.

65 Circa Consiliarium cõsideranda sunt tria; Primò eius propria requisita; post eius propria functio, siue vsus, denique eius distinctio.

66 Requisita consiliarii vel primaria sunt; vel secundaria: Primaria requisita sunt. 1, affectus sincerus erga Rempub. atq; adeò fidelitas Principi iurata. 2, Prudentia. 3, Mens libera & rectè composita. 4, Taciturnitas. Secundaria requisita sunt 1, indigenã esse eiusdẽ loci, in quo datur consiliũ. 2, ætas senescens. 3, Personæ spectabilitas.

67 Functio, siue actus & vsus Consiliarii est consultatio in commune, quæ collectim sumpta *Concilium* dicitur, cuius considerandæ veniunt, primò circumstantiæ loci & temporis; secundò partes: tertiò, distinctio.

68 De circumstantiis loci quo habendum, & temporis, quando habendum Concilium, id in genere præcipitur, vt locus sit tum opportunus & aptus, tũ dignus hoc tam excellenti actu; tempus etiã tale, quo mens hominis officio suo quàm rectissimè fungi possit, vt est præcipuè matutinum. Ac ordinariis quidem cõsiliis locus ac tempus ordinarium destinari potest; extraordinariis verò & repentinis non item.

69 Processus siue partes Consultationis sunt vel externæ, vel internæ. Externa pars est tum

indictio concilii, tum probuleuma, præparatio quædam ad futuram consultationem; quæ pars, vt in solénibus & grauibus cósultationibus vtilissima est; ita in statis consultationibus adeoque etiam in extraordinariis & repentinis necessariò sæpe omittenda est. Externis partibus etiam annumerari potest conuentus & sessio.

70 Internæ partes sunt, 1, propositio. 2, Rogatio. 3, Dictio. 4, Examen votorum. 5, Conclusio; quæ duæ posteriores partes Principis sunt; ita vt vel apertè, vel tacitè vota singulorum expendere, & quod salutare videbitur, facta suffragatione recipere possit, & ita tandem certi aliquid concludere.

71 Tantum etiam de partibus, siue processu consultationis; restat distinctio. Est ergo consultatio vel Stata; vel Solennior.

72 Stata est, quæ fit continuè apud Principẽ, & ad eius aulam.

73 Solennior est, cũ Princeps præcipua Regni sui membra conuocat, & Comitia consultatoria instituit; Qualia quidem Comitia in statu merè & absolutè monarchico Principis arbitrio relinquuntur.

74 Cum autem Comitia consultatoria (nam de comitiis iudicialibus alibi docetur) nihil sint aliud, quàm magnum quoddam Concilium, ideo in iis quoque spectandæ sunt tum circumstantiæ loci & temporis, tum processus siue partes. Locus Regni in meditullio erit, & ad annonam commodus: Tempus etiam conuentui tã solenni ac frequenti aptum, tam quoad initium, quam quoad duratioñe. Partes sunt vel externæ

& ante-

& antecedentes, vt 1, Emiſſio literarum delibera-
toriarum. 2, Indictio & propoſitionis præcipua
quædam capita. 3, Conuentus. 4, Propoſitionis
recapitulatio. 5, Vota. 6, Expenſio votorum. 7,
Concluſio. Vbi denique ſequitur ſolennis miſ-
ſio.

75 Eſt & conſultatio vel ordinaria, vel extra-
ordinaria.

76 Ordinaria conſultatio eſt, quæ cũ ordina-
riis perſonis ordinario ac ſtato modo inſtituitur.

77 Extraordinaria conſultatio eſt vel ratione
modi, vel ratione perſonæ. Ratione modi, cum
Conſultatio inſtituitur proceſſu extraordinario.
Ratione perſonæ, cum Conſilium exquiritur ab
eo, qui ordinarius conſiliarius non eſt.

78 Eſt & Conſultatio ſiue Conciliũ vel com-
munius, vel ſanctius.

79 Communius Concilium eſt, quãdo conſi-
lium capitur cum omnibus cõſiliariis ordinariis.

80 Sanctius concilium eſt, quando in delibe-
ratione grauiſſima, pauci tantum ſelecti conſilia-
rii adhibentur, ein Außſchuß.

81 Conſultatio etiam diſtingui poteſt in di-
ctam, quæ nempe fit votis ore prolatis in conſeſ-
ſu ſiue concilio; & ſcriptam, quando vota ſcripto
dantur; vel ab vno, quod ſæpius fit; vel ab omni-
bus Conſiliariis, quod rariſſimè accidit.

82 Hactenus de functione propria Conſilia-
rii, nempe de Conſultatione: Supereſt Conſilia-
rii partitio, quæ fit vel ex gradu, vel ex modo con-
ſulendi.

83 Ex gradu diſtinguitur Conſiliarius in inti-
mum ſiue eminentiorem & in inferiorem, atque

adeò eum, qui ad intima & ſecretiora conſilia non ita adhibetur. Diſtinguitur etiam in conſiliarium ſenem & iuuenem, itemque in veteranum & nouitium; de quibus ſingulis ſingula monita in Politicis tradenda ſunt.

84 Ex modo conſulendi conſiliarius eſt vel ordinarius, vel extraordinarius.

85 Ordinarius eſt, qui ordinariè ac ſtatè ad conſilia adhibetur.

86 Extraordinarius eſt, vel qui ordinariè & ſtatè non adhibetur ad conſilia, vel rarius adhibetur in particularibus quibuſdã & certis reb.

87 Eſtque vel propriè dictus, vel ſupernumerarius, vel honorarius.

88 Propriè dictum voco, qui ad hoc officium à Principe delectus eſt, vt conſilia extraordinariè ſuppeditet, vel in rebus ad ſummam Reip. pertinentibus vel in particularibus quibuſdam pacis aut belli tempore. Eſtque vel præſens ad aulam; vel abſens, ein Rath der beſtallung hat von hauß auß. Abſens autem eſt vel ita, vt tamen ſit ſub ditione Principis, vel vt ſit extra ditionẽ Principis.

89 Supernumerarius dicitur, qui vltra ſtatutum numerum & conſeſſum ordinariorum conſiliariorum admittitur, vel vt ad conſilia danda præparetur, vel aliis de cauſis.

90 Honorarius eſt tum is, quẽ Princeps honoris cauſa ad conſilium dandum adhibet, ſicut quidem in Politicis præcipitur, vt Princeps interdum conſilia expoſcat à parente, ſi quem habet, à fratribus, à proximis agnatis ſiue cognatis; tum is, qui titulum habet conſiliarii, cum tamen nunquam ad conſilia danda adhibeatur.

91 Sic

91 Sic de informatore Cōſiliario: Informator Iuridicus eſt, quo Princeps vtitur in decidendis controuerſiis & caſibus iuris, ein Gerichtesrath. Informator deniq; hiſtoricus, qui ſuggerit Principi non quidem conſilia, ſed alia ſcitu neceſſaria, quæ conſiliis ſeruire poſſint: *Quod munus etſi ab iiſdem illis, qui conſiliarii ſunt, obeatur, tamē à conſiliarii munere reuera diſtinctum, & principibus admodum vtile ac neceſſarium eſt.*

92 Eſtque vel rerum gerendarum, admonens principem de forma & partibus regiminis; vel rerum geſtarum; earumque vel veterum, vel nouarum ſeu recentium. Et recentium iterum vel internarum, vel externarum.

93 Eſt & Hiſtoricus Principis, vel nudus narrator geſtorum, vel ſcriptor ſimul, qui ea, quæ tam in ditione Principis, quam extra geruntur in commentarios refert.

94 Egimus de adminiſtro informatore: ſequitur adminiſter rerum gerendarum, qui *Officiarius* ſpeciali voce communiter appellatur.

95 Officiarius ergo vel internus eſt; vel externus.

96 Internus, cuius nempe opera & officio Princeps in ipſa ditione & regno ſuo vtitur, eſtque vel ſimplex, vel mixtus.

97 Simplex vel publicus, vel aulicus.

98 Publicus eſt, qui officium habet tale, quod Reipublicæ, & non tantum aulæ Principis ſeruiat.

99 Publicus officiarius iterum vel magis ad integrum ſiue togatum ſtatum Reipub. pertinet; vel magis ad ſtatum affectum, ſiue bellum.

100 Qui magis togato Reipublicæ statui inseruit, iterum vel generalior est; vel particularior.

101 Generalior, qui ad vniuersalem gubernationis curam siue summā Regiminis adhibetur.

102 Estque vel magis stati officii, vel solennioris tantum.

103 Magis stati officii officiarius vel separatim consideratur vel collectim.

104 Separatim consideratus vel superior est, vel inferior.

105 Superiores sunt; 1, Cancellarius. 2, Vice-Cancellarius. 3, Libellorum supplicum magister. 4, Referendarius. 5, Secretarii maiores.

106 Inferiores sunt; 1, Secretarii minores. 2, Notarii. 3, Scribæ. 4, Tabelliones, & qui his seruiūt.

107 Collectim considerati officiarii constituunt cœtum, qui vsitatè dicitur *Cancelli Principis*, siue, vt loquuntur, *Cancellaria*. In qua spectātur: 1, Membra siue homines ad eam pertinentes. 2, Regimen & ordo in eo cœtu. 3, Instrumēta, quibus homines in eo cœtu vtūtur, & quibus præsunt, vt sunt Literæ, volumina varia. 4, Istorum instrumentorum dispositio, tum per Indices, tum per distincta Loca. Atque ita huc pertinet materia de Archiuis Principis.

108 Magis solennis officiarius generalis est solennium actuum ac conuentuum director, qui impropriè quidem, sed vsitatè tamen *Mareschallus* dicitur. *Plures officiarii generales vel ad specialem Politicam, vel ad statum imperfectum & mixtum, vel deniq; ad Statum non bene constitutum, qui officiariis nimium abundat, referendi sunt.*

109 Sic de officiario gener. Particularis officiarius,

rius, qui non ita ad ſummam totius gubernatio-
nis adhibetur, ſed ad certas gubernationis partes
in ſpecie. Et hic eſt vel mediatus, vt ſunt infor-
matores iuuentutis & doctores populi; vel im-
mediatus qui immediatè partem aliquam guber-
nationis attingit. Qui iterum, vel Superior, vel
Inferior.

110 Superior vel Præfectus, ſiue Proprinceps,
vel Theſaurarius.

111 Præfectus conſideratur vel ratione Pru-
dentis gubernationis, vel ratione adminiſtratio-
nis iuſtitiæ, vt ſit ſimul iudex. *Hodie iſta plerunq;
coniunguntur, vt qui præfecti ſunt adminiſtri Prin-
cipis in gubernãdo, ſimul ſint etiam Iudices & redi-
tuum procuratores, & belli tempore milites ſiue Ca-
pitanei. Qua de re Politici iudicent.*

112 Theſaurarius eſt Procurator redituũ Prin-
cipis, tam ordinariorum, quã extraordinariorũ.

113 Sic de adminiſtro Principis ſuperiori: in-
ferior iterum eſt vel dignior vel indignior. Di-
gnior iterum vel ad regendum & iudicandum, vt
ſunt magiſtratus ac iudices in vrbibus, oppidis,
vicis, pagis; vel ad rerum curam gerendam, vt
præfecti ſyluarum, venatores, præfecti metallifo-
dinarum, &c. Itẽ cuſtodes armamentariorũ Prin-
cipis; vel inſtrumentorum Regiminis ſiue redi-
tuum, vt Quæſtores, Rationarii. Indigniores
ſunt iſtorum omnium ſcribæ & apparitores.

114 Sic de officiariis pertinentibus ad ſtatum
Reip. integrum ſiue togatum: officiarius perti-
nens ad ſtatũ bellicũ eſt vel perpetuus, vel variãs.

115 Perpetuus eſt, 1, Generalis dux exercituum,
& huius vicarius; 2, præfectus equitatus; 3, præ-

fectus peditatus; 4, Vexillifer regni. Varians est, qui tempore belli eligitur. *Sed de officiariis bellicis, vt & aliis omnibus particularibus officiariis suo loco in singulis partibus Regiminis Principalis distinctius docebitur.*

116 Tantum de officiario publico: aulicus officiarius est, qui non tam Reipub. quàm aulæ Principis seruit. *De aula Principis & aulicis administris suo loco agetur.*

117 Egimus de simplici officiario: mixtus est, qui simul & publicum officium & aulicum gerit: vel simul duo aut plura diuersa publica officia gerit, siue in vno siue in diuersis Reip. statibus, nēpe tam togato, quã bellico. *Quæ mixtura officiorũ quatenus probanda vel improbanda sit, merito disputandum fuerit.*

118 Sic etiam de officiario interno: externus est, quo princeps ad exteros vtitur, Vt sunt Agendarii, Legati, de quibus suo loco.

119 Hactenus de administro Principis directo: Indirectus est quo indirectè vtitur, id est, quo vtitur vel occulte, vt est explorator; vel extraordinariè, honorariè, supernumerariè.

120 Etiam ratione temporis distinguitur administer principis in nouitium & veteranum; hic iterum in merentem adhuc, & emeritum.

121 Hæc vsque de causis Regiminis adiuuantibus & de Principis administris: sequitur Regiminis siue curæ & officii Principis partitio.

122 Cura Principis est vel publica; vel aulica.

123 Publica est vel interna siue intra regnum; vel externa, siue extra ditionem & regnum.

124 Interna iterum vel prima; vel orta.

125 Et prima iterum vel magis ad Prudentiá & Sedulitatem Politicam pertinens; vel magis ad Iuris & Iustitiæ administrationem; Quarum illa *gubernationis* & *dispensationis cura* dici potest; hæc *iudicii*.

126 Cura gubernationis & dispensationis est vel prima; vel orta.

127 Prima iterum vel circa homines; vel circa res extra hominem.

128 Cura circa homines iterum vel generalior; vel particularior. Generalior vel circa vitam subditorum, vel circa mortem.

129 Cura circa vitam subditorum iterum vel indeterminatè spectatur, vt nempe Princeps norit: 1, numerum subditorũ & distinctionem per prouincias, districtus, oppida, pagos. 2, vt norit ingenium & qualitates suorum subditorum.

130 Determinatè spectata cura est vel absoluta, vt viuant; vel vt benè viuant subditi.

131 Cura absoluta, vt viuant subditi, est vel circa Natiuitatem subditorum siue modum nascendi, an legitimè nec nec? quô pertinent leges de obstetricibus, de nutricibus; vel circa Victum & annonam, vbi de granariis publicis; de Coloniis ducendis, si aliquis locus omnes subditos alere non possit; vel circa sanitatem subditorum, idque vel in genere, vel in specie tempore contagii & pestis, vbi de prouisoribus sanitatis, de Medicis, de Pharmacopoliis, de Nosodochiis, de ordinationibus tempore pestis: de quibus omnibus in Politico System. vberius tradidimus.

132 Cura, vt bene viuant subditi, est vel primaria: vel secundaria.

133 Primaria cura est, vt decenter & honestè viuant; siue, vt ad virtutem parentur & conformentur subditi.

134 Hæc cura est vel prima, vel orta.

135 Prima est circa ætatis primæ educationem & institutionem. Et hæc vel respectu mentis doctrinâ & disciplinâ excolendæ, vbi Politicæ subordinatur peculiaris disciplina de institutione Scholasticâ: vel respectu corporis, quatenus nempe corpus, est instrumẽtum virtutis: vbi iterum peculiaris disciplina subordinatur Politicæ, nempe Gymnastica, quam dolendum est hodiè magna ex parte intercidisse.

136 Orta cura est circa ætatem maturiorem; quæ cura est vel Ethicarum virtutum, vel Oeconomicarum, vel Politicarum. *Ad has enim triplices virtutes Princeps suos subditos conformare, his virtutibus præmia & pœnas constituere debet.*

137 Cura virtutum Ethicarum est vel generalis, vel specialis. Generalis iterum vel mediata, vel immediata. Mediata quâ omnia prolectamenta vitiorum & impedimenta virtutum à subditis arcentur, vt sunt corruptores morum, item libelli & picturæ infames, & similia, de quibus in Systemate Politico fusius.

138 Immediata cura virtutum Ethicarum est vel dirigentium siue vniuersalium virtutum; vel particularium.

139 Cura virtutum dirigentium est tum analogicè, tum propriè dictarum. Et analogicè dictarum, vel sublimiorum, vt est Amor & Timor diuini Numinis, quantum ad honestatem pertinet; Item Amor virtutis & boni publici; Amor

bonæ

bonæ famæ; vel inferiorum, vt amor ſuiipſius; vbi de iis, qui ſibi ipſis manus violentas inferunt; & amor proximi.

140 Propriè & perfectè dictarum virtutum dirigentium cura eſt tũ Iuſtitiæ vniuerſalis, vt ſubditi conformentur ad generalem obœdientiam & obſeruantiam omnium legum; tum prudentiæ & circumſpectionis; tũ denique conſtantiæ; ſicut iſtæ virtutes in Ethicis ordine traduntur.

141 Cura virtutum Ethicarum particularium eſt vel virtutum perfectè dictarum, vel imperfectè; Et perfectè dictarum iterum vel quoad nos, vel quoad alios, vel denique quoad nos & alios ſimul.

142 Cura Principis in virtutibus quoad nos, id efficere debet, primò, vt ſubditi conformentur ad temperantiam in cibo, potu, venere; vbi de prohibẽdis comeſſationibus, cõuiuiis immoderatis; de prohibendo luxu in veſtitu atque aliis ornamentis externis; de intemperantia in luſu, in choreis auertenda, de ſcortatione & aliis libidinibus, de lenonibus, de lupanaribus prohibendis.

143 Poſt curam Temperantiæ ſequitur cura Autarcias, vt diſcant ſua ſorte eſſe contenti, nec deſideriis in infinitum ferantur. Poſt ſequitur cura ſedulitatis & induſtriæ, vbi de ignauia, de otioſis hominibus, de validis mendicantibus agitur.

144 Deinceps ſequitur cura Æquabilitatis in rebus ſecundis; Cura in ſtudio honoris; Cura fortitudinis ethicè conſideratæ; vbi de ſaturitate nimia & de petulantia, inſolentia & laſciuia, am-

bitione item ex faſtu, prohibendis temerariis duellis, monomachiis, prouocationibus ad arma.

145 Curam virtutum quoad nos, ſequitur cura virtutum ad alios relatarum; vbi primò Principi incũbit cura Iuſtitiæ diſtributiuæ, quâ ſuum cuique tribuitur. Tribuitur autem primò quoad vitam, vbi de iis quæ lædunt corpora, valetudinem & vitam aliorum, atque adeò de prohibendis & ſeuere puniendis homicidis, plagiariis, &c. Poſt ſuum cuique tribuitur quoad famam & honorem, vbi de calumniatoribus, de detrectatoribus, diffamatoribus, de libellorum famoſorum autoribus. Tertio ſuum cuique tribuitur quoad bona fortunæ, vbi de furtis prohibendis & puniendis. Iuſtitiæ diſtributiuæ curam excipit cura Iuſtitiæ commutatiuæ, ſiue iuris priuati & contractuum; vbi de malis artibus & fraudibus in emendo, vendendo, de impoſtoribus, de fidei datæ violatoribus, de ſtellionibus.

146 Poſt curam Iuſtitiæ eſt cura Liberalitatis, Hoſpitalitatis, & dandarum Eleemoſynarum.

147 Poſthæc eſt cura virtutum, partim ad nos, partim ad alios relatarum, vbi Principi incumbit, vt ſubditos aſſuefieri curet ad manſuetudinem, coherceat vindictæ cupiditates. Foueat item ſtudium ciuilitatis & humanitatis inter ſubditos. Item ſtudium tranquillitatis & concordiæ: Item Veracitatis, vt puniat mendacia & periuria, ac futilitatem, præſtigias ſermonis, Sycophantias & Sophiſticas.

148 Reſtat cura virtutum imperfectè dictarum, Pudoris, Verecundiæ, Miſericordiæ, Sympathias,

pathiæ, Immunitatis ab inuidia & æmulatione: quibus virtutibus contrariantia vitia etiam Princeps à subditis prohibere tenetur.

149 Cumque omnis virtus sit vel Communis, vel Heroica, ea quoque cura Principi incumbit, vt homines communibus virtutibus præditos discernat ab iis, in quibus Heroicum quid inest.

150 Sic de cura virtutum Ethicarum generali; Specialis cura virtutum Ethicarum est, quæ primò pertinet ad certum sexum; vbi de discrimine sexus, deque distincto virorum & fœminarum habitu, adeoque de ætatum quoque discrimine, deque puellarum, virginum, iuuenum & senum diuerso moderamine.

151 Oeconomicarum virtutum cura sequitur, vbi primò omnium Principi id incumbit, vt societates domesticæ rectè constituantur, nempe coniugia contrahantur legitimè, vt parentes suos liberos domi rectè educent, liberi parentibus obœdiant, vt famuli & famulæ rectè se gerant, vt pupillis & orphanis prouideatur de idoneis tutoribus, vt ad secunda vota decenter transeant vidui & viduæ.

152 Post etiam videat Princeps, vt possessiones domesticæ se habeant legitimè, tum quoad acquisitionem, tum quoad conseruationem. Faciat, vt subditi possessiones habeant distinctas; animaduertat in eos, qui modum acquirendi nullum habentes, vel arte parasitica vel mendicatò viuunt, cum laborare possint. Videat, vt varia & distincta sint quærendarum facultatum genera. Animaduertat in modos acqui-

rendi illegitimos, vſuras & fœnerationem certis legibus conſtringat; agriculturæ, mercaturæ, opificiis, mercenariis artibus certos modos ponat. Videat etiam, quomodo acquiſita adminiſtrentur & conſeruentur, patres ac matresfamilias, vel in ædium magnifica ſtructura, vel in veſtibus, vel in ſupellectili domeſticâ luxuriantes cohibeat: denique in eos patresfamilias animaduertat, qui re ſua malè vtuntur, & patrimonia liberis debita prodigant: de quibus omnibus ſigillatim in Politico Syſtemate.

153 Supereſt cura virtutum Politicarum, quæ exercentur partim erga vniuerſum Reipub. corpus, ſiue patriam; partim erga Principem; partim erga conciues.

154 Erga vniuerſum Reipublicæ corpus virtus Politica generalis eſt, amor patriæ, & ex amore nata fidelitas, cui opponitur proditio: ſpecialis virtus politica erga vniuerſum corpus pertinet ad ſtatum turbatum; & eſt tum tolerantia in publicis patriæ neceſſitatibus; tum Fortitudo in patria defendenda belli tempore.

155 Amorem patriæ ſubditis innaſci oportebat; fouebit tamen eum & augebit Princeps, tum regiminis forma benè clementerque inſtituta, tum ditionis ſiue regionis iſtius, cui præeſt, ad omnem commoditatem inſtitutâ culturâ.

156 Ad Tolerantiam malorum ſubditi, tum admonitionibus publicis, tum ipſa neceſſitate ſubinde vrgente condocefient. *Nam Lacedæmoniorum inſtitutum, quo ad tolerantiam ſubditos ſuos aſſuefaciebant, locum hodie nullum amplius in Rebuſpub. inueniet.*

157 For-

157 Fortitudinis ciuicæ perfectè sic dictæ & defensatricis patriæ assuefactio & exercitia vtilia inprimis Reip. & necessaria sunt, cum illâ virtute magis Respublicæ & creuerint olim, & hodie adhuc in tuto collocentur. Et quamuis subinde periculosum sit subditis arma in manus dare, tamen si Princeps ita regat, vt nihil à subditis sibi metuere possit, omninò & arma subditis permittenda, & crebra exercitia ac præludia belli instituenda ad vsum Reip. fuerint.

158 Exercitia autem ista & præludia bellica, vel in genere spectantur, vel in specie.

159 Præludia bellica in genere spectata sic instituenda sunt, vt habeant, 1. certum tempus, 2. certum locum, 3. certos præfectos ac directores, 4. certam formam ac modum, tum in armis ipsis, tum in armorum vsu, atq; adeò in vmbratili acie & pugna.

160 In specie præludium bellicum est vel armorum, vel operis. Exercitium armorum est, quo assuefiunt ad omne genus armorum tractā-dum. Nempe vel ad arma defensiua vel offensiua, ad arma versatilia & iaculatoria; atq; adeò ad sclopeta, ad arma deniq; maiora & minora. Operis exercitium est; quo assuefiunt ad ordinem seruandum, ad castra ponenda, ad cursum, ad natandum.

161 Vtrumq; exercitium, tàm armorum, quàm operis, est vel peditum, qui peculiariter assuefaciendi sunt ad sua arma pedestria tractanda, tàm ad inferēdū ictum, quàm auertendum & defendendum; ad suos in acie pedestri ordines, ad gradum militarem, & ad saltum militarem; vel equi-

tum, qui assuefaciendi sunt ad celerem equi ascẽsum & descensum, & ad sua arma equestria, ac ordines in acie equestri seruandos.

162 Sunt & præludia bellica alia tironum; alia eorum, qui diuturnitate exercitii didicerunt & arma tractare, & opus militare peragere; interim tamen adhuc detinendi sunt in illis exercitiis, vt laboribus militaribus magis ac magis insuescant, nec eorum, quæ ante didicerant, obliuiscantur.

163 Iam porrò ad eas quoque virtutes Politicas assuefaciendi sunt subditi, quæ ipsum principem singulariter concernunt, vt est. 1, Amor & fidelitas. 2, Obœdientia. 3, Cultus & obseruantia. Id quod fiet primò optimâ formâ regiminis, secundò ipsâ Principis virtute & exemplo: vt enim ignis ex igne accenditur, ita ex virtute virtus; deniq; fiet etiam præmiis & pœnis, de quibus vtrisque suo loco.

164 Denique ad eas virtutes ducendi sunt subditi, quæ ipsos inter se subditos ac ciues concernunt, vt est primò amor mutuus & concordia in sententiis, & fides in contractibus, post beneuolentia mutua in præstandis officiis ciuilibus. Quarum virtutum assuefactio pendet; primò à prudentia & dexteritate componendi lites sine processu iudiciali; Secundò, ab administratione æqua Iuris ac Iustitiæ. Tertiò, à prudentia & seueritate, quâ factiones inter subditos vel auertuntur, ne oriantur; vel tolluntur, si ortæ sunt, ne ira degeneret in odium, quod omnem amorem & concordiam, ac beneuolentiam mutuam ipsa diuturnitate extinguit.

165 Expe-

165 Expediuimus doctrinam de officio & cura Principis primaria, quæ in eo consistit, vt subditi viuant honestè; restat cura secundaria, quâ nimirum id agit, vt subditi viuant honorificè & commodè, siue iucundè.

166 Honorificam vitam subditis procurabit Princeps mediis partim internis, partim externis. Internum medium est ipsa virtus, tùm Principis tanquam capitis, tum subditorum. Virtutem enim necessariò sequitur honor. Itaq; si honorificum imperium Princeps quærit, si vult subditos suos non contemni & rideri ab exteris, sed magni fieri & honorari; primò virtutem ipse colat, & prudenter imperet; pòst curet, vt subditi sint virtute prædit.

167 Externum medium partim est naturale, partim morale. Naturale medium est, primò in corporis forma ac proportione: Curare.n. Princeps debet, quantum quidem in ipso est, vt rectè nascantur sine formâ monstrosa subditi, sine mẽbris distortis aut mutilis. Post in idiomate, quo vtuntur, ne id sit in sono & pronunciatione rusticum & absonum. Morale medium est ciuilitas in gestibus & moribus externis; adeoque etiam in vestitu & alia supellectile; inciuilitas enim agrestis in gestibus, vestitu & moribus magnam maculam integris gentibus solet inurere.

168 Sic de vitâ subditorum honorifica. Procuratio vitæ iucundæ & commodæ pendet etiam, primò à virtute Principis, atque adeò ex recta aptaque Regiminis forma; pòst à virtute subditorum; qui enim virtutem habet,

facilè iucunditatem & commoditatem viuendi inueniet; tertiò à rerum naturalium, ad victum & sanitatem pertinentium, tum copiâ, tum varietate; denique à copia & varietate rerum artificialiũ, ad amictum, ad ædificia apta, & ad reliquam supellectilem, tàm togatam quàm bellicam pertinentium.

169 Copia autem & varietas rerum, ad victum & sanitatem pertinentium, duobus mediis parabitur, quorum prius est internum; alterum externum. Internum medium est primò populositas; vt nempe Princeps loca omnia sui regni vndiq; habitatoribus compleat, ne patiatur multas regni partes esse vacuas; sique incolæ non sufficiant ad omnes regionis districtus occupandos & habitandos, exteros homines in terra colenda industrios, in regnum suum vel inuitet; vel si vltrò veniant, & suspicio nulla iusta, aut causa sit excludendi, lubens suscipiat, iisque partes regni sui incultas distribuat; ad incolendum & excolendum enim & alterum continuò medium sequetur, nempe agrorum & hortorum frequens cultura & fertilitas ac iucunditas, quæ plurimum adiuuabitur amœnitate fluminum, fontium, syluarum. Quod si incolæ nimium augeantur, & terra omnibus commodè alendis non sufficiat, vel coloniæ deducendæ aliò fuerint, vel alia remedia quærenda. Externum medium erit mercatura, & importatio commeatus ab exteris, quæ potissimum à portus commoditate pendet, & à bono quodam ordine rei mercatoriæ.

170 Artificialium rerum commoditas itidem pendet partim ab interno medio, vt nempe

Princeps

Princeps studeat ditionem suam complere omni genere variorum opificum & artificum; partim à remedio externo, vt eæ res artificiales, quæ in regno parari non possunt, aliunde oportunè aduehantur. Quibus additur minus principale mediũ iucundæ vitæ, nempe honesta ac moderata conuiuia, ludi & spectacula, quibus modum ac leges certas Princeps statuet, ne dum iucunditas quæritur, labefactetur honestas.

171 Hucvsque de cura Principis circa vitam subditorum, vt ea sit honesta, honorifica & commoda, in quibus tribus capitibus tota cultura gentis consistit. Superest cura Principis circa mortem subditorum, quæ quidem spectat vel antecedentia mortis, vel consequentia.

172 Cura spectans antecedentia mortis, pertinet tùm ad Dispositiones Testamentarias & Legata; tum, vt moribundis nulla molestia facessatur ab iis, qui solent aliquid captare apud eos, qui morti vicini sunt.

173 Cura spectans consequentia mortis, vel ad sepulturę ritum pertinet, vel ad ea, quæ à mortuis relinquuntur.

174 Circa sepulturæ ritum spectatur, primò, mora, quâ cadauera seruanda sint. qua in re necessarium est, certum aliquid à Principe præscribi. Secundò, locus sepulturæ siue cœmeteria, quę extra vrbes & hominum cœtus esse, ex vsu viuétium est. Tertiò, pompa funebris. Quartò, Libitinarii, Vespillones, & alii funerum & exequiarũ administri, quibus omnibus certæ dispositiones & sanctiones ponendæ sunt.

Atq; ita complexi sumus totam doctrinam de Regimine Principis in genere, de Regiminis istius Norma, de partibus essentialibus, de Causis adiuuãtib. siue administris, deq; Cura circa vitam & mortem subditorum in commune spectatorum. Quæ materia sanè amplissima magnam omninò disciplinæ Politicæ partem continebat; ita, vt necesse fuerit & prolixiores, quàm antehac, Theses scribere, & in tãta rerum Politicarum varietate, distinctionibus, & partitionibus vti. Id quod & posthac faciendum omninò fuerit, si rectè docere velimus, siq; augustissimæ huius Disciplinæ methodum non confusam, sed distinctam, plenam ac planam ad disponendos Locos communes Politicos, & ad alios vsus necessarios adornare velimus, & Principibus ac Magistratibus exactum aliquem calculum subducere omnium & singularum curarum, quas nosse eos distinctè & methodicè oportebat, si illo officio rectè defungi debeant; quo vt nullum est in rebus humanis diuinius, ita nullum quoq; difficilius, nullum quod tàm vario & multiplici curarum genere distrahatur.

PROBLE-

PROBLEMATA.

I An melius sit Principem secundum leges; an verò sine legibus certis, pro viri boni ac prudentis sensu imperare & iudicare?

NOn leuis ista in Politicis disputatio est ab Aristotele mota, & postea ab aliis Politicis variè agitata, inter quos Fr. Patricius est, qui lib. 1. de Repub. tt. 5. ita inquit: Optimam Rempub. appellabo, in qua non sin- „ guli aut plures ad nutum suæ voluntatis imperant, sed „ eam, in qua lex tantum dominatur. Et addit rationem: „ Fit enim, inquiens, plerumque, vt affectibus iudicia „ hominum perturbentur, & alium amor, alium odium, „ alium spes, alium metus, alium ambitio, aut auaritia „ compellat ea iudicare, quæ non modò iniusta, verum „ etiam contra mentem eius sunt, qui iudicat. Et hoc de- „ clarat exemplo: Philippus, inquit Macedo, cum Ma- „ chetæ causam, quam negligentius audiuerat, perperá „ iudicasset, exclamaretque Macheta, *& se prouocare dice-* „ *ret*, iratus admodum ait, *ad quem prouocas?* At ille: *Ad te* „ *ipsum, cum attentius me audieris.* Et tunc quidem iudi- „ cium distulit Philippus: at paulò pòst, cum ad se redi- „ isset, diligentiusque rem cogitasset, sententiam muta- „ uit, Machetæ ius neutiquam per desidiam suam pessun- „ dari passus. Deinde sequitur: Lex autem nullo affectu „ mouetur, non irascitur, non odit, nulla ambitione du- „ citur, diligit omnes, pariterque omnibus iudulget, quę „ dum dominatur, nunquam permittit aliquem per am- „ bitionem surgere, qui populum ducat, turbulentasq; a- „ ctiones agat, sed optimè ciuium Rempub. gubernat. Et „ Bodin. lib. 6. de Rep. c. 6. dicit: *Non Magistratus de lege, sed* „ *secundum legem iudicare necesse est, aut infamiæ notam sub-ire*, l. seruos ad l. Iuliam de Adult. Et paulò pòst: *Extat,* inquit, *Luitprandi Regis Longobardorum lex, qua Magistratus 40. solidis mulctatur, qui quid contra leges iudicarit.* Hactenus ille. Multa etiã Gaspar Contarenus lib. 1. de Venet.

Repub. in hanc ſententiam diſputat, inquiens; Non ſatis erit Reip. conſultum, ſi gubernatio homini committatur, quem brutæ illæ vires perturbant, atque à recta ſemita reuocant rationis, ſed menti puræ ac motionum animi experti id munus deferendum eſt. Quamobrem diuino quodam conſilio, cum alia ratione id fieri non poſſet, inuentis legibus hoc aſſecutum humanum genus videtur, vt menti tantum ac rationi nullis perturbationibus obnoxiæ hoc regendi hominum cœtus officium demandatum ſit. Quocirca haud ſcio, an hominum generi à natura omnium parente nihil hac legum inuentione maius conceſſum fuerit; quæ etiam iure Diis immortalibus ab antiquitate fuit conſecrata. Quin & Ariſtoteles in libello de mundo nil aliud reperit, cui ſimilem Deum optimum faciat præter antiquam legem in ciuitate recte inſtituta. Et in 3. Politicorum, legem, inquit, eſſe mentem ſine appetitu, proinde ac ſi diceret, mentem puram, lucidam, nullis affectuum morbis infectam. Et tandem concludit: Ex his iam perſuaſum eſſe reor, ſummam imperii commendandam eſſe legibus, non homini; Quam pauciſſima verò, quando legibus comprehendi non poſſunt, hominis arbitrio permittenda. Qui hæc latius cognoſcere cupit, videat ipſum autorem dicto loco. Contrà verò hæc omnia Caſus arguit libro 3. Sphæræ Ciuit. cap. 11. & pro Regis dominio ſex affert rationes; quarum 1. Lex ſolùm vniuerſim loquitur, & ſæpè in rebus ſingulis, contingentibus, & futuris deficit. Ergo, &c. 2, Vt medicus non eſt ita iuratus in ſingula artis præcepta, quin aliquando pro ſua prudentia agat; ita moderator non eſt ita adſtrictus legibus, quin ſæpe pro arbitrio in ciuitate regat. 3, Lex eſt ſolùm muta rationis regula, at princeps eſt lux & vita ciuitatis. 4, Ciuitas rectè adminiſtrari poteſt ſine lege, at ſine magiſtratu non poteſt; Ergo, &c. 5, Ciuis magis Regi, quàm legi ſeruit; quis enim ſcriptum timet? quis regis ſceptrum non veretur? lex gladium non habet quo percutiat, at Rex habet, quo putrida ciuitatis membra parteſque corruptas tollat. Denique 6, Lex à Principe vim ſuam & authoritatem habet

habet, non Princeps à lege. Cæterùm vt hanc controuersiam determinemus, sciendum est; legem, & boni prudentisque principis sententiam non differre reipsa, ita vt princeps, qui ex prudentiæ & iustitiæ dictaminib. imperat, idem quoque secundum Leges imperet, & cõtra. Nam lex nihil est aliud quàm sententia & dictamen rectę rationis in eo, qui imperandi ius habet. Differunt ergo ista tantùm modo quodam & respectu externo, ita vt Lex vsitatè sumatur pro recta ratione certis formulis concepta & scripta. Et ita quidem Lex erit sententia prudentis & iusti Principis, atque adeò norma regiminis magis euidens & firma. Ità vt omninò optandum sit, Principes imperare secundum euidentes & stabiles Regulas, id est, Leges certis formulis conceptas. At interim, quia tales formulæ generales sunt, & quia sæpe requiritur vel explicatio, vel accõmodatio ad certas circumstantias vel abrogatio, vel obrogatio, ideò ad istas sententias Principis certis formulis conceptas necesse est accedere alias sententias Principis certis formulis non conceptas, sed ex specialibus rerum singularum circumstantiis natas, quę non tam sunt ipsæ Leges, quàm Principis functio circa Legem.

2 *Num consultum sit Principem leges, vel consuetudines à maioribus introductas mutare?*

Non minus nobile & hoc apud Politicos est problema, quo nempe disputant, *an Leges mutandæ sint, & an meliore inuenta lege prior minus commoda sit abolenda, atque substituenda melior?* si enim, vt prouerbio dicitur, omnis mutatio est periculosa, sanè legum mutatio omnium erit periculosissima. Et Castellanus quidem libro 3. De offic. Regis cap. 22. non permittendum esse docet, vt boni mores immutentur, nec rectum esse, vt nouis moribus leges veteres in desuetudinem abeant, id quod Platonis, primò probat autoritate, qui externos mores non censuit in Rempub. admittendos. Deinde malè, ait, Iurisconsulti sentiunt, in quibus est Iulianus, qui, inquit, Rectissimè illud receptum est, vt leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito omnium

consensu per desuetudinem abrogentur, *ff. lib.* 1. *tt.* 3. si enim hæc potestas populo detur, omnia hæc in peius ruent. Patritius lib. 5. de Repub. tt. 5. Aristoteles, inquit, legem communem esse dicit ciuitatis consensum, qui scriptis mandat, quomodo vnumquodq; agendum aut non agendum sit: præcipit enim recta (vt Cicero ait) praua autem depellit; eius namque virtus est, vt Modestinus refert, imperare, vetare, punire, permittere; & sanè imprimis videndum vt ea Reipub. rectè accommodetur, non autem Respub. legi. Proinde falsum est, quod à quibusdam dicitur, leges omnes omnibus ciuitatibus conuenire. Et paulò post: Videndum igitur erit, quo in populo, quaue in vrbe leges præscribendæ sint, si Reipub. optimè consultum esse velimus: tempora enim efficiunt propter vicissitudinem suam, vt non omnes leges perpetuò stabiles sint, sed eis quandoque derogandum, quandoque abrogandum sit aliquid. Mutatio enim morum plerumque legum mutationem exigere videtur. Bodinus verò lib. 4. de Repub. cap. 3. quæstionem
„ hanc tractans: Nondum, inquit, inter ipsos sapientes il-
„ lud conuenit, An lex iniqua, quæ sua vetustate nititur,
„ antiquari debeat, vt noua vtilior feratur? quia lex o-
„ ptima fit pernitiosa, si sua nouitate cæterarum legum
„ afferat contemptum: Ipsa verò vetustatis species tam
„ cara est cuique; vt lex antiqua sine magistratibus se-
„ ipsam tueri facilè possit: legum verò nouitas, vix vlla
„ præmiorum spe, aut metu pœnarum aut magistratuum
„ officiis consistere potest; In summa nihil ferè est exitu
„ pernitiosius legum nouitate, si de statu Reipub. quæra-
„ tur. Atque hæc ratio magni ponderis semper mihi
„ visa est, eoque maius periculum imminet, si leges, qui-
„ bus stat Respub. à Principe mutari aut moueri contige-
„ rit. Nam leges, quæ seruitutum ac testamentorum iu-
„ ra continent, quæque de rebus rationibusque contra-
„ hendis feruntur, interdum mutari conuenit, vt melio-
„ ribus locus sit: Sed qui leges, quæ ad statum Reipublicæ
„ pertinent, mutare salua Republica conatur, perinde fa-
„ cit vt ii, qui ædium altissimarum substructiones ac fun-
„ damenta renouare se posse putant saluis ædibus, quæ

nisi

nisi fuant, plus tamen ipsa concussio domus incommodi, quàm noua materia vtilitatis est allatura. Et paulò pòst: Quod si pleraſque leges mutari ſæpius oporteat, inquit, vt de annona, de mercibus inuehendis aut euehendis, de pœnarum acerbitate aut lenitate, quæ paruo momento mutabiles ſunt, aſſentior ego quidem, cum vis ipſius neceſſitatis nulla legum obligatione teneatur: leges enim nouæ ſi ſpem afferunt, vt tanquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ: ſed agitur de legibus, quæ ſtatum ciuitatis continent, quas ſi fieri poſſit immutabiles eſſe velim & optem, non quia Reipub. legibus inſeruire debeat, cum Reipub. ac ſocietatis tuendæ cauſa leges omnes ferantur, ſed quia leges Reipub. cauſa quiſquam ſaluas eſſe velit. Eſt enim hæc rerum omnium publicarum prima ac præcipua regula: *Salus populi ſuprema lex eſto.* Nam quæ ratio Themiſtoclem mouit, vt vrbem Athenienſium mœnibus ac propugnaculis muniret, eadem ratio Theramenem adduxit, vt mœnia diruenda ſuaderet, id eſt, ſalus populi; alioqui ciuitatem vna cum ciuibus Lacedæmoniis perdidiſſent. Nulla igitur tam ſancta lex eſt, quam non oporteat vrgente neceſſitate mutari. Præſtat autem, inquit ibidem Bodinus, legis conditionem vtcunque iniquam ferre, & paulatim non vtendo antiquare, quam momento abrogare; id quod prudenter Senatum Baſilienſem obſeruaſſe aſſerit, qui deſertâ Pontificis Romani religione (quam exſecrabatur) Monachos ac veſtales de veteri poſſeſſione eiicere noluit, ſed impoſterum nouos admitti vetuit, vt collegia illa morte Collegarum paulatim extinguerentur. Simili etiam modo Iohannes Caſus libro ſecundo Sphæræ ciuitatis capite ſexto, idem problema in vtramque partem examinat, & deciſionem tandem addit: Nec non & Iunius in quæſtionibus Politicis parte 3. idem diuerſimodè ventilat, ſed indeciſum relinquit. Videri etiam poteſt Guerinus Piſo in tractatu de Romanorum & Venetorum magiſtratuum collatione. Nos moderatiores ſecuti Politicos, ita ſentimus: quod etſi præſcribat ratio, vt meliorib. legib. inuentis antiquiores è tabulis ciuitatis

dispungantur, tamen si populi consensus hac in parte non sit, cicatrix potius feratur, quam nouum lethale vulnus infligatur; siquidem languentem ægrotum præstet quoquo modo moderata victus ratione sustentare, quam incurabili morbo eam medicinam, quæ vitam auferat, adhibere. Si verò alio modo Reipub. salus conseruari non potest, sed summa legis mutationem flagitet necessitas, tùm sanè id sensim ac prudenter fieri debet, trib. his obseruatis cautionibus, 1, vt præcedat diuturna consultatio. 2, vt veterum legum etiam habeatur ratio. 3, vt mutatio accommodetur ad gentis naturam, mores & consuetudines illas, quas homo mutare non potest. Nam aliàs vt in corpore victus mutatio, si sit subitanea & inconsueta, morbum, ita etiam in ciuitate legis mutatio, si sit inconsiderata & subita, malum gignit.

3 *Cur Princeps non suo tantùm consilio rem gerere; sed etiam prudentes consiliarios sibi adsciscere debeat?*

Sanè si tales semper liceret habere Principes, qualium Bodinus lib. 3. de Repub. cap. 1. ab initio meminit, „ vbi, inquit, Tanta interdum est Principum solertia, vel „ suspecta suorum æquè ac posterorum fides, vt seipso „ meliorem & prudentiorem, quem consulere possint, „ habeant neminem, vt quidem de Antigono Asiæ, de Lu„ douico XI. Franc. Rege, cuius vestigiis insistere Carolus „ V. non dubitauit, item de Caio Cæsare legimus, qui rerum gerendarum tam occulta consilia capere consueuerunt, vt prius confectæ essent, quam consilium captũ putaretur: ita res maximas illi bello ac pace gesserunt, potentissimorumque hostium opes, quas nulla vi poterant, sapientissimis consiliis fregerunt: Si, inquam, tales semper Principes haberemus, nihil quod Principi perfecto amplius esset necessarium, postularemus. Verùm cum teste Contareno libro 1. De Venet. Repub. rari admodum sint homines & prudentiâ & probitate præditi, & optandus magis eiusmodi sit Princeps, qui suo consilio cuncta administrare possit, quàm cui potestas cuncta feliciter exequendi data sit, idque propter naturæ humanæ

humanæ imbecillitatem, ſiquidem ſeipſum noſſe, iuxta prouerbium, eſt difficillimum, de quo eleganter Plato 5. de legib. Vbi, cum, inquit, omnes homines benè de ſe exiſtiment, ſeque diligant naturâ, non mirum eſt, ſi cœci ſimus, vbi de noſtris rebus agitur: vnde etiam hoc omnium ferè vitium ſignificantes veteres confinxerunt fabellam, cuius meminit Plutarchus: Eſſe nimirum mulierem quandam nomine Lamiam, domi cœcam, foris oculatam, quæ cùm domeſticis ſe continet parietibus exemptos ſibi oculos in vaſculo conſeruet, cum verò prodire velit in publicum, eoſdem repetat & ſuo vtrumque loco reponat. Idcirco in gubernando prudentium conſiliorum admiſſio ſapientiæ & proſperitatis menſura ſemper eſt habita, ſicut hoc docet Bodinus his verbis; Cùm ſapientiæ decus ac ſplendor rariſſimè inter mortales eluceat, rarius etiam inter Principes, quos immortalis Dei munere & conceſſu hominum generi datos gratis animis excipere debemus, nihil maius ac melius optandum reſtat, quàm vt prudentium hominum conſiliis, ac prudentia, à qua deſeruntur, vti velint, alioqui inanis ſit eius Principis ſapientia iudicamus, qui improborum hominum corona circumſeſſus Rempub. opprimi patiatur. Optimis igitur conſiliis non ſolum in rebus grauiſſimis, ſed etiam in mediocribus ac minimis (quanquam nihil minimum debet videri, quod ad Rempub. ſpectet) Principem vti oportere iudicamus: quia nihil tanti ponderis eſt, ac momenti ad res agendas in omni Rerumpub. genere, quàm ſenatus autoritate & conſilio decerni, eoque magis, ſi dubitetur, vtile ſit nec ne quod Princeps velit. Quod quidem optimè omnium referente Toloſano Romulus obſeruauit, qui cum orbis Reginam Romam legibus informare vellet, ex tota multitudine centum ad conſilia danda eligebat. Cuius exemplum laudatiſſimi quique Imperatores ſecuti ſunt; ſicuti de Traiano, Adriano, Theodoſio, Valentiniano, Tiberio, Veſpaſiano, & aliis memoriæ proditum eſt. Norunt enim illi Imperatores ſuperbi potius iam iam ruinam minitantis quàm ſapientis Principis eſſe iudicium, grauiſſimos iſtos labores, quibus orbem terræ compeſcit, ſine ad-

miniculis aggredi, tantamque fortunam ſine adiutoribus gubernare velle, vt teſtantur exempla turpiſſimorum & crudeliſſimorum Imperatorum, Heliogabali, Baſſiani, Neronis, Caligulæ: item Diocletiani, qui bonis conſiliariis deſtitutus, poſtquam videbat ſe videntem & ſcientem adeò turpiter ab aulicis aſſentatoribus circumduci & eludi, tædio imperii in priuatam vitam diſcedebat, vt Salonis in patria oluſcula ſereret. Sed quid adducimus profana, vbi ſuppetunt nobis ſacra? Quis enim vnquam præter Salomonem maiori prudentia, quis maiori ſapientia hominum memoriâ præditus fuiſſe perhibetur, quam Moſes fuit? hic tamen ſoceri conſilium de Iuriſdictione aliis mandanda non eſt aſpernatus, ſed potius quæ ille monuit, in eo genere eſt exſecutus. Imò ipſe Deus, vbi Senatum Iſraelitarum cõſtituere voluit, *Cogite[illegible] hi*, dixit, *ſeptuaginta ſeniores, qui ceteris ſapientiâ, prudentiâ ac ſcientia præſtent.* Sapientia quidem pietatem ab impietate, prudentia turpe ab honeſto, ſcientia verum a falſo diſcernit. Eſt igitur maximè cauendum Regi, ne nimium confidens tantum ſuæ prudentię attribuat, vt ſe monentibus claudendas aures eſſe exiſtimet, idque propter has cauſas, quia ἰδιοι βουλευ-ταὶ, id eſt illi, qui propriis tantum vtuntur conſiliis, in calamitatibus & difficultatibus ab amicis deſtituuntur, vt paulò antè Diocletiani exemplo oſtendimus. 2, Quia certæ ruinæ regnorum hoc eſt prognoſticon, quando vel deſunt boni conſiliarii, vel eos Princeps nolit audire, vt teſtis eſt Saluſtius; *Omnia regna*, inquit, *ciuitates, nationes proſperum eousq; imperium habuerunt, dum apud eos vera conſilia valuerunt; vbi gratia, timor, voluptas, auaritia conſilia corruperunt, ſtatim imminuta ſunt opes: deinde, ademptum imperium; poſtremò ipſa ſeruitus impoſita fuit.* Denique 3. per conſilia Principes alioquin ſtupidi & fatui, poſſunt tamen fieri ſapientes & ſalutares Reipub. ſiquidem plus vident oculi, vt prouerbio dicitur, quàm oculus.

4 *Quinam à Principe ad conſilia ſint adhibendi?*

Quoniam rariſſimi ſunt viri eiuſmodi, dicit Caſtellanus,

lanus, qui prudentia, integritate & iustitia præditi, Regum Consiliarii esse possint, dispiciunda ratio est, quâ tales viri comparari queant. Non autem appositi sunt (mox addit) huic muneri, qui non benè honestéque res suas proprias administrarunt; nam, si vel malis artibus auxerint rem familiarem, vel decoxerint, non est sperandum, vt inquit Isocrates, in alienis negotiis eos meliores fore. Illud igitur (pergit) inprimis est videndū, vt optimi & prudentissimi sint illius mores, qui ad regiam amicitiam est adsciscendus. Nam, vt rectè ait Aristoteles, amicitiæ, quæ contrahuntur vel voluptatis, vel vtilitatis causa, non diu permanent: illę tantum firmæ sūt, quæ à virtute, quæ stabilis res est, originem traxerunt. Nec tamen sufficit viri probitas; nam si viro bono demandetur cura gubernandæ nauis, si eidem summa imperii in periculis Reip. deferatur, qui sit rudis in vtroque genere, maximum subest periculum & naufragii, & Reipub. cladis. Sit igitur, inquit, etiam prudens oportet: perbellè itaque Virgilius dicitur Augusto respondisse; Cum enim quæreret Imperator, qua ratione ciuitas feliciter gubernaretur? Si, inquit ille, prudentiores clauū teneant, & boni viri malis præponantur. Cuius rei egregium est in Nerone, & Traiano exemplum. Nullus enim certè, extitit Principum, qui extra rei militaris scientiam minus habuerit literarum, quàm Traianus; Nerone vero nullus fuit doctior; hic tamen sceleribus, ille virtutibus parem habuit neminem: hic senatum capitaliter odit, ille omnia senatus consilia gessit. Suos verò domesticos, cubicularios, imò nec coniugem Princeps ad consilia secretiora temerè adhibeat, præterquam enim quod rara in ipsis sint prudentia, consilium, taciturnitas, incipit etiam apud eos Principis vilescere autoritas, quem ipsorum putant indigere auxilio, cùm videatur hoc quodammodo cum perfecti Principis natura pugnare, vt omnes promiscuè consulat. Sed nec Sacerdotes ad consultandum de negotiis Politicis à Principe aduocandos esse, monent grauissimi Politici; Tolosanus nempe lib.10.cap.3.& lib.24.c.6. Patritius lib.3. de Rep.tit.4. Casus lib.4.c.15.

5 *An conueniens sit Principem exploratoribus vti?*

Expreſsè Ariſtoteles 5. Polit. cap. 11. hoc Tyrannis aſſignat proprium τοὺς κατασκόπους καὶ ὠτακουστὰς ἔχειν, *Exploratores & corycæos habere*; quod ibidem Hieronis Tyranni Syracuſani probat exemplo; qui cum multa iniquè ageret, exploratores in angulis ciuitatis Syracuſanæ collocauit. Quod idem & alii fecerunt Tyranni: vt Dionyſius Syracuſanus, qui nimis patulas delatoribus aures præbuit, ſic, vt nec per diem quieto animo eſſe, neç per noctem ſomnum capere potuerit. Nero item Imperator, qui tantum delatoribus detulit, vt falſa etiam pro liquidis accepta quamprimum grauiſſimè ſæuiſſiméque vltus fuerit. vnde iam concludi poteſt: *Principi exploratores minimè eſſe concedendos.* Nec deſunt ſanè rationes & autoritates, quibus idem aſſeritur. Nā primò Principem quod attinet, arguit hoc ipſum humilem in eo & abiectum animum, vt monet Ceriolanus, qui facilè Reipub. ſalutem negligere & peſſundare poſſit. Deinde quod ad ſubditos, metum hoc ipſis ſeruilem incutit, ita, vt non tam ſponte ſua Principi obtemperent, quàm inuitò ſeruiant: & deinde ſeditioſos & rebelles eos contra Principem facit, ita vt non tantum ipſum odio habeant, ſed etiam de medio ſublatum cupiant. Sic autem de delatoribus Plinius:
„ Vidimus, inquit, delatorum iudicium quaſi graſſa-
„ torum; non ſolitudinem illi, ſed templum, ſed forum
„ inſederant; nulla teſtamenta ſecura, nullus ſtatus
„ certus, non orbitas, non liberi proderant. Et Taci-
„ tus *Delatores* vocat hominum genus publico exitio
„ repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum.
Hinc Caſus eos cancris & lupis comparat, cùm vt cancri, inquit, inter roſas, lupi inter oues; ita exploratores inter ciues, libro 5. capite 11. Verùm hæc non eo conſilio dicimus, vt affirmemus delatores omninò à regio aſpectu arcendos eſſe, verumque illis dicentibus fidem nullam habendam; ſed vt cautè rem diſcutiamus; ſiquidem incidant interdum tempora, in quibus ea deferantur, quæ non modo vtilia, ſed & ſalutaria Principi eſſe poſſunt.

Et ſiç

Et sic pro iis primo hæc certant argumenta. Quoniam enim ex Solonis voce, in maximis rebus administrandis difficillimũ factu sit omnibus omninò placere posse, & proinde ille laudandus, qui cum imperat aliis, meminerit se Principem esse, & inuidiæ calumniisque multorum obnoxium, in quem ciues omnes ora obuertunt sua, nec tam bene facta laudant, quam minus bellè acta vituperant, linguasque in Principem sic vibrant, vt trilingues serpentes, & in eum solum omnia inuidiæ spicula dirigunt, vt sagittarii omnes in præfinitum scopum; idcirco exploratores Princeps alat, per quos mores populi quos ipse expiscari non potest, cognoscat, quo facilius se ipsis accommodare, & quos vi non potest, obliquo imperio regere discat. Deinde cum constet Iulium Cæsarem, si delatorios libellos è vestigio lectitasset, nec præ magnitudine animi contempsisset, oportunitatem sui interimendi coniuratis non fuisse præbiturum; ideo Principem hoc olfacere oportet, quid inter subditos agatur, quid illi moueant, ita vt seditionum & proditionum periculis maturè occurri possit: quoniam verò ipsemet id præstare non potest, exploratoribus ipsi ad hoc munus vti licebit. Accedunt rationibus autoritates; 1, Sacrarum literarum, quæ in hanc sententiam allegantur ex Ecclesiaste, *quando, ne quidem*, inquiunt, *in conscientia tua Regi maledicito, nam vel aues cœli perferent vocem*: vbi nonnulli docti interpretes per *aues* intelligunt *exploratores*. 2, Iuris ciuilis, quod lege Papia delatoribus præmia constituit, nempe dimidium mulctæ. 3, Denique Platonis, qui Exploratores in Republ. sua esse iubet teste Alberico Gentili. His ita in vtramque partem præmissis, sic cum Patricio statuimus, qui, Peripateticorum, inquit, sanctam sectabimur mediocritatem: nec faciles nimium delatoribus erimus, nec difficiles nimium; vt enim nimia facilitas eos ad calumniam inuitat, sic nimia difficultas à veritate absterret. Et cum Caso; qui, Vsum, inquit, veneni aliquando inter salutares medicinas admittimus: vt ergo ex viperinis carnibus, Mithridaticum, ita aliquando ex serpentinis istis auscultatoribus vtile subsidium in ciuitate nasci-

Cap. 10. v. 20.

3. de legib.

Lib. 4. Reg. disp. cap. 4.

Lib. 5, I, 11.

tur. Verum hęc κεστήεια in exploratorum vſu diligenter obſeruentur Principi: 1, Vt eos non omni tempore fouendos eſſe cogitet, ſed vbi vel inteſtinæ ſeditionis vehemens eſt ſuſpicio, vbi ab externo hoſte metuitur Regni inuaſio. 2, Vt eos imprimis moneat, vt vera loquantur, & increpet admodum, ne ficta comminiſcantur: Princeps enim, qui delatores varios non coercet, vltro eos ad nequitias impellit, vt Domitianus Cæſar dicere eſt ſolitus, qui etiam fiſcales calumnias magna calumniantium pœna retaliabat.

Caſus dicto loco. Patricius citato loco. Vide Toloſ. lib. 32. c. 4.

Antimach. li. 1. Theor. 2.

6 *Quid de Spuriis in Republicâ ſtatuendum?*

Cùm prima omnium in humano genere maris & fœminæ legitima coniunctio ſancta exiſtat, & indiuidua, ſic, vt ex ea, eiuſque liberis tanquam priore & ſimpliciore ſtatu, iſtam hominum ſocietatem, quæ Reſpub. dicitur, originem ſuam ducere & conſtare oporteat; ille certè furtiuus fornicantium congreſſus, ex quo nothus concipitur & naſcitur, illegitimus erit & abominandus: Ita vt multi ſentiant ſpurios inter Reipub. ciues numerandos non eſſe, multo minus ad honorum faſtigia euehendos. Secus ſi fiat, non tantum dedecorari Reſpub. ſed etiam funeſtari. Spurium ſane Gideonis Abimelech, vt poſt patris ſui obitum rerum potiretur, 70. fratres patris Gideonis legitimè natos filios ſuper vnum lapidem Ioathamo excepto trucidaſſe non eſt obſcurum. Et Phraatatem, Phraati Parthorum Regis, ex Italico ſcorto Tharmuſa natum, ſpurium, conſilio matris patre occultè de medio ſublato, reliquis legitimis fratribus præripuiſſe imperium legimus. Huic itaque malo viam in populo ſuo vt intercluderet Deus, nothos ad decimam vſque progeniem ad honores admitti prohibuit. Quod naturæ inſtinctu imitati ſaniores Ethnici, vt Athenienſes, Lacedæmonii, & Romani aliæque olim ciuitates, iuxta iuſtitiæ normam viuentes, libertatis nec non ciuitatis communicationem pernegarunt nothis. Et hodie adhuc idem obſeruatur Venetiis, vbi ordinis patritii iuuenes anno ætatis viceſimo exacto magiſtratũ, qui vulgò *Aduocatorius* di-

Iudic. 9.

Deut. 23. Plutarch in Themiſt.

Contar. lib. 1. de Rep. Ven.

rius dicitur, accedere coguntur, & duobus testibus probare, sese ex eo natos, quem patrem profitentur, non spurios; sed matrimonio legibus statuto, & matre honesta muliere. Sed & Ius ciuile: in *l. generaliter, §. Spurii ff. de curionibus*, ita de Spuriis statuit; *Romano iure dignitatis portæ regulariter non patent spuriis.* At verò alii sic statuunt, non omnem prorsus nothis ad honorem atque adeò Remp. aditum esse obstruendum: Id quod suadere videtur nonnullorum excellens virtutis splendor, quo ceu maximi Heroes tetram illam obscurorum incunabulorum & natiuitatis maculam obliterarunt. Sic enim Cardanus: Mulieres, inquit, illegitimæ filios sæpe procreant nobilioris & præstantioris ingenii, & elegantioris formæ; vnde spurii plerique ad maximos fortunæ gradus peruenerunt. Romulus, quem Deo genitum ferunt, ad tegendam turpitudinem, ex incestu non dubiè natus est. Sic Herculis filii illegitimi nati fuerunt: Et Hercules ipse spurius natus est, & Apollo & Mercurius, & quotquot nobilissimi viri pro diis habiti sunt. Quo eodem loco Cardanus etiam duos illos celebres viros, Lombardum, qui quatuor Sententiarum libros congessit, & Gratianum, qui decreta compilauit, ex nefario concubitu genitos fuisse affirmat. Quod de Alexandro M. etiam non pauci existimant. Quibus annumerari possunt Iephtha ex sacris, Themistocles ex prophanis historiis, & nonnulli alii. Nec vero æquum videtur quod parentum culpam filii præstare debeant, vt ipsa testatur sacra Scriptura, sed & omnes Dei filii sumus patri per filium placati, vt ex Hieronymo Gratianus monet, dum inquit, quod Christus Saluator noster non solum de alienigenis, sed etiam de adulterinis commistionibus nasci voluerit, vt nobis qualicunque tandem modo nascamur, dummodò eius vestigiis insistamus, spem participationis bonorum suorum præberet. Denique nec originis infelicitas quicquam præiudicare potest, siquidem virtus semper est legitima. Et hæc quidem in istam partem a Gratiano & aliis disputantur. Neque nos in stricto iure vrgendo ita rigidi erimus, quin concedamus Spurios insigni aliqua virtute præditos posse gaudere ci-

De vtil. ex aduer. cap. lib. 4. pag. 966.

uium iure, & honoribus etiam in Repub. ornari, si in magna aliqua necessitate præclarè de Repub. sint meriti, & si publica authoritate sint legitimati.

7 *Quomodo sanitatis subditorum curam Princeps gerere debeat?*

Quemadmodum boni patrisfamilias, inquit Aristoteles, munus est, vt suis de sanitate prospiciat liberis, sic etiam boni Principis est opus, vt de subditorum suorum valetudine sollicitus sit. Hoc vero oppidò præstabit, vbi sanitatis prouisores constituerit; sic nempe vt in primis certi quidam, et quidem publicæ autoritatis creentur viri, qui, quò rarior in oppidis aëris puritas, atque adeo salubritas esse quam ruri solet, eò impensius id operam dent, vt, quod monet Franciscus Ripa in tractatu de peste, plateæ atq; adeò omnia ciuitatis loca tam publica, quam priuata sint quam mundissima, nec putridis hinc inde repleta, aut infectis scatentia; vel denique cadauerum mortuorum aut sepulchrorum apertorum fœtoribus plena, ne malis istis odoribus aëris oriatur infectio, & sic pestis sequatur: postea, vt omnis generis cibi salubres vendantur, nec carnes contagiosæ, pisces corrupti, fructus immaturi, omnisque generis cupediæ insalubres venales exponantur, ne talia ementes subditi ipsi sibi noua accersant morborum genera; denique vt flumina limpidiora & salubriores aquæ in vrbem deriuentur, vt tubi & fistulæ quam purissimæ seruentur, ne cibi aliàs salubres cocti aquis insalubribus corrumpantur, morbosq; causentur. Quod Romanos egregie obseruasse testis est Patritius libro 3. „ vbi; Fuit etiam, inquit, ædilium cura apud Romanos, „ vt viæ publicæ adæquarentur sternerenturque, ne quid „ in illis ædificaretur, quod vsui ornamentoque obesset: Aquarum ductus, publicæque cloacæ vt purgarentur, pontesque reficerentur eis demandatum est; Venditiones, emptionesque vt fierent sine dolo malo curabant, redhibitionemque præstabant morbosi pecoris, morbosique aut insani serui venatici. Et hunc laudatissimum Romanorum morem, Venetiarum vrbs, Romanæ eius

Lib. de Rom. & Ven mag. comp.

eius, quæ olim fuit, æmula hodierno adhuc die retinet, vt scribit de ea Guerinus Piso; Inter ædiles, inquiens, " connumerandus est Magistratus, cui vrbis salubritas " commissa est. Huius præcipuum munus est prouidere, " ne quid putridum, aut quod incolumitati ciuitatis of- " ficere possit, vendatur: deinde id sedulò curat, vt quàm " saluberrimè Venetiis agatur. Idem quoque vtriusque Reipub. exemplo nobile hoc emporium sæuâ ante quadriennium grassante lue obseruauit, duobus amplissimi Senatorii ordinis viris ad hoc sanitatis curandæ munus electis. Vtinam idem in omnibus hodiè adhuc seruaretur locis, non videremus plerasque ciuitates, easque belle sitas fœdis sentinis pestemque exhalantibus periclitari sterquiliniis. Sic, vt quod de Corcyra olim dictum, in eas congruat prouerbium, *Libera Corcyra*, &c. Nimia est ista incuria ciuium, nimia negli- " gentia magistratuum; medicinam natura dedit, cur eâ " non vtimur? eiusdem vsum edocuit, cur aspernamur? " Præscribit illa, vt verrantur ædificia, vt expurgentur " sentinæ, vt remoueantur sterquilinia, vt pro infectis " peste procul à ciuitate habeantur hospitia. At vbi hæc " fiant, quæro? certe vbi non fiunt scio. Hæc Casus. His " verò optimè ita, vt monuimus, constitutis, accedere deinde debet diligens fidorum expertorumque medicorum inquisitio. Nam si in ædibus extruendis architectum deligimus artificiosum, in dirigenda naue nauclerum expertum, denique in omnibus rebus homines exercitatos & peritos, cur non quoque in morbis expugnandis, tuendaque sanitate medicos peritissimos conquirimus? Monitore igitur Patricio illi, qui Reipub. præsunt, vt summa diligentia medicina edisca tur curent, ipsique medicum honore afficiant, tum propter excellentiam, tum propter vtilitatem, exemplo Ptolemæi & Ludouici XI. Galliarum Regis, qui excellentia & vtilitate medicinæ perspecta & percepta, honoribus eam non solum summis, sed & præmiis magnificis affecerunt. Erasistrato enim Aristotelis ex filia nepoti medico, ob seruatum patrem Antiochum filius Ptolomæus 100. talenta donauit. Et Ludouicus XI. Galliarum Rex, teste Cominæo, medico suo, quòd cauterio

lib. 1. Sph. c. 7.

lib. 2. de Rep. tit. 3.

Patrit, ibid.

saltem ab ipso esset curatus, 10000. Coronatorum vno mense persoluit, verum non nisi explorati, addimus ex Platone Reipub. præficiantur medici. Errones verò circumcelliones, circumforanei & seplasiarii, quibus, vt Plato scribit, teste Stobæo, *solis licitum est hominem impunè occidere*, quique, vt Galenus docet, hoc vno à latronibus differunt, quod ciues intra mœnia non in montibus deprædentur, vel qui denique, vt Lemnius scribit, non verentur in hominum vitas ac corpora *grassari* atque, vt habet prouerbium, *in vasis iactura artem figulinam experiri*, hoc est, hominum periculis discere, ac per experimenta fallacia ac coniecturas mortem hominibus inferre; illi, inquam, ex Repub. sunt exterminandi & procul arcendi. Eorum .n. triobolarium hominum culpa, vt & anicularum delirarum impudētia efficitur, vt medendi ars vna cum suis professoribus despiciatur. Nec facilè quoque, vt monent Politici, Iudæi medici nisi admodum probatæ & exploratæ fidei, ad curandos ægros sunt admittendi, tum, quod plerumque vbi bona sua decoxerint ad medicinam accedant, tum etiam quod non magnæ religioni ducant occidere Goi, siue Christianum. Cæterum quia sine medicamentis ars medica exerceri non potest, ideo, vt feliciter ea procedat, curam & ipsi medici, & peculiaris ad id ordinatus magistratus habere debent diligentissimam, vt medicamenta integra & recentia, non autem iam emortua & putrida in pharmacopolia importentur, ne videlicet in curando suo fine frustrentur medici, & hoc, quod emortuorum medicamentorum vitio fit, ipsis imputetur.

29 de Rep. serm. 100.

lib. prænot. lib. de Occult. c. 17.

Verba Plinii.

8 *Qualem annonæ curam Magistratus habere debeat?*

Sapienter admodum Democrati Macedoni, præclarissimo architecto Alexander ille Magnus respondit; *Vt natus*, inquiens, *infans nec viuere nec crescere sine nutricis lacte potest, sic nec ciuitas sine agrorum fructibus.* Cuius magni Regis exemplum, vt monet Patricius, imitari debent omnes vrbium conditores, vt fœcundis feracibusque locis vrbes statuant, & ii, qui populi curam habeant,

lib. 3. de Rep. tit. 11.

beat,

bent, vt rei frumentariæ vel imprimis studeant, quod & iure ciuili præceptum est, vbi statuitur citante Guerino Pisone, ne ciuitas annonæ caritate laboret, magistratum constitui oportere, qui annonæ præsit. Parua namque, vt ait Patricius, præsidia vrbis essent, parum admodū leges, sanctiones, ordoq; ciuitatis prodessent, " si populus esuriret. Quid enim periculosius famelico " populo, quem non arma, non magistratus, non iura " diuina aut humana, non leges, non pudor aliquis coercere valet, iuxta illud Lucani: *Nescit plebs ieiuna timere.* Idcirco magna cura summo magistratui adhibenda, vt populus non modò frumento, sed omni victus genere abundet, atque ad hoc munus certi præfecti eligendi, qui operam suam annonæ impendant, nec non eius curam gerant, exemplo laudatissimarum Rerumpub. Atheniensis, Romanæ, Venetæ, &c. vt in sequentibus patebit. Verùm cùm duplex soleat esse Reipub. status, liber nempè alter, vbi Respub. tranquillè & in omnibus bellè, ac benè se habet; alter verò affectus, vbi vel pestilentia vel fame, vel bello affligitur, iam verò ad Principis pertineat officium, vt vtriusque rationem habeat, ideò duplicem etiam iniungere debet annonæ præfectis laborem, eosque adeò distinctos habere. Primò eos, qui Atheniensibus ἐπιμεληταὶ τῶ ἐμπορίυ, *Fori curatores*, Romanis *Ædiles*, Veneris *Cereales* dicti, pro tempestatis & annonæ ratione de rerum pretio statuant, ne exposita vendentium arbitrio æstimentur, sed iusto pretio distrahantur, atque inprimis apud eos, qui panem & potum vendunt, exemplo Hollandorum, apud quos certis tēporibus publicè proclamatur, quāti pistores panem vēdere debeant; & Venetorū, apud quos veteris iustitiæ Ædiles cibariis pretium adscribunt. Nec pudere debet magistratum, inquit Patricius, in suis ciuitatibus id agere, quod Romani rerum domini celebrarūt, minora nempe rebus, l. Corn. pretia præscribere, id quod imitati sunt Veneti veterū Rom. æmuli, dū, teste Contareno, quod magno pretio Respub. emit, vili vendit, vt commodo populi atque inopiæ consulatur; & vt addit Postellus, *nebulonum Rempub. labefactantium, fameque necantium auaritia coerceatur*. Sed quid Roma-

l. vlt. ff ad leg. Iuliam.

lib. de Rep. tit. 11.

cit. loco. Corn. Syl. Dict. lex.

nos, quid Venetos nomino? sint exemplo Turcæ, apud quos ædiles, quos patria lingua *Ssar Emin*, id est, *vrbis præfectos* appellant, hoc perpetuò curant, vt popularibus copia sit oryzæ & frumenti, vtque viliori pretio distrahatur, neve vllum sit earum rerum monopolium. Tum etiam hoc Ædilium horum sit officium & cura, ne loco legitimarum merces vitiosæ venales exponantur, sed integræ, inprimis vero frumentum, quod quotidie supra vsum in vrbem importatur, in horrea publica nomine publico reponatur, vnde iusto pretio iniquissima temporum ratione egentibus depromi possit. Atque hîc iam altera annonæ præpositorum incipere debet curia, eorum nempe, qui Atheniensibus Σιτῶναι, Venetis *Prouisores*, Romanis *annonæ præfecti* nuncupati, tempore libero temporis necessarii inprimis curam gerant, & frumentum in horreis publicis, siue vt, Columella ait, teste Patricio, *in scrobibus paleis optimè munitus ad tempus necessarium ab omni illæsum carie conseruent*; quod fiet, si suo tempore vetus eruatur & vendatur, inque eius locum nouum recondatur. Deinde verò tempore eo, quo fames metuitur, hoc agant, ne frumentũ, vt Patricius docet, exportetur in magna copia, sed aduehatur potius permutatione facta è vicinis regionibus. Imo cogant eos, vt monet Guerinus Piso, qui frumentum possident, vt vendant, quod proprio vsui superest, nec patiantur, vt quis ciuium, quod suadet Gulielmus Postellus, plus frumenti viniqne quæstus causa apud se reponat, quam rerum illius vsus exposcere videtur: vsque adeo priuatus illis census sit breuis, commune verò bonum magnum. Ipsi vero vrgente annonę caritate publica aperientes horrea inprimis pauperum partibus ad opus faciendum necessariis, affectorum curam habeant, eosque ex publico gratis alant; reliquis verò validis in priuato occupatis rerum communionẽ frumentum communicent, in publico verò opus facientibus pro labore frumentum soluant, ditioribus denique certo pretio vendant. Sicuti sapiens eius rei obseruator fuit Iosephus annonæ in Ægypto præfectus; cuius exemplum memorabiliter secutus est Casimirus Poloniæ Rex, Anno 1562. vt testatur Herburtus.

Quod

Quod idem & Posttellus annonæ præfectis faciendum præscribit. Vide Patricium, Contarenum, Pisonem, Postellum citatis locis, Fenestellam de Magistratibus Roman. cap.15. Pomponium de Magistratibus Roman. cap. 20.

Lib.10.Chr. Polon.cap.10.

9 *Diuitesne potius an pauperes subditi Principibus optandi sint?*

Bonus Princeps, inquit Antimachiauellus, id *curare debet, vt opulentos & diuites habeat subditos.* Imo, vt addit ille, *Principis thesauros in subditorum pecuniis & loculis sitos & reconditos esse satius est, quam in publico ærario: Et danda erit opera Principi, vt subditi pace tuta & tranquillo otio fruantur, & ditescant, vrbibus sua libertas, sua iura & commoda seruentur, libera vbique sint commercia, agricolæ immodicis tributis leuentur.* Quam Antimachiauelli sententiam sic volumus accipi, Principes priuatorum opes exhaurire non debere, nec inusitata vectigalium genera subditis imponere, atque adeo succum & sanguinem eorum exsugere, vt suos in immensum cumulent thesauros: siquidem ita non modo odium subditorum aduersus se concilient, regnumque sæpè amittant, sicut Achæo Lydorum Regi accidit, qui testante Bodino, plebis furore correptus ac pedibus sursum, capite deorsum, aquam Tantali modo nec quicquam ligurientis suspensus est, propter inexplebilem accumulandarum opum auiditatem; sed etiam opibus nimium auctis vel ipsi ad profusiones prolectentur, vt Neronis patet exemplo, qui vicies millies immanibus largitionibus effudit; vel successoribus materiam ad omnis generis voluptates & illecebras ministrent, vt ex Caligulæ historia videre est; qui Tiberio succedens, amplius tricies millies primo sui principatus anno absumsit. Vnde non inconcinnè Bodinus; Certe quidem, ait; diuina lex auri vim maximam Reges coaceruare vetuit, ne vel Principes ad plebem diripiendam, vel hostes ad ciues inuadendos inuitarentur, & vt benignitatis fontes tenuibus ac egentibus paterent. Nihil tamen vetat in eo modum quoque habere. Et rectè sanè. Non enim Princeps, vt idem monet, à doctrina bene

informatus vnquam torquebitur opum augendarum cupiditate; nec tamen aſpernandas aut reiiciendas putabit, ſed ita habendas, vt benignitatis ac liberalitatis adminiſtras, in quibus, pecuniis nempe, vt prouerbio dicitur Reipub. nerui conſiſtunt: ita vt laudabilis Macentium, qui ſunt citra Vtopiam, lex ſit, qua, vt ſcribit Thomas Morus, Rex eo die, quo primum auſpicatur imperium, magnis adhibitis ſacrificiis iureiurando obſtringitur, nunquam ſe vno tempore ſupra mille auri pondo in theſauris habiturum. Cui non abſimilis
„ eſt ille Regum Galliæ mos, de quo ſic Bodinus; Reges,
„ inquit, noſtros nihil in eo genere (ſcilicet opibus ac-
„ cumulandis) contra leges diuinas, quibus immodica-
„ rũ opum accumulatio prohibetur, hactenus feciſſe le-
„ gimus, ac multo minus poſthac inter dicta diuina vio-
„ laturos. Verum Reipub. Venetæ inſtitutum, quo capitale eſt, de publico ærario inſtituendo verba facere, non facile cuiuis ciuitati eſt in exemplum trahendum; ſiquidem, vt grauiter docet Bodinus initio fere citati loci, omnibus modis operam dare & conniti oportet, vt ærarii opes certiſſimis fundamentis, quæ labefactari non facile poſſunt, innitantur, nedum negligantur. Sed vt Princeps ſuũ in infinitum non debet augere ærarium, ita quoque immoderata illa & inexplebilia diuitiarum deſideria inter ſubditos compeſcere ſtudebit. Nimiæ enim ſubditorum opes, vt docet Lipſius, non modò Principibus nocent, iuxta illud Taciti: *Auri vis atque opes Principibus non modò infenſæ ſunt, ſed & ſubditis atque adeo toti Reipub. ſtatui detrimento ſunt:* & iuxta illud Saluſtii: *vbi diuitiarum cupido inuaſit, neque diſciplina, neque bonæ artes pollent.* imò, vt Lipſius grauiter monet, *virtuti & DEO non eſt charus, cui charæ ſunt opes.* Tollet igitur iuxta Saluſtii monitum Princeps pecuniæ ſtudium, aut, quoad res feret, minuet: Ea enim, vt inquit Valerius Max. ciuitas, id regnum æterno in gradu facile ſteterit, vbi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido ſibi vendicauerit. Vide Bodinum lib. 6. de Repub. cap. 2. Lipſium lib. 4. cap. 11.

lib. 4. Pol. c. 11.
2. annal.
ad Cæſ.

lib. 4. cap. 4.

10 *Factiones & dissidia num inter subditos sint alenda, quo melius in officio contineantur?*

Legum omnium diuinarum ac humanarum hic est scopus, hic finis, inquit Bodinus, vt hominum societatem & concordiam inter ipsos, ac aduersus DEVM pietatem tueantur: id autem omnium maximè fieri potest, si vna fuerit omnium ciuium in amicitia, quæ sine virtutibus esse nulla potest, conspirantium fides ac voluntas. Quamobrem Cretenses olim omnis ætatis ordines ac sexus simul publicis in locis epulabantur, vt illam, quam dixit, charitatem, ac mutuam inter se beneuolentiam fouerent. Nec aliam etiam ob causam legibus diuinis conuiuia sacra statis temporibus summâ lætitiâ coli iubebātur apud Iudæos, quam vt religione erga DEVM & amicitia inter se ciues conciliarentur. Quæ conuiuia principio nascētis Ecclesiæ Christianæ, quod mutuis amplexibus & osculis terminarentur, ἀγάπαι appellatæ sunt. Vt Florentinæ Reipublicæ status toties intestinis odiis conuersus. Et extremum Venetæ Reipublicæ periculum, quo fuisset afflicta nisi summa Lauredani virtus seditiones inter nautas & vrbanos ciues ortas composuisset. Item cruenta illa Guelphorum & Gibellinorum in Italia factio, quæ primum inter familias pullulauit, sed tandem ad publicum euertendum statum erupit. Nec non fœda ista Aurelianæ & Burgundicæ familiæ in Gallia. Quibus adde Lancastricæ & Eboracēsis domus funestissima dissidia, vbi cū septies vel octies collatis signis ac variis præliis certatū esset, præter viliorum capitum ingentem vim, 80. fere regiæ stirpis Principes vnà cum Lancastricæ domus ruina concidisse autor est Cominæus. Nec desunt etiam veterum historiarum exempla, quæ idem demonstrent. Sic enim Patricius; Imperium, inquit, orbis terræ Romani tam diu tenuerunt, quam diu à ciuili sanguine intestinoque bello manus abstinuerunt. Sed vbi Cinnæ ambitio, Syllæ infamis illa tabula, Marii cædes generi socerique arma Remp. inuaserunt, victores dominique rerum Romani ludibrio plebi, barbarisque hostibus

lib. 3. de Rep. cap. 7.

Leuit. 23. Numer. 9.

De Florentinis testatur Machiauellus c. 20. de Princip.

lib. 3. c. 4. & 7. lib. 5 de Rep. cap. 2.

„ extitere. Et addit: Discordia laborantes Athenienses
„ Lysandro Duce victi sunt: ita vt verissima sit Titi Liuii
„ sententia fuisse & esse factiones potẽtibus populis ma-
„ gis exitio, quam externa bella. Est igitur Tyranni illud proprium, vt populi conuentus, amicitias, imò omnem honestatem sceptris suis violentis postponat, sicut multis hoc ipsum probat Bodinus exemplis, iisque enumeratis addit: Ex quo perspicitur eos, qui tyrannidem affectant, cœtus ciuium ac societates exscindere velle. Quocirca hoc imprimis operã dabit Princeps, vt Ethicam, Oeconomicam, Politicam atque adeo etiam religiosam priuatam & publicam inter subditos suos foueat concordiam, litium ac discordiarum inter eos dirimat & tollat semina. Verùm cum in tanta hominum varietate & multitudine difficile non modò sed & impossibile sit efficere hoc Principem, vt omnes in priuato suo statu inter se concordent, & quoad res Ethicas, Oeconomicas & Theologicas conueniant, ideo in eo Princeps ante omnia elaborabit, vt Politicã inter subditos vindicet concordiam. quod præstabit, quando subditis collegia & conuentus concedet, lites & discordias in iis ortas componet, factiones nullas, quæ ad statum publicum euertendum erumpere possent, feret, dissensiones odio habebit, turbarum autores grauissimis pœnis afficiet. Idque in eo præsertim statu, in quo viuũt homines natura inquieti, vel alioquin diuersis de religione aliisve rebus sententiis inter se pugnantes. Nã Ethica illa & Oeconomica concordia priuatis subditorum rebus conducit; &, si violetur, res priuatas lædit. Politica verò tranquillitas publicum concernit, & si violetur, statui publico nocet.

lib. 3. de Rep. cap. 7.

II *Quid de otiosis in Repub. statuendum?*

Plato, citante Bodino, duas antiquissimas Rerumpub. pestes, opes & inopiam appellauit. Quod sic intelligendum puto, nullam capitaliorem esse Reip. pestem, quàm si tam pauperes quam diuites ignauo otio torpeant. Otium enim, vt Augustinus docet, est puluinar Sathanæ, vt homines nihil agendo, malè agere discant. quod præter experientiam etiam testatur Bodinus; qui

Lib. 5. de Rep. cap. 2.

Ibid.

nihil,

nihil, inquit, in Repub. tam est perniciosum, quã otiosorũ ac tenuium hominum huc illuc errantiũ multitudo, qui & priuatorum bona diripiunt, & in euersione Reipub. spem omnem fortunarum suarum posuerunt. Similiter cum diuitibus otiosis se res habet; illi enim prodigi ex otio facti cum & pecunia & fides iam deficit, ad rapinas conuertuntur, alienisque bonis manus, vt refert Bodinus, afferre coguntur: Vnde grauis illa sanguine scripta Draconis lex nata, quæ omnes otiose in Repub. viuentes occidi iussit. Cui non absimilem Amasis Ægypti Rex sanxit legem, Soloni Atheniensium Legislatori etiam vsurpatam, quâ, qui Νομάρχαις, vnde viuerent, demonstrare non possent, capitali supplicio, teste Herodoto, plectebantur. Moderatius verò, simul etiam prudentius Athenienses, qui Gnosippo, testante Athenæo, quod incontinenter turpiterque viueret, adolescentum consortio interdixerunt. Optimè item & sapientissimè Valens, citante Bodino, edicto permisit, vt qui otiosè vagari ac mendicare consueuerant, seruituti manciparentur; & vetuit, ne quis deserta loca peteret, vt vitam in otio transigeret. Omnium autem commodissimè & prudentissimè Parisienses cum otiosis agunt. Illi enim, autore Bodino, robustos ac valentes operibus publicè vrgent, senes & ægrotos humaniter curant, parentibus ac bonis orbatos, pueros, ac puellas, partim literis, partim mechanicis artibus studiosissimè erudiunt. Nec inutile est, quod alibi ipse Bodinus suppeditat consilium: Vbi remedium, inquit, maius esse nullum potest, quàm eiusmodi homines, qui propter desidiam in otio viuunt, & in sua turpi inertia voluptatibus diffluunt, è ciuitate ad bellum emittere, & veluti prauis ac corruptis humoribus plenum corpus vacuare. Vtinam igitur hæc laudatissimarum Rerumpub. exempla hodiè adhuc obseruarentur, & more Romanorum crearentur, qui in otiosos animaduerterent, eosque examinarent, multa sanè hinc bona in Rempub essent destunare, ... plurimaque scelera in apertum proditura, vt egregiè disputat Camerarius. Verum prætereundum hoc loco non est, quod otium sit duplex: Honestum nempe & Inhonestum. Qui verò in honesto otio viuunt, ii ite-

Ibidem.

Herod. lib. 2.
Diodor. lib. 1.
l. 3. Euterpe.

lib. 4.

l. 1. de Rep. c. 5.

lib. 3. de Rep. c. 8.

rum sunt duplices, primo sedentarii seu viri literati, qui, licèt corporis viribus nihil operentur, & propterea vulgo *otiosi* dicantur, tamen longe difficiliores labores ac artifices & operarii subeunt; Hinc Bodinus; Quod si, inquit (nempe subditi) rerum cœlestium ac sublimium contemplatione mentem pascant, ciuium omnium beatissimos & in primis ordinibus censeo collocandos. Deinde in honesto degentes otio sunt illi, qui reditibus suis annuis priuatim viuunt, de quibus sic Bodinus; Si partis, ait, aut vetustis opibus ciues otium colant, tametsi turpi ac ignauo otio fruantur, ferendi sunt tamen, vt nihil aliud, quàm Rebuspub. inopia laborantibus opitulari possint. Licèt autem non tales in Rempub. peccent, tamen & ipsi isti periculosi sunt secundum illud Augustini: *Semper aliquid agas, ne te Diabolus otiosum inueniat*; aliàs enim etiam hoc fiet, vt, cum cor otiosi hominis sicut Gerson docet, sit instar molendini, quod in perpetuo est motu, vbi ad molendum non habet bonum frumentum seipsum consumat, homo ex otio honesto in inhonestum degeneret. Verum non de honesto hoc, quæ supra in medium allata sunt, sed de inhonesto dicta volumus otio, cui dediti sunt illi, qui integra ætate, integris viribus, cum nihil possideant, laborare tamen sibique victum acquirere nolunt: In quos imprimis animaduertet Princeps, & vt Salustius dicit, curabit, vt quilibet sua negotia habeat, quibus à malo publico retineatur, & vt Lipsius monet, Reipub. mutatio præcaueatur, siquidem otiosorum hominum multitudo facile mutationem causari possit. Quo autem Magistratus rationem & modum facilius ineat, quomodo hæc otiosorum hominum pestis à Repub. auertatur, ideo in conspectu semper Corinthiorum legem sumptuariam habeat, quam Diphylus apud Athenæum Græcè recitat. Erasmus verò Latinè sic reddidit:

Ibidem. | Ad Cæsar. | lib. 4 cap. 1. | lib. 9. cap. 2.

Hoc lege cautum est hîc apud Corinthios;
Si quempiam obsonare semper splendide
Videmus hunc rogamus, vnde viuat, &
Quid faciat operis: Si facultates habet,
Vt reditus harum soluere expensas queat,

Perpeti-

Perpetimur illum perfrui suis bonis:
Si fortè sumptus suppetat ea, quæ possidet,
Prohibemus huic ne faciat hoc in posterum;
Ni pareat iam plectitur mulcta graui.
Sin sumptuose vitiuit is, qui nil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules!
Nec enim licet vitam absque malo vllo degere
Talem scias, sed est necesse, aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantûm iungier commercio,
Aut in foro agere sycophantam, aut perfidum
Præbere testem. Nos genus hoc mortalium
Eiicimus hac ex vrbe velut purgamina.

Vide Lemnium de vit. opt. cap. 25. Bodinum citatis locis, Castellanum lib. 3. de off. Reg. cap. 17. Aretium tomo 2. probl. loco 140.

12 *Quid in validos mendicantes statuendum sit?*

Athenienses, cùm viderent ex inertia egestatem, ex e-
gestate maleficia oriri, per Areopagitas, quonã quæstu
pauperes vitam tolerarent, inquisiuerunt. Intellexe-
runt enim id, quod Aristoteles grauiter docuit, mendi-
cos siue supra modum pauperes in ciuitate non esse fe-
rendos, aut huius iure donandos, siquidem rationi dif-
ficulter obediunt: Nam vt valdè diuites plerumq; sunt
petulantes & contumeliosi, ita valdè pauperes & men-
dici maxima ex parte leues & malitiosi. Neque ignora-
uerunt illud, quod Plato rigidius tradidit: *Nemo*, inqui-
ens, *in nostra Repub. mendicus esto, quisquis id tentauerit, &*
miserabilibus precibus stipem victumque collegerit, eum præfe-
cti è foro, ædiles tota vrbe, agrorum præfecti tota exterminent
regione. Quemadmodum enim fucus, inquit, apum, &
pituita hominis est morbus, ita mendicus pestis est Rei-
pub. sic nempe, vt vbi multi conspiciuntur mendici, ibi
etiam inueniantur fures latibula quæritantes, βαλαντιο-
τόμοι, seu *crumenisecæ*, sacrilegi & huiusmodi scelerum
artifices. Vnde non inconcinne illud, quod in libro
quodam scriptum se inuenisse testatur Camerarius,
dictum fuit: Tria hominum genera è ciuitatibus

Cast. lib. 3. c. 25. ex Isocr.

Lib. 11. de rep.

Idem 8. de leg.

Part. 1. oper. succis. cap. 16.

eiicienda: leprosos, mortuos, & mendicos validos. Perspicitur autem hinc de quibus hic sermo fiat mendicis, iis nempe, qui mendicandi victus quasi artem factitant, cumque robusto sint corpore validisque lacertis, languori tamen & ignauiæ ita sunt dediti, vt quiduis, quam labore & industria sua victum sibi quærere malint. In quos notetur vetus ille versus Græcus, qui citatur apud Muretum in variis lectionibus.

Ἄρτον δὸς πτωχῷ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Panem mendico dato, & adde obsonia pugnum.

Illum quidem, quia homini panem petenti, negare vix hominis esse videtur; hunc verò, vt discat ab illa fœda parandi victus ratione abstinere. Vbi tamen notandum, quod vetus hoc monitum priuatos homines spectans non secundum literam intelligendum, sed ita accipiendum sit, vt panem tantum mendico demus, pro obsonio autem grauem increpationem addamus, & ad laborandum exstimulemus. Sed, vt dixi, ad priuatos tantum hoc pertinet præceptum; Principi vero longè aliud hac in re incumbit officium, vt si leges Cæsareæ volunt filium, qui potest ex industria sua victum quærere, non esse à patre alendum, ille ex seuerissimo DEI mandato, quo præcipitur, ne omnino indigens & mendicus sit inter DEI populum, multo minus mendicos toleret. Quapropter Princeps exemplo Atheniensium, qui suos Areopagitas, & Romanorum, qui Censores habuerunt, primò morum magistros constituat; qui moribus præsint, & quotannis censum habeant, singulosque ciues in disquisitionem vocent, & ad vitæ rationem reddendam compellant, vbi nec non si quos inueniunt pœnas grauissimas suis scelerib. promeritos more Leucopetræ oppidi Misnici, & Rubeaci ciuitatis Alsaticæ morte mulctent, alios verò iuxta institutum Parisiense & Londinense, ad labores adigant. Quod postremum si accommodaretur ad Monachos mendicantes, feliciores sanè habituri essemus Ecclesias & ditiores Respub. Nam Auentinus, *Nunquam,* ait, *ab eo tempore, quo mendicantes Monachi extorti fuere status Ecclesiæ fuit felix.* Nouationibus semper studuêre plebem aduersus Ecclesiastas suos Episcoposque concitauêre.

l. si quis.

Deut. 15.

Cast. li. 3. c. 25.

Camer. cent. oper. succes.

pauēre, more coruorum cadauera hianto rictu sectati fuere, &c. Sed nō est mirum, monachos hęc facere, cùm, vt Syracides dicit, ori impudenti suaue sit mendicitas & in ventre eius ignis ardeat. Deinde verò Princeps etiam apparitores in singulis ditionis suæ ciuitatibus constitutos habeat, qui vagabundos illos & ignauos mendicos aliis ex locis accedentes, vt fit laudatissimè in Heluetia & Palatinatu, obseruent, eos in ciuitate stipem mendicando petere non sinant, sed in Xenodochium deducant, ibi eos examinent, hospitiumque & victum per vnam noctem suppeditent, matutino verò tempore statim è ciuitate educant. Mira enim in multis latet calliditas, mira impostura, vt apparet ex ea historia, quam citante Camerario refert Iodocus Damhouderius in praxi sua criminali, vbi, Cùm Gandaui, inquit, ante portam domus senatoriæ cum aliquot Senatoribus Brugēsibus sederem, mendicus quidam Iri paupertatem simulans, gemebundus eleemosynam petit, habere se latens malum prædicans: ipsius miserti singuli eleemosynam largimur. Ille abit. Vnus nostrum iubet famulum suum insequi hunc, & latens vitium perquirere. Paret is, sequitur, & mendicum rogat, quodnam sit illud latens vitium. Inspicit faciem, videt pectus, videt brachia, omniaque nitentia & valida comperit. Nihil, inquit famulus in te mali video. Ah, ait mendicus, longè aliud est malum, à tuis obtutibus remotum, quod per vniuersum corpus meum serpsit, quod per venas ac medullas ita grassatur, vt nullum mihi sit corporis membrum, quod se laboribus ac operis tradere valeat. Hoc malum vocari audio pigritiam & desidiam. Quid, hæccine, famulus, admodum noxia sunt vitia? Stomachabundus discedit, & ad nos reuersus, vt à mendico edoctus fuit, rem explicat. Rectè igitur Castellanus hac tempestate tàm corruptis moribus in tanta mortalium impudentia & peruicacia, vbi censoris nota floccifit grauiori pœna est opus, nempè exilio aut relegatione. Sic enim vrbium sentinæ exhaurientur, & alienis suppliciis reliqui ciues discent optimam viuendi rationem. Verùm sunt & alii mendici, seu potius pauperes, vt ipse testatur Deus, cùm, Non deerunt, inquit, pauperes in terra habitationis tuæ, qui

Cent. 1. med. hist. c.16 c. 110. num. 155.

L.3. de off. Reg. c.25.

Deut. 15.

sanè in Rempub. sunt inferendi, imò ab ipso summo magistratu curandi. Sinere autem quenquam stipem ostiatim quærere, inquit Castellanus, videtur esse alienum à dignitate ac pietate Christiana, inde nempè, quòd in sacris in vno eodemque capite Deus præcipiat, mendicos omninò in populo suo non esse tolerandos, tales nempè, qui ostiatim stipem mendicando quęrunt: pauperes verò ibidem eis non defuturos pronunciet; eos nempè, qui multis rebus necessariis indigebunt: vnde etiam statim subiungit: idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. Debent igitur boni Principes, adeoque omnis magistratus (vbi primùm etiam præuiderint, ne quemuis ciuitatis iure donent, nisi qui certum habeat vitæ genus, vnde se sustentare, suumque officium administrare possit, ne ad egestatem breui redactum ex publico alere cogant, atque ita pauperes cumulentur) id imprimis operam dare, vt monente Bodino, Maiores nostros imitati in rationibus distrahendis, primum caput expensarum erogationibus à Rege factis in tenues & egentes tribuant, secundum regiæ domui, tertium sartis tectis. Hebræi enim hanc disciplinam à sanctissimis Prophetis acceptam posteritati tradiderũt, cùm dicerent, munimentum omnium maximum ac firmissimum esse eleemosynam ac benignitatem aduersus egentes. Ac mihi quidem, pergit, res humanas propius intuenti nullæ familiæ, nulli Principes, nulla imperia opibus ac victoriis ita floruisse videntur, quàm quæ maximam egentium ac tenuium curam habuerũt. Æmuletur igitur Magistratus bonus optimorum Regum exemplar, vt Roberti Regis Capeti filii, cuius teste Bodino benignitas in egentes clarissima semper ibidem extitit, quique 1000. pauperes humanissimè assiduè fouit. Item Iacobi V. Regis Scotorum vestigiis insistat, qui *Rex egentium* cognominatus omnes sui temporis Principes benignitate vicit, maiores tamen suos opum magnitudine longè superauit. Nec obliuiscatur laudabilis Parisiorum instituti, vbi autore Bodino, præter nosocomium maximum quatuor sunt distincta pauperum collegia. Similiter constituat Nosocomia, Brephotrophia,

L.3. de off. Reg. cap. 27.
Deut. 15.
Ibidem.
Lib. 6. de Rep. cap. 2.
Lib. 2. de Rep. c. 8.

phia, Ptochotrophia, & Gerõtotrophia, in quib. vt fit in nonnullis ciuitatib. Heluetiæ, ægroti, infantes, pauperes, senes decrepiti capite censi publicis stipendiis alantur, nec mendicando victum quærere cogantur. Quo verò hoc facilius fieri possit, Principes à subditis certos census, certa tributa ad hoc deputata exigant, & vt Arist. monet, diuites, qui opes immensas congerunt & coaceruant, quiq; facultatem faciendæ mercaturæ habent, egentibus ad necessitatem vitæ suggerant & libenter largiantur. Nam alias, vt Castellan. ait, non satis est legib. paginas innumeras complere, nisi Principum atq; adeò omnis magistratus seueritas adiũgatur, quâ omnia, quę facienda sunt nulla habita ratione personarũ, exigãtur.

6. Tol. c. 5.

1. de off. Reg. c. 27.

13 *Quo loco sepulturæ & monumenta mortuis constituenda sint?*

Lycurgi quidem permissu Spartani ciues suos in vrbe iuxta Deorum templa sepeliuere, similiter & Tarentini suos ibi humarunt. Neque ab hac ratione etiam Romani abhorruerunt; qui defunctorum corpora vel domi in vasculis & doliis asseruarunt; vel in campo Esquilino, qui in ipsa vrbe fuit, sepelierunt. Qui tamen mos lege 12. Tabul. postea fuit abrogatus his verbis: Mortuum hominem in vrbe ne sepelito, idq; vel hanc ob causam, quam Franciscus Ripa reddit: Cùm ad remouendum, inquit, fœtorem ex cadaueribus prouenientem à maioribus nostris inuenta sunt sepulchra non defunctorum sed viuentium gratia instituta; quia enim sepulchra vt plurimum fœtent, statuit D. Adrianus pœnam 40. aureorum in eos, qui in ciuitate sepulchrum fecissent, locũque publicari iussit & corpora inde transferri eadẽ Magistratib. pœna imminente. Et rectè sanè: Cadauera enim mortuorum halitus quosdam contagiosos ac venenosos emittunt, eosque tantò copiosiores, quantò loci, in quibus defunctorum corpora sepulta sunt, existunt conclusiores & ab hominum frequẽtia tepidiores: Cùm autem vrbanis templis loca nulla sint conclusiora, & ab hominum frequentia tepidiora; ideò sane necesse est plurimos ibi ex cadauerib. sepultorũ putridos & graueolentes vapores exhalare. Cui etiam hoc accedit, quod

Plut. in Lycur.
Polyb. lib. 8.
Alex. ab Alex. lib. 3. Geni. die. c. 2.

In tract. de pest c. 4.

l. 3. C. Adri. ff de sepulch. violat.

Lemn. lib. 2. de occul. c. 3.

apertis sæpe monumentis sabulum putrefactorum cadauerum saniε ac tabo pestilente infectum hominum multitudine præsente moueatur. Accedunt rationibus exempla & autoritates, tum sacrę tum prophanæ, tum veteres tum recentes. Primò enim Iudæi, vt ex Patriarcharum historia & imprimis Luca de defuncto viduæ filio, qui extra vrbem fuit exportatus, videre est, in campis locisq; patentibus sepeliri voluerunt. Deinde Christianorum cœmeteria siuè sepulturas ante vrbes olim fuisse inter cœteros patres, testantur Chrysostomus, Augustinus, Gregorius Thuron. Ethnicos verò suas etiam sepulturas ante vrbes habuisse hinc pateat, quod Sulpitius ad Ciceronem scribat se ab Atheniensibus impetrare non potuisse, vt M. Marcello interfecto intra vrbem sepulturæ locum darent, propterea quod se religione (Solonis nempè instituto) impediri dicerent. 2, Quod Corinthi maximorum virorum monumenta extra vrbem fuerint, inter quæ & Diogenis Synopensis Cynici illius sepulchrum apparuit. 3, Quod Romæ in agris aut fundis suburbanis aut auito & patrio solo multi humari consueuerint; frequentius verò in via Flaminia aut Latina, ac suburbiis & anfractibus viarum gentilitia habuerint sepulchra, in quibus Calatini, Scipiones, Seruilii, Metelli & aliæ honestissimæ familiæ cōdebantur; Deniq; modernas benè constitutas Respublicas sepulchra & monumenta in vrbe non ferre testatur Argentinensis, Noribergensis & Lipsensis Resp. vbi vel rara, vel nulla etiam defunctorum cadauera in vrbibus humantur. Dolendum igitur est, ab annis circiter quadringētis ita inualuisse istum morem solâ auaritiâ Frãciscanorum, & aliorum mēdicantium auaritiâ, dum nempè, more coruorum cadauera hiante rictu sectati, ex eorum in templis vrbanis sepultura nil nisi quæstum & lucrum turpissimum quæsiuerunt, & quidem ita quęsiuerunt, vt non expenderint templa sua, quæ aquâ illi benedictâ consecrarunt, pollui ac contaminari, cùm tamen ipse Deus in Leuitico dicat eum, qui tangit cadauer, immundum esse, & locum quoq; istum pollui, in quo cadauera sepeliuntur. At Monachi Legis Dei obliti, tantò

Gen. 23. 25. 35. 49. Luc. 7. In hunc Pet. Mart. 1. loc. com. class. 3. loco De sepult. In serm. de fid. ac leg. Epist. 6. 4. lib 2. c. 1. lib. Ep. fam. Epist 12.

Alex. Liu. lib. 8. decad. 4.

tantò puriora sepulchra esse dixerunt, & adhuc dicunt, quantò summo altari fuerunt, & adhuc sunt propiora, hanc solam ob causam, vt eò faciliùs homines argento emungerent. Rectè sanè vir quidam magnus dixit, monachos callere optimum ditescendi artificium & compẽdium, vtpote, qui non modò ab hominibus viuis, verùm etiam mortuis lucrum quærant ac faciant. Contra igitur morem hunc notetur illud, quod Patritius homo Pontificius grauiter docet, cùm inquit: Nullum sepulturæ genus magis laudandum puto, quàm humationes sub dio, vbi & flores & herbæ nascuntur, cum id in sepulchris vetustissimis inscriptum sit:

Sparge rosas lector, vel candida lilia pone.

Nonne enim pulchrius, vt idem ait, & optabilius est, vt tellus communis omnium parens flores, violas, herbas, ac virgulta vltro in tumulis germinet, quàm vt inter saxa cadauera putrescant, ea scaturientes vermes, scarabæi, aliaq; turpissima monstra deuorent? Imò terra sic terræ redditur, & filii in matris gremium reuertuntur.

FINIS.

LECTORI S.

Temporis ac disputationum seriem posthabebo, vt ordinem sequar materiarum. Theses eæ quas proximè legisti *Consilii*, *Consiliarii* & *Consultationis* doctrinam adumbrarunt. Quæ materia in Politicis instar principii est, à quo pēdet omnis non disciplina tantum Politica, sed & huius scopus; procuratio dico publicæ salutis. Intelligebat id Generosus ac Nobilissimus *Andreas Rey à Naglowice* auditor, hospes & amicus meus, quem merito suo animitus æstimo & amo. Nec intellexit tantùm; sed & re ipsâ ostendit quanti hoc in Politicis argumentum faceret: vtpote cui partim explendo, partim illustrando operam impendit accuratam admodum & diligentem, perlectis in eo genere quoquot haberi poterant autoribus. Ita quidem vt agniturum te æstimem, æque Lector, post omnes eos qui de *Consiliario* scripserunt hactenus viros præstantes & clarissimos pretium studii sui Politici haud pœnitendū fecisse Iuuenem hunc mentis & gentis nobilissimæ. Cuius porrò studiis, quorum causa in Gallias nuper adeò profectus est, simul & peregrinationibus fausta omnia mecum apprecaberis. Vale.

B. KECKERMANNVS.

DISCURSUS POLITICI

De

CONSILIO,
CONSILIARIO, &
CONCILIO *siue* CONSULTATIONE.

Ingenii in Politicis acuendi gratia conscripti

AB

ANDREA REY à Naglowice,

ET

In celebri Gymnasio Dantiscano ad disputandum extraordinariè propositi,

Sub præsidio

Cl. Viri

BARTHOLOMÆI KECKERMANNI
Philosophiæ Professoris.

Ad diem Iulii 21. Anno 1607.



HANOVIÆ,
Apud Guilielmum Antonium, M D C VIII.

Mag

P R O

C O

Totique a

AND

B

mensiun

vt,quod

rem in A

me fama

in erudi

tinuit. D

nisi fallo

vixero.

quid vic

pertine

nunc di

ui; Pol

plinaru

percep

nunqua

mihi nu

pe Disc

VIRIS

Magnificis, Spectatissimis, Prudentissimis,

DNN.

PROCONSVLIBVS, &

CONSVLIBVS,

Totique adeo Amplissimo Senatui inclitæ Reipublicæ Dantiscanæ,

ANDREAS REY à NAGLOWICE,

S. D.

Biennium est, cum in vrbem vestram veni. Nec tamen veni, vt biennio essem. Duorum aut triũ mensium commorationem decreueram; vt, quod alibi datum non erat, hîc haurirem in Athenæo vestro, ab eo viro, cuius me fama huc allexerat. Doctrina verò, & in erudiendo dexteritas, sola hucusq; detinuit. Detinuit autem meo bono, de quo nisi fallor, mihi sim gratulaturus quã diu vixero. Videor. n. mihi nunc demum aliquid videre in iis studiis, quæ proximè pertinent ad scopum meum. Nec de aliis nunc dicam, quæ per hoc tempus tractaui; Politicam sanè illam, omnium disciplinarum principem, & integram licuit percepisse, & tali ordine, quali antehac nunquam. Eius aliquod specimẽ visum mihi nunc in publicum edere: Hos nempe Discursus de Consilio, Consiliario, &

Consultatione. Quos quidem Vobis, Viri Amplissimi, vltro dedico atq; inscribo. Neq; aliter debui, siue materiam considerem, siue Vos, siue meipsum. Materia & augusta planè est, & talis, quæ pro fundamento sit toti prudentiæ Ciuili. Vos autem tali materia maximè digni, quorũ in capiendis consiliis prudentia spectata passim & celebrata. Me deniq; quod attinet, debebam omnino Vobis hoc mei erga Vos grati affectus testimonium; quod tanquam chirographum bona fide scribo, & hinc discessurus relinquo: Vtpote qui eximiam quãdam Vestram isto biennio comitatem sum expertus. Cum honore & amore venientem excepistis, hærentem habuistis. Quo meo merito? Nullo fateor, sed solo impulsu beneficæ & humanæ naturæ, quæ inter Septentrionis vrbes propriè Vestra. Accipite ergo hũc ingenii mei partum Politicum formâ nouũ, materiâ veterem, sed nec omni materiæ parte veterem, non sanè illâ quæ est de Consilio. Accipite, inquam, fœturam animi mei, quem Vobis perpetuo addico, & ex quo pro Reipub. Vestræ & Vestra omnium incolumitate vota ad Deũ Opt. Maxim. deuotè concipio. In Vrbe & Gymnasio Vestro 14. Cal. Aug. Anno 1607.

PRÆFATIO AD DISCVRSVS HOS POLITICOS.

TRES sunt in homine vires, nosti beneuole Lector, Mens, siue vis illa sapiendi, Affectus & Cupido. Hinc humani generis secula & ætatem durãtis mundi sapiens vetustas trifariam distinguit. Et ætatem quidem primam ait fuisse mentis, velut alumnam, in qua excelluerit Sapientia, & artes inuentæ sint, & gubernatio Rerumpub. fuerit paterna adhuc, plena prudentiæ, & iustitiæ, & authoritatis. Altera verò iam gradu inferior Animum magis coluerit quam mentem; animosa nimirum & bellicosa & prona ad iram, quæ cos est fortitudinis. Et hanc durasse aiunt à Nimrodo, robusto illo venatore, vsque ad Iulium Cæsarem; quem deinde exceperit tertia mundi ætas, vt tempore, ita gradu postrema atque infima, voluptatis & cupiditatum magis quam Mentis & Animi nutrix; In qua ipsa, etsi plurimum quoque semper fuit & adhuc sit bellorum, nec desint viri animosi ac fortes, tamen nec gestam rem esse, nec adhuc geri, pari animorum vigore ac labore. Tumultus in ea, inquiunt, assidui fuerunt, sed tales quibus fiunt

vastationes, non constituuntur, aut ornantur imperia. Hæc de periodis humani generis, siue mundi ætatibus sententia veterum fuit, & est adhuc recentium multorum clarissimorum autorum. Quorum ego sanè pio sapientique iudicio non ibo præiudicatum, aut detractum; nec me id decet iuuenem. Interim audiui qui ita sentirent; Id esse extremam hanc in qua viuiuimus mundi ætatem, quod vallis est, in quam per adiacentium montium præcipitia omnis ex alto torrēs validissimè decurrit. *Nempe & Mens & Animus in hæc labentis mundi ima secula præcipiti lapsu, velut ex alto, dimanauit: sed ita, vt iisdem affluxerit abyssi quædam scaturigo, luxuries & libido, ac voluptas perditissima. Ac de voluptate quidē & luxuria nostri æui si maximè ego taceam, vociferabuntur tamen tum alia pudenda, & ob id non nominanda, tum vero etiam quotidiani luxuriosissimorum conuiuiorum, ac profusissimarum comessationum strepitus, qui nescio, an vllo mundi seculo fuerint frequentiores. De animo autem atque iracundia penè inexpugnabili, clamant horribilia bella; quæ si historias consulimus, ab initio mundi longius protracta non fuerunt, quam hac ipsa mundi ætate. Nihil dicam de bellis ciuilibus in Gallia, quæ ante annos sedecim ægerrimè composita, tot ante continuis*

annis

annis Regnum istud miserabiliter funestarunt. Nihil de Vngariæ tam diuturno, & vix nunc qualicunque pacis imagine, & spe potius quam pace sopito: solum illud exemplo sit bellũ Belgicum, *tanta animorum obfirmatione, tantisque obsidionum miraculis gestum, vt ei par nullum ex vlla historia allegaueris: ne illud quidem Peloponnesiacum, quod tanquam omnium bellorum pertinacissimum descripsit Thucydides; durauit enim id annis septem & viginti, cum* bellum Belgicum *duret annis continuis quadraginta & amplius. Nam istæ quæ nuper adeò sancitæ sunt induciæ, vereor ne tales sint, quibus illud Poetæ conueniat:*

Nunc equidem pax est, sed non fiducia pacis.

Iam porrò ad mentem quod attinet & vim illam ingenii humani, quam τὸ ἡγεμονικὸν *veteres ex Platone appellarunt, sanè fatentur omnes, & si nemo fateretur, experientia ipsa euinceret; nullum ab initio mundi seculum fuisse, in quo tantus fuerit, tamque excelsus inter homines apex & gradus, tum doctrinæ ac sapientiæ in omnium artiũ inuentione & illustratione, tum sagacitatis ac prudentiæ in consiliis rerum agendarum. Nimirum hic vltimus est conatus naturæ iam in propinquo expiraturæ. Et visum Deo est, ista tum verbi sui ac doctrinæ cœlestis,*

tum linguarum & artium omnium meridiana luce, & eminenti in rebus agendis sagacitate, homines reddere inexcusabiles, ne quid sit quod in illo qui instat, die Decretorio possint prætendere vel ignorantiæ, vel obscuritatis & difficultatis. Ac de sagacitate quidem in consiliis quod dixi, id vero est cuius gratia præcedentia omnia dixi, quodque adeo maximè est de proposito meo. Fuit in Græcis magna consilii vis, fuit & in Romanis; sed in his imprimis, quos arma foris, & consilium domi, plerisque mundi gentibus superiores, omnibus terribiles reddidere. At verò si consilia Romanorum, qualia partim à Liuio, partim à Dione & aliis grauissimis historicis descripta sunt, conferantur cum iis quæ ab annis centum in Hispania, Italia, & huius parte Reipub. Veneta, Gallia, Germania, Anglia, Polonia, aliisque regnis, siue ad pacem, siue ad bellum inuenta susceptaque à Cominco, Guicciardino, Sleidano, recentioribus item Gallicæ historiæ autoribus, Meterano itemque aliis ex parte annotantur; fatendum fuerit, ætatem hanc inueniendi promto acumine, & iudicandi exquisita dexteritate, antiquitatem non tantum æmulari, sed & superare. Corpora nempe per hanc effœtam mundi senectutem cum nascantur sicciora & imbecilliora quam olim, idcirco ingeniorum vis maior; decrescentibus enim

viribus

viribus corporis, crescit vigor animi, *ut sapienter inquit Plato. Sed & plura ac maiora ad prudentiam politicam adminicula habet hæc nostra ætas ex veterum rebus gestis atque historiis. Quin & peregrinationes hodie sunt tum frequentiores, tum magis longinquæ; ita vt maior omnium rerum experientia acquiri possit. Sunt & plures viri docti in omnibus aliis disciplinis, quibus ad politicam præparamur atque erudimur, tum quoq; in ipsa politica & singulis eius partibus. Nullo vnquã mundi seculo plures libri vel scripti & editi, vel lecti sunt quam hoc nostro; non in aliis tantum scientiis & artibus, sed etiam in Politica, tam togata, quam bellica. Quam plena est Italia subtilissimorum discursuum politicorum? quam plena Gallia? Vt nec de aliis regnis dicam, nec de Polonia nostra; in qua vel vnius anni huius spacio memorabile dictu sit, quam varia de variis rebus ad Reip. summam pertinentibus scripta Consilia ac Discursus sparsi in publicũ fuerint. Nõ id quidẽ affirmarim, seculi huius tantam, quantam prædicaui, sagacitatem, cum pietatis & honestatis bono semper coniunctã esse. Calliditas in quamplurimis regnat & astus atque versutia versipellis. Bonum consilium esse nullo modo potest, quo ad id quidem peruenitur quod sit bonũ; non autem qua ratione decuit, inquit maximus Phi-*

losophorum lib. 6. Eth. c. 9. Plus est vbique nunc scientiæ, quam cõscientiæ; & sic plenus est mundus sapientiâ vt ebrii vino, quod concoquere rectè, inque bonum succum conuertere non possunt. Sed interea id tamen obtinuerim, ingenium in nostri æui hominibus esse acre, subtile, &, vt de Machiauello CL[mus] *Lipsius iudicat, igneum. Quo si ad pietatem & ad omnem virtutem vti vellent, facile possent. Iam autem quia plerique nolunt, & quia ad voluptatẽ potius quam ad virtutẽ omnia dirigunt, ideò repletur orbis callidis atque acutis consiliis & technis insidiosis; vt verissime in hæc tempora aptetur illud tritum:* Practica est multiplex, beatus qui intelligit eam. *Sanè beatus, id est, salutaris tum sibi, tum patriæ ciuis, non qui excogitat aut machinatur talia; sed qui prospicit, qui indagat, qui cauere potest, atque elidere, siue eludere. poterimus autem, si quid sit genuinum illud & Rebuspub. salutare consilium Politicum, quis eius inueniendi capiendique modus, rectè intellexerimus. Neque est in tota Politica argumentum vel augustius, vel fructuosius, vel denique difficilius. Vt dolendum magnopere sit eos, qui Politica scripserunt, consilii genera ac vias modosque omnes non esse exactius perscrutatos. De* CONSILIARIO *præstantes aliquot autores tractarunt: at de eo vnde nomẽ & vim*

omnem

omnem suam consiliarius habet, id est, de ipso consilio, ita tenuiter delibarunt, ac si ad politicam id magnopere non pertineret. Quæ me causa mouit, Lector beneuole, vt ex ditissimo materiarum politicarum thesauro, vnicã hanc Gemmam delegerim, quam exercitii causa, studio quodam meo contentiori industriaque polirem. Polirem dico, nulla alia quam methodi & ordinis limatura. Hinc adeò totam hanc commentatiunculam Politicam in tres partes velut summa capita distinxi, nẽpe de CONSILIO, CONSILIARIO, *&* CONSVLTATIONE. *Methodi rationem iis facilè probauerim, quibus methodi ars perspecta est: hæc enim iubet à natura prioribus, atque adeò ab abstractis ad concreta, à causis ad effecta procedere. Naturæ hunc ductum, intelligis Lector, sat scio; idcirco ambagibus nullis amplius te in vestibulo hoc detenturus ad interiora ipsa Discursuum meorum rectâ ducam & mente, & manu seu stilo.*

DE CONSILIO
DISCVRSVS PRIMVS.
Quid sit Consilium & quotuplex?

MVlta nomina casu potius quam ratione imposita rebus esse, etsi pertinax olim Stoicorum secta negarit, ipsa tamen vocum consideratio manifestum facit. Consilium à *Con & Salio* deducunt, quod plures rationes simul velut in vnam sententiam saliant siue conueniant. At quam dura est ista originatio? ita vt alicunde nomen istud ortum esse negare malim, quam inde ortum affirmare. Cæterũ valdè lata est consilii significatio. Interdum sumitur pro mentis humanæ operatione siue actione qua rei determinatio, id est; explicatio, aut probatio quæritur & inuestigatur: interdum pro ipsa rei determinatione iam inuenta, vt cum dicimus, do tibi hoc vel illud consilium. Et ita generaliter acceptum consilium conuenit tum arti, tum prudentiæ. Arti quidem isti quam coniecturalem vocant, vt Consilium medicum, consilium nauticum, consilium Rhetoricum. Ego autem consilium ita late hoc loco non accipio; sed strictiorẽ & propriam magis significationem sequutus, consilium tribuo disciplinis practicis siue prudentiæ. Quomodo etiam consilium definiuit Aristoteles: quod nempe sit, ratiocinatio animę de his quæ agenda sunt. lib. 2. Eth. c. 3. Et lib. 6. Eth. c.

9. Cum

9. Cum prudentiæ ſit conſilia capere, ideo conſilium eſt recta via ac ratio, quæ ſingulis in rebus quid vtile ſit ſpectans, ad eum finem producit cuius ſit vera æſtimatio in prudentia. Cicero definit conſilium quod ſit appetitus faciendi excogitata ratione. 1. Rhet. Quem ſecutus Damaſcenus: Cōſilium, inquit, eſt appetitus inquiſitiuus de rebus vtilibus, lib. 3. fid. orth. cap. 3. Legi non neminem, qui ex Thoma Aquin. ita conſilium definiuerit; quod ſit *inquiſitio eorum, quæ pertinent ad finem operabilium ſiue rerum agendarum à nobis non inuentarum nec determinatarum*; Secunda ſecund. quæſt. 52. artic. 3. Sed ex eo fundamento, quod paulò antè iecimus, Conſilium practicum diſtinctè nobis conſiderandum fuerit. Sicut ergo mentis humanæ actio, ita & conſilii inuentio dupliciter conſideratur, quatenus eſt naturalis, & omnibus hominibus communis; poſt, vt certis præceptis ac normis, quas ita per naturā non habemus, inſtructa eſt & gubernata. Sic nempe ratiocinatio eſt actio homini naturalis, ſed ita, vt nonnulli qui videlicet arte Logicâ eruditi ſunt, ratiocinentur ex arte ſecundum certas normas ac præcepta, è quibus intelligunt ſe rectè ratiocinari, & causā norunt, cur ſic, & non aliter ſit ratiocinandū. Ita ergo & conſilium vel eſt merè naturale, vel prudentiæ præceptis gubernatum, quale quidem in hac noſtra commentatione præcipuè ſpectamus. Iam porrò & hoc inprimis obſeruandum fuerit, ſicut humanæ mentis actio ſiue functio duplex eſt: Primò ſimplex, quâ rei vnius natura explicatur; poſt etiam cōiuncta, quâ vel vnū ex alio ꝓbo ac cōcludo, vel res diuerſas diſpono atq; ordino.

Logici vocant *Syllogisticum* ac *Methodicum*: Ita quoq; consilium esse vel simplex, quo nempe requiritur aut determinatur quid sit agendum, aut quomodo; vel esse coniunctum, quo inquiritur & determinatur vel an sit agendum; item, an hoc potius agendum quam illud; vel, quo ordine aliquid sit agendum. Hæc consilii distinctio magnę est vtilitatis, vt dolendum sit, eam ab iis, qui consilium definiuerunt, non esse animaduersam. Definiunt enim consilium ita, ac si tantum sit quiddam syllogisticum, seu ratiocinatio quædam, quâ inquirat mens humana, an aliquid sit agendum, necne. Cum tamen difficillima quæq; & maximè ardua consilia non sint syllogistica, id est, non sint talia, quibus quæratur, an aliquid agendum sit necne, sed quid sit agendum, quomodo, & quibus causis seu mediis, aut etiam quo ordine seu quo processu aliquod negotium tractandum sit. Quę inquisitio nō est syllogistica, sed simplex, & pertinet ad primam mētis humanæ siue intellectus functionem, vt ii norunt, qui in diuina arte Logica rectè sunt instituti. Et hæc quidem de consilii tum definitione, tum generali distinctione seu partitione. Specialius autem diuiditur consilium practicum secundum diuisionem disciplinę practicæ siue prudentiæ. Est.n. prudentia vel prima, vel orta. Prima prudentia est tum generalior, nempe Ethica; tum specialior, nempe Oecon. & Politica. Orta autem prudentia est Iurisprudentia. Hinc ergo consilium practicū partiendum fuerit in Ethicū, Oeconomicum, Politicum & Iuridicum. Et in his omnibus disciplinis de consilio peculiari quodam ac proprio re-

spectu

ſpectu tractandum. Ipſo quidem titulo profeſſus ſum de Politico conſilio potiſſimum Diſcurſus hos inſtitutos eſſe.

2 *Quanta ſit conſilii Politici vis ac neceſſitas, & quorſum eius tractatio in Politicis pertineat?*

Ingens lubricitas & inconſtantia rerum agendarum efficit homini graue & moleſtam vitam; cuius curſum nec tenere, nec dextrè poſſet perficere, ſi non perpolitas haberet ingenii vires in capiendis inueſtigandiſque conſiliis iis, quæ ad decus tuendum & dignitatem actionum ſeruandam faciunt. At verò longe maior eſt lubricitas & varietas in negotiis, quæ tractare debent ii, qui ad gubernacula Rerump. ſedent. Nam etſi quaſdam certas & determinatas regiminis curas habent, multa tamen, imò infinita iis occurrunt tã perplexa, tamq; ambigua, vt humanæ mentis etiam perſpicaciſſimæ aciem effugere videantur. Ad res ergo eiuſmodi opus eſt conſilio, quod idcirco velut rem ſacroſanctam venerantur homines ἱερὸν ἀληθῶς χρῆμα συμβουλία; *Sacrum quid verè eſt conſilium*, inquit Menander: Et alius autor: σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα: *Res ſacra conſultor*. Et ſanè nõ virib. aut celeritate, aut alacritate corporum res magnę geruntur, ſed conſilio & autoritate. Et quoties Deus Opt. Max. voluit aliquam politiam florere, dedit illi heroicos & ſapientes conſiliarios, verũ cuius fortunam mutare conſtituit, illius conſilia prius rupit. Hinc ſapientiſſimus hominum Prouerb. 11. *Vbi non ſunt prudentia conſilia, corruit populus; ſalus autem eſt in amplitudine Conſiliarii.* Et cap. 8. *Conſilii inuentionem quaſi immediatè tri-*

buit filio Dei, tãquam æternæ sapientiæ. Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. Agnouerunt certè hanc consilii vim & ne-
„ cessitaté Politici & Historici omnes. Ego, inquit
„ Salustius, multa legendo & audiendo ita com-
„ peri, omnia regna, ciuitates, nationes vsque eò
„ prosperum imperiũ habuisse, dũ apud eos vera
„ consilia valuerunt; vbicunque gratia, timor, vo-
„ luptas, ea corrupere, post paulò imminutę opes,
„ deinde ademtum Imperium, postremo seruitus imposita est. Althus. c. 22. Polit. Richterus axiomate polit. 32. & 154. Inprimis Gregor. Tholos. lib. 24. c. 5. multas recẽset Respub. quæ bonis consiliis natæ, & in ipso flore multis annis conseruatæ fuerũt, multas etiam, quæ cũ ante floruissent, prauis consiliis pessum iuerunt. De quo eodem monet etiam nobiliss. ille Seigneur de la Noüe, en les Discours politiques & militaires, inquiẽs:
„ Ce qui apporte alteration, changement, ou rui-
„ ne, sur tout aux monarchies, est, quand les mau-
„ uais conseiliers ou ignorans conseilent le Prince. Sed id credere nolunt multi Principes, nisi tum, cum grauia tempora Reipub. ingruunt, quibus demum amare incipiunt ciues consilio per doctrinam & experientiam pollẽtes, quos ante vel nauseabunde fastidiuerant, vel superciliose spreuerant. Vt Latinorum, Francisci Galliarum Regis, & aliorum exemplis probat Machiauel. lib. 2. de Rep. c. 22. Porro cum consilii Politici tãta sit vis & necessitas, sollicitè admodum cogitandum fuerit, quorsum in Politicis ea tã ardua tractatio pertineat. Id quod ante quidem obscurũ erat, sed nunc postquam Methodum politicæ disciplinæ

dexterio-

dexteriorem diuino beneficio nacti sumus, perspicuè ac breuiter indicari poterit. Circa regimẽ politicum duo consideranda sunt; 1, eius institutio, pòst eiusdem instrumenta. Constitutio regiminis consideratur vel in genere, vel in specie, & secundum partes. Cõstitutio regiminis in genere considerati, pendet tum à causa dirigente siue norma, tum à causis & partibus essentialibus, tum denique à causis adiuuantibus. Causa dirigens siue Norma regiminis est lex Politica. Causæ & partes essentiales regiminis duæ sunt: nempe omnium eorum, quæ ad Reip. salutem pertinent, cognitio ac determinatio; & deinde cognitorum ac determinatorũ administratio & executio. Ad priorẽ partẽ essentialem regiminis pertinet Consilium Politicum; cuius natura ac distinctiones hoc loco methodicè in Politicis explicãtur: sicut videre est tum in Systemate Polit. Clariss. *Bart. Keckermanni* præceptoris mei omnibus officiis colendi, tum inprimis in secunda eius disputatione ordinaria Politica, thesi 42. & seqq. Porro cum status publicus, siue Regimen publicũ cõsideretur vel absolute & in sua natura; vel restrictè, secundũ cõditiones vitæ humanę: Et verò omnis disciplina id primò spectet, quod absolutè & secundum naturam est; ideo etiam Politica primo tradit de regimine in se & sua natura atq; absolutè cõsiderato, quod *Monarchiam* vocant; post demũ de regimine restricto ad conditiones & commoditates huius vitæ, & ad certas circumstantias Locorũ, Temporum & Personarũ; quale Regimen est Aristocraticum & Democraticum; itéque mixtũ ex Monarchico & Aristocratico &

Democratico. Hincque adeò etiam consilium primò cōsideratur, vt est pars essentialis regiminis absoluti, siue vt ad Principatum & Monarchiam pertinet. Secus enim nulla in Politicis dextra ac Methodica tractatio de Consilio institui posset; sed omnia essent plena inanium repetitionum ac tautologiarum. Quæ autē de Consilio, Consiliario & Concilio circa absolutum regimen tractantur, illa ad reliquas Rerumpublicarū formas ita accommodari debēt, vt doctrina generis restringitur & accommodatur ad doctrinam speciei. De quo monere Lectorem propterea visum est, vt instituti nostri ratio ac methodus rectius constaret.

3 *Vtrum aliqua consilii capiendi siue inueniendi & dandi præcepta dari possint: & si possint, vnde haurienda sint?*

Inter difficilimas hominis functiones omnino numerari debet recti bonique consilii inuestigatio atque inuentio; nec vllos magis honoramus quàm eos, qui consilio prompti sunt ac felices. Quia nempe omnis prudentia rerum humanarum versatur in ambiguitate. Quam sententiam veluti Symboli loco habuit Cancellarius Poloniæ nostræ, consilio & manu verè Magnus *Iohannes Zamoiscius* inclitæ memoriæ. Iā si in ambiguitate versatur omnis rerum, præsertim Politicarum, prudentia, aut mera in omnibus imperiis confusio ac perplexitas dominabitur (ambiguitas enim, vt Philosophi inquiunt, est mater confusionis) aut tollenda ista rerum ambiguitas fuerit aliquo fausto felicique medio. Illud autem medium nullum aliud est, quam Consilium. Ita vt mi-

vt mirandum simul & dolendum sit, quod & in Præfatione ad Lectorem questus sum, de tollenda vocum ambiguitate, tam multa præcepta sollicitè à Logicis tradita esse; de tollenda autem rerum Politicarum ambiguitate, quæ & maior lõge & periculosior est, id est, de consilio vestigando atque inueniendo, à Politicis pene nihil traditum aut præceptum esse. *Dico pene nihil*: Etenim ex istis, quos in hoc argumento de Consiliario & Consultatione perуolui, quadraginta circiter autoribus (plures enim videre non licuit) nemo fuit, qui Consilii capiendi præcepta ac regulas in Politicis præscriberet, præter vnum *Leonem Imperatorem*, cui ob hoc etiam immortales gratias debet posteritas. Is ergò in libro De bellico apparatu, quem è Græco in Latinum fecit Iohannes Checus Cantabrigiensis, capite 4. De consilio bellico capiendo præcepta tradit eiusmodi, quæ generalia sunt, & ad omne consilium applicari rectè possunt. Quæ quidem huc transscribere, vt non fuerit sine exemplo; ita opinor nec citra operæ pretium. Numerabimus autem distinctè singulos Imperatoris Canones: modò id notetur, cõsilium capiendi & instituendæ consultationis Can. à Leone commisceri, qui discerni debent in textu, quem per axiomata sua distinctũ allegamus. E quib. primũ est:

1 Omnem actionem consilium anteat; inconsulta enim rerum tractatio haud tuta est. Nam quanquam interdum quis glorietur, se quasi simul & deliberauerit & res suas gesserit, res multas prosperè atque ex tempore gessisse, tamẽ perraro aliquid vsu venire fortunate solet.

2 Propterea inprimis præcipimus tibi, vt ante omnes res suscipiendas, maximè autem bellicas consiliũ

cum iis præfectis capias, qui tibi ad hæc idonei videbũtur, cuius generis *turmarchæ* reliquique sunt. Vbi verò firmitatem aliquam habere consilium videbitur, rem ipsam, de qua deliberasti, omni studio ac diligentia contendas ad exitum perducere, nisi si (quod persæpe solet accidere) aliquid interim aduersum & contrarium consilio contingat. Consilium autem quidnam tandem sit, & quemadmodum consilium tuum expedire possis, explanabo.

3 Consilium est deliberatio quædam de re agenda vel non agenda. Si res agenda non sit, statim sistendum tibi est: sin agenda sit, modum agendi vel quomodo, tempus vel quando, vbi vel locũ, quid vel rem agendã, quem vel personam, qui hoc suscepturus, & ad exitum perducturus est, propter quid vel causam, cuius gratia res suscipitur, considerare oportet.

4 Qui deliberaturus secum est, ante omnia ipsius mentem ab omnibus perturbationibus liberam habeat, maximè autem ab amore vel odio, atq; omni alia perturbatione, quæ rei, de qua deliberatur, damnosa esse potest.

5 Deinde non solum quid facile sit, eligito, & in hoc incumbito, sed etiam omnia, quæ vsu venire possunt, animo prospice: fortassis enim post rem inceptam, aliquid se tibi, quod inprimis conducibile est, offeret, quód antea prætermisisti.

6 Quod si tecum ipse non solum capere consilium, verumetiam alios assumere volueris, teipsum tamen périnde ab omni perturbatione vacuum præbe, ac si solus deliberares. Consultores autem adhibe experientes rerum, prouidos, perspicaces, ærumnarum ac prosperitatis tuæ socios, ad excogitandum solertes, fideles, qui neq; tibi ad gratiam obtemperabunt, neq; illi, qui rei susceptor existit, neq; sibi mutuo, sed qui, quod cogitant, dicunt, qui simplici animo & incorrupto sunt, sed eo ipso tempore quid maxime vtile sit, explorant.

7 Sunt enim, qui cum lucrum aliquod, aut compẽdium, aut ad se, aut ad eos, quos caros habent atque diligunt, pertinere posse vident, totam iudicationem eò transferunt: Et quia pertinaces sunt; vniuersum consilium

lium ab vtilitate communi ad id, quod ipsi volunt, deducunt.

8 In occultis & abditis fideles adhibe tibi & temperantes viros & taciturnos, & qui in sua & non aliorum potestate sunt, cum secretæ res istæ vt secretiores fiant, minimè ad cognoscendum multitudine indigent.

9 Delibera tardè, nisi aliqua necessitas celeritatem requirit: vbi consulueris, si nullum impedimentum sit, maturè facito.

10 Tempus & locum, quemadmodum prædictum est, rei idoneum elige. Sed de ea referas non ad teipsum solum, sed etiam ad omnes, qui tecum consilii participes fuerant, & quid facto opus sit, cum multis delibera: quæ verò agere volueris, cum paucis communica. Et vbi optimum ex omnibus consilium ceperis, apud te solum tene, ne aduersariis hoc indicetur, & insidiis illorum appetare.

11 Res ipsæ diuersas & plurimas afferunt sententias: fortassis autem omnis res circumstans omni ex parte manifesta fiet, si singulæ consultorum sententiæ inter deliberandum in vnum conferantur.

12 Omnes enim debent huc spectare & conuenire, ad saluam atq; illæsam multitudinem conseruandam, & ad curam prouisionemque eius, qui eos conuocauit suscipiendam.

13 Finis consilii sit tibi, vt cognoscas in rebus gerendis vbi & quando agendum vel non agendum sit, & qua de causa quidq; agendum.

14 In deliberatione tua & in omnib. sententiis, quæ in deliberationem veniunt, adesse hæc duo oportet; posse illud fieri, atque vtile esse: Hæc enim duo si non adsint, infirmum consilium esse & temerarium, statim deprehenditur, & quasi ante oculos vitium eius cernitur.

15 Si enim inutile sit de quo deliberas, non modo non commodaberis, verum etiam læderis. Si verò non possunt, de quibus deliberatum est perfici, inanis hæc consideratio ad temerarium exitum, quod id fieri nullo modo aut viâ potest, necessario pertinet. Inprimis autē vitare oportet eas offensiones, quæ in promptu sunt: vulgus enim hominum solet rerum futurarum cogi-

tationibus seipsos oblectare;offensiones autem circumstantes prouidere non solet.

16 Vtilissima autem est in omnes partes animi quasi excubatio, & eorum, quæ vlla ratione fieri possunt in considerandis reb.pertractio: Ita enim fiet, vt neq; teipsum nimis cæcæ temeritati exponas, nec rursus nimia rerum cupiditate illectus,in manifestum aliquod discrimen incidas.

17 Rursus timor absq; vlla audacia à vitio non abest, & qui quosvis temerarios casus formidat, temere sæpe aduersus seipsum multa facit,& quæ ex vsu suo sunt, negligit,& ab vtilib.rebus suscipiendis abhorret.

Hæc de consilio capiendo Leonis Imperatoris præcepta sunt; laudatissima illa quidem, sed magna parte generalia tantum,quibus non satis specificè aut distinctè monstratur,quot sint consiliorum formæ, & quomodo in singulis procedendum sit. De quo breuiter hoc loco ita disseram,vt suum cuiq; iudicium cupiam saluum atq; intactum relinquere. Rerum ergò cognitio à cōsilio sic differt,vt cognitio eius quod iam est,à cognitione eius,quod nondum quidem est,sed esse possit & futurū sit.Itaq; vt omnis rei, quæ iā dum est,cognitio distinguitur in *Simplicem* & *Coniunctam*,ita quoq; consilium distingui debet. Atque adeò quibus instrumentis Log.tum simplicis rei explicatio instituitur, tū coniunctæ probatio ac dispositio, iisdē instrumētis tū simplex consiliū capi,tū coniunctū institui debet. Hoc potissimū gemino discrimine notato: Primò; Quod cōsilia sint rerum futurarum,& quidē magis singulariū, quàm vniuersaliū, ita vt respiciendum sit inprimis ad antecedentia,connexa,consequentia, locorum & temporis circumstantias, ad quas circum-

cumſtantias ſingulares etiam reliqua argumen-
ta, Cauſarum nempe, Effectorum, Propriorum,
Partium, &c. accommodare & reſtringere opor-
tet. Vnde ad conſilia capienda, ſenſus ac obſer-
uatio, & diuturna plurimarum rerum experien-
tia magis requiritur, quàm ad rerũ, quatenus iam
ſunt, cognitionem. Secundo, Quod in rerũ, quę
iã ſunt, cognitione, ea tantũ mẽs noſtra cogitet
argumẽta, quæ per ſe & ſua natura reb. inſunt: In
cõſilio verò tã ſimplici, quã cõiuncto capiendo ea
omnia etiam argumenta capienda & aduocanda
ſunt, quæ per accidens reb. aduenire, & quocũq;
tandem modo aut caſu accidere poſſunt. Itaq; in
rerum, quatenus iam ſunt, tractatione ſiue ſim-
plici, ſiue cõiuncta, ea argumenta ſumuntur, quę
ſeruiunt ſcientiæ, & ex quadam partiali ſcientia
naſcuntur. In conſilio aũt, i. conſideratione rerũ,
quatenus eſſe poſſint, argumẽta inueniuntur per
στοχασμὸν, i. peculiarem illam mentis humanæ fun-
ctionem, quæ *Coniectura* appellatur. Hinc nimi-
rũ nõ quilibet, qui ad rerũ quatenus ſunt, cogni-
tionẽ & ſcientiã atq; eruditionẽ adipiſcendam a-
ptus eſt, ſtatim etiã idoneus eſt ad cõſilia capiẽda.
Aliud enim eſt, poſſe feliciter apprehẽdere & in-
telligere & diſcere; aliud verò, poſſe feliciter cõ-
iectare. Requiritur ad conſilia ingenium στοχαστι-
κὸν, i. tale, quod naturalem vim habeat ex iis, quæ
ſunt, cõiecturãdi ea, quæ nondũ ſunt, ſed eſſe ta-
men poſſint vel debeant. Quare capiendi conſilii
pręcepta magna parte cõueniũt cũ præceptis cõ-
iecturæ faciendæ. Quæ quidem hucuſq; in arte
Logica & eius Gymnaſio ſiue exercitiis, vt &
ſummè neceſſaria plurima alia à Log. omiſſa fae-

runt. Clariss. autem Keckerman. pro suo in artem Logicã indefesso ac perpetuo studio ea addidit, prout secunda editio *Gymnas. Logici* suo tempore testabitur. Interea videri possunt ea, quæ de cõsilio capiendo monuit Disputat. Politica ordinaria secunda, thesi 41. & seqq. Itane ergò ad Logicam, dicat aliquis, pertinet consilii capiendi ratio ac via? Pertinet omninò, vt aliarum rerum cognitio, ita quoq; Coniectura & Consiliũ ad Logicam: nempe quoad modum dirigendi, & quoad instrumenta, processum ac methodum. Non autem quoad materiam, siue res ipsas; nam eę, vt in aliis tractationibus aliunde, ita in consilio capiendo ex iis disciplinis capiendæ sunt, ad quas propriè pertinent. Res enim consilii Ethici ex Ethicis, OEconomici ex OEconomicis, Politici deniq; ex Politicis sumendæ sunt. Vnde iam cõcludo, Ad consilium Politicum feliciter capiendum quatuor requiri: I, Naturalem vim coniectãdi. II, Artificium coniectandi ex Logica, per quam vis illa naturalis perficitur, confirmatur, illuminatur & gubernatur, ne aberret, & causas intelligat, cur sic potius quàm aliter sit coniectãdum. III, Disciplinæ Politicæ exquisitam peritiã. Ad consilium enim de Repub. dandum caput est nosse Rempub. inquit sapienter Cic. 2. De orat. IV, Deniq; exemplorum variam & copiosam obseruationem & collationẽ, petitam partim ex historiarum diligentiss. lectione, partim ex diuturna & quotidiana experientia rerum quæ accidũt, tum in aliis Rebusp. (ad quod peregrinatio requiritur) tum verò & quidem præcipuè, in ea, pro qua consilium dare debebis.

4 *Quot*

4 *Quot ſint conſiliorum Politicorum genera; & quomodo diſtinguendum ſit conſilium ſtatus abſoluti à conſilio ſtatus eminentioris; itemq; conſilium ſtatus togati à bellico.*

Supra diuiſimus conſilium generaliter ſpectatum in Ethicum, OEconomicum & Politicum; hîc diſtinguẽdum eſt ſpecialiter acceptum, i. Politicum. Id quod non ſemper vnum eſt, nec de eo in vno eodemque loco in Politicis præcepta traduntur. Neque enim methodus Politicæ diſciplinæ permittit, vt in ſtatu abſolutè conſiderato doceatur de conſilio ſtatus eminentioris ſiue religioſo; nec ferre poteſt, vt in doctrina de ſtatu pacato, monita proponantur de conſilio ſtatus turbati ſiue bellici. Diuidimus ergò Politicum conſiliũ ita, vt ipſe Politicus ſtatus diuiditur, nempe in perfectum, quod valet in Monarchia abſoluta; & minus perfectum, quod eſt in Polyarchico ſtatu; Deinde, vt Polit. ſtatus conſideratur vel abſolutè, vel eminenter; Ita quoque conſiliũ dicimus aliud eſſe ſtatus abſoluti; aliud ſtatus eminentioris. Deniq; vt ſtatus publ. eſt vel pacatus, vel turbatus, ſiue bellicus; ita etiam conſilium omne vel togæ eſt ſeu pacis, vel belli ſocium. Nimirum res iſtæ diuerſæ ſunt; idcircò & diuerſa conſilia, & diuerſos conſiliarios expoſcunt. Ita vt conſuetudo Alexandri Seueri ſit laudatiſſima; qui, vt, Lamprid. ſcribit, *ſolos diſertos ac doctos adhibuit in conſultatione de iure & negotiis tranquillæ Reip.* Sin aũt de re milit. quęſtio eſt inſtituta, milites veteres adhibuit & ſenes bene meritos, & locorũ bene peritos ac bellorũ

ac castrorum, & omnes literatos, & maximè eos, qui historiã norunt, requirens quid in talibus casib. quales in disceptatione versabantur veteres Imperatores vel Romani, vel exterarum gentium fecissent. Pyrrhi grauis est & prudens vox: *Ne mihi de militia iudicet, cuius aures tubarum sonus non circũsonuit.* Quem secutus Iacobus Britanniæ Rex, ita monet filium Heuricum, in verè Regio illo scripto, lib. 2. cui titulus, *Donum Regium*: In isto nempe bellico, vt in reliquis omnibus tuis negotiis, peritiores illius artis in consilium tibi aduocabis. Nam vt sutor artem suam tueri nequit, si simul tõsor esse velit; neq; tonsor in sua arte rectè versari potest, si simul calceos facere conetur: ita nec miles dextrum poterit iudicium dare de lege censoria condenda; quemadmodum & togatus Consiliarius de prœlio dando aut retrahendo. *An ergò nemini quicquam consulere licebit, cuius ipse periculum nõ fecerit? An medicus parturienti mulieri consilio adesse nõ potest, nisi ipse pepererit?* Omninò qui militiam non exercuit, dare potest consil ũ de belli susceptione ac eius præparatione, & medicus iuuare puerperã cõsilio: Sed vt veteranus miles rectius iudicat de modo expugnãdi propugnacula, de prælio dãdo, hoste fallẽdo, & aliis actib. bellicis, q̃ is, qui tantũ in toga aut Ecclesia est versatus: ita quoq; obstetrices, & ipsæ in pariendo exercitatæ, melius de partus actu & eius periculis iudicare poterũt, quã vllus Hippocrates aut Galenus. Atq; hæc quidẽ ex Discursib. de Cõsultatione clarius intelligẽtur. Hoc loco illud breuiter & velut incidenter disputandum nobis fuerit: *Virum in*

bello

bello plus possit fortuna & militum virtus, quam prudentia & consilium? Fortuna, si pro Dea capiatur Ethnicorum figmento, quia nihil est, nihil etiam potest nec in bello, nec in vlla actione humana. Si verò sumatur pro successu & extraordinaria felicitate bellica, quam Deus opt. max. Ducibus concedit, obtinere poterit hæc opinio locũ aliquem, sed nõ perpetuũ: Nam Deus quoq; per media agit, & cui vult successum singularẽ dare, eundem prius instruit singulari prudẽtia, & consilii acuta perspicuitate, qua si vtatur, non potest eum non comitari fortuna. Hinc Timotheus Atheniensis vir consilio & rebus gestis clarus, quia virtutem & prudentiam sequebatur magis quàm fortuitam quandam temeritatem, molestissimo animo tulit, cum obtrectatores eius tabulam pictam circumferrent, in quo fortuna cernebatur illo dormiente retia mœnibus circumponere, vt illis sine virtute & viribus potiretur. Mariana scriptor Hispanus prudenter monet de institutione principis libro 3. capite 15. inquiens: Princeps in bello cauta potius consilia cum ratione probet, quàm felicem temeritatem: nihil enim à Principis ratione magis alienum, quàm Reipublicæ salutem in casum dare, fortunæque committere. Itaque victorem aliquando supplicio vindicabit, si modũ excessit; victum ducẽ sublevabit, si se cautè & prudenter in pugna gessit: placetq; Carthaginensiũ mos, qui in crucẽ egerunt duces temerarios vtut victoria potitos. Quæ eadem consuetudo Lacedęmone quoq; viguit. Sed & euentus docuit vbique maiora & durabiliora consiliis, quàm telis manibusque effici. Nam iuxta illud Horatii:

Patrit. lib. II. de instit. Regis tit. 10.

Vis consilii expers

Mole ruit sua. Et illud Euripidis: *Consilium sapienter initum multas vicit manus; imperitia verò cum multitudine deterius malum.* Hinc est quod Agamemnon, vt Troia potiretur, non tã Aiaces quàm Nestores, sibi optat. Iudæi verò ex Babylone reduces omnibus diebus Cyri Regẽ Persarum vsque ad regnum Darii Regis mercede conducebant consiliarios, cõtra eos qui turbare constituerant, ne perficiatur domus Iehouæ ædificatio, quorum consilio res cessisse feliciter, testatur liber Hezrę. Eduardus Angliæ Rex dicebat, se „ longè magis terreri epistolis Caroli sapiẽtis Gal- „ lię Regis, quàm ingentibus aui patrisq; eius co- „ piis vnquã territus fuisset: sua destinata frequen- „ tius sedẽdo istum & dictandis literis frustrantem eludere, quàm illi armis fregissent: ita vt merito de illo, quod de Romanis dici possit, *Sedendo vicit.* Plura habet in hoc argumẽto Arnissæus c. 15. Polit. Richt. quoq; axiom. Pol. 109. vbi multa annotauit ex Antimachiauel. qui Venetorum exemplum allegat, quod multò maturius bella finiunt cõsilio & astu, sępe ne viso quidẽ hoste; quàm Principũ potentissimi ingẽtibus copiis & armis. Dignus lectu præ aliis in hoc argumento Chassanæus Catal. gloriæ mundi, 9. consid. 14. & Ant. Gueuara in horologio Princ. l. 3. c. 14.

Hom. 2. Il.

Hezræ cap. 4. vers. 5.

Ex Comineo Antim. l. 4.

§ *Cur consilii inuentio absque executione quiddam mutilum & imperfectum sit.*

Quemadmodum absque consilio regna siue Resp. stare non possunt, ita consilium absq; executione nequit consistere. Sed ne consilii quidẽ meretur nomen ea deliberationis cõclusio, quæ non

non datur executioni. Nam quia propter aliquod bonum instituitur consultatio, cum id non persequuntur eius authores, satius fuisset, si ab omni eius cogitatione abstinuissent. Executio enim est finis, propter quem & lex sancitur, & consilia capiuntur: vnde in iure ciuili ista loquendi formula occurrit: *fini dare*, pro exequi. Sicut autem vita proposito fine carens magnum argumentum est stoliditatis, vt grauiter Aristoteles monet lib. 1. ad Eudemum, c. 2. ita quoq; consilium tale, quod executioni dare vel nolis, vel nõ possis, siue quod non sit practicabile, vt vsititate loquimur, etsi subtiliter & acute excogitatum videatur, plenũ tamen est imprudentię. Est quidem mentis operatio consilium, verùm est quoq; prudentiæ practicæ actus, quæ non tantum cõtemplari volt, & mente bonum cognoscere, sed illud etiã persequi & possidere. Quod ergo anima est in corpore, id executio est in cõsilio, cuius inuentionẽ nisi statim subsequatur, imperfectum erit consilium, licèt postea tandem subsequatur, sed tarde. Aristoteles lib. 6 Ethicorum cap. 9 *Celeriter*, inquit, *peragenda sunt deliberata, deliberandum autem tarde.* Iacobus Rex Magnæ Britanniæ sic monet filium in libro suprà citato: Semper lentum & prouidum te esse oportet in consulendo, stabilem & constantẽ in statuẽdo, in exequẽdo promptum & expeditũ. Binas enim manus, binosque pedes cum multis digitis ad expeditionẽ rerũ & executionem dedit natura, vt omnia illa apta instrumenta accersas, quibus deliberationes tuæ ad effectum perduci possent. Vbi quidẽ maximè obseruãda fuerit temporis opportunitas, de qua

præstantissimus Dux Atheniensium Tolmis ad
" exercitum æstuantem ita inquit; Si Pieridi non
" creditis, non tamen errabitis si prudentissimum
" consiliarium operiemini tempus. In hunc sensum multa præclara collegit Iunius in quæst. Polit. quæst 18. part. 1.

6 *Ad consilium inueniendum quare compositis affectibus, & mente libera sit opus.*

Non minus scitè quam verè inquit Plato: *Affectus sunt mali consiliarii*: Etenim omnis sapiens cogitatio consistit in quiete, vt sapienter Arist. li.
" 7. Physic. c. 1. vbi inquit: Quando quieta est resi-
" detque anima, sciens fit & prudens; idcirco pueri
" non possunt rectè discere & iudicare; quia multa
" perturbatio circa eos fit & motus. Nimirũ natura homini ob id dedit cerebrum præ omnibus animalibus & maximũ & frigidissimũ, ne habitus illi aërei, quos ob summã & velut igneã quandam subtilitatẽ *Spiritus* vocamus, nimis coarctarẽtur, nec ista coarctatione nimis incalescerent, sed in amplo frigidoq; viscere, nẽpe cerebro, apte temperati ad imagines in mente formandas & repræsentandas, (cogitatio enim nostra nihil est aliud, quàm imaginum in spiritibus cerebri efformatio ac repræsentatio) veluti sisterẽtur ac figerentur. At verò affectus cor, quod est fons caloris, vehementer vibrant ac cõmouent; corde vibrato incalescunt atq; exæstuant, imò & incenduntur spiritus; & ita incensi atque in cerebrum delati, nullius rei imaginem vel ita integrã & distinctam vel ita fixam ac stabilẽ menti repræsentant, vt recta aliqua & prudẽs cogitatio existere possit. Exemplo sunt phrenetici, quorum spiritus in cere-

bro cum incensi sint, idcirco sermo eorum nulla parte cohæret. Qualis autẽ sermo, talis & cogitatio. Vt enim cogitatio rerũ, sic sermo cogitationis effiguratio est & imago. Id ergo est Ira aliusq; affectus vehemens in mente, quod calx in oculo.

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Concludimus itaq; mentem eam, quæ prudens ac salutare consiliũ excogitare debeat, placidam, pacatam, serenam, tranquillam, & ab affectuum omni perturbatione liberã esse oportere. Quod monitum infra in Discursibus de Consultatione luculentius exponemus.

7 *Consilia festinata, an & quando præferẽda tardis?*

Ista inprimis prudentia requiritur in eo, qui salutare consilium capere velit, vt quàm citissimè perspiciat id, quod in deliberationem venit, an celeriter, an verò tardè & cunctanter tractare oporteat. Sunt enim quædam magna cum velocitate decernenda, & rursus sunt quædam cunctãter & sensim perficienda; in quorũ alterutro si peccas, totam Remp. labefactabis. De festinatione quæ moneant sapientes, attende. Duo sunt acerbissima rectæ menti: *Celeritas & ira*: nihilque magnis consiliis tam inimicum, quam celeritas; quæ cum impetus quidam sit, & verò, vt inquit Statius poeta: Thucyd. lib. 3.

——*Mala cuncta ministrat*

Impetus——

idcirco turbat rationem & intellectum hominis quo minus rectè percipere & prospicere iis omnibus possit, quæ in ipso discrimine periclitantur. Inde fit, quod consilia calida & audacia plerunq; sint prima specie læta, tractatu dura, euen-

tu tristia; vt inquit Liuius libr.3. Isti autem feroculi cum supina fiducia sententiam dicunt, in re-ipsa trepidantes deficiunt; non properanti clara certaque sunt omnia, festinatio improuida est & cæca. Atqui fortuna iuuat audaces, dicat aliquis; & qui prudentia ac consilio parũ valent, in consultando nimis tardi esse solent, vt monet Machiauellus lib.2. de Rep.c.15. Non diffitemur esse nonnullos tarditatis studiosos, qui patrocinium quærunt inertiæ suæ ab illo Taciti 1.Histor. *Scelera impetu, bona consilia mora valescunt*: & idcirco in rebus afflictis nec prouidẽt satis nec audẽt. Nos hic modũ seruamus, & cum eodẽ Tacito di-
„ cimus lib.1.& 3.Hist. non esse opus cunctatione,
„ vbi pernitiosior sit quies quàm temeritas. Cum autem inter ancipitia deterrimum sit, malum sequi, tenendum erit hoc præceptũ; Vt in omni re ardua rapiamus, non quæramus cõsilia, nec verbis aut sentẽtiis diu concertemus, vbi res perurgent, & occasiones præcipiti prorsus casu fluunt, Lenc. obser 61. Proximum tum quodque tutissimum cõsilium esto. Non ergo damnamus simpliciter celeritatem, sed temeritatem improbamus eorum, qui omnia gubernationis Politicæ negotia impetuosa quasi præciptantia tractare potius cupiunt, quàm lente aut successiuis cogitationibus. M. Fabii cunctatio vicit Annibalẽ, & Remp. Romanã nutantẽ conseruauit; contra, in discrimen adduxit Minutii feruor, & nimia celeritas, seu potius temeritas, Annibali gratissima; qui gaudebat vehementer, cum intellexisset, Romanos aduersus se misisse Flaminium & Semproniũ calidi ac feruidi ingenii viros; at verò metue-

Lenc. obseruat, 61.

metuebat grauiter illum cunctatorem Fabium, existimantē longè tutiora esse ea, quæ ratione ac prudentia fiunt, quàm illa, quæ vi & audacia. Nā hæc sine consilio semel & iterum fortunata esse potest, demum omnia euertit; at contra omnia summa ratione consilioq; acta etiam fortuna cō-sequitur. Maturanda igitur sunt consilia, non festinanda; quæ enim matura sunt, nec excedunt, nec deficiunt, neq; præcocia sunt, neq; decrepita. In omni autem actione, priusquam incipias, " consulto & vbi cōsulueris, maturè facto opus est, " vt monet Salustius in Catilin. Luciani vox est nō " contemnenda: *Tardum consilium longè præstantius est, præceps semper habet comitem pœnitentiam.* Et illud Artabani apud Herod. Festinare quoduis " negotiū gignit errores, vnde maxima detrimenta " oriri solent: At in cunctando bona insunt, quę si nō statim talia videantur, tamē in tempore bona quis esse reperiet. Augusti illud Symbolum est; *Festina lente*; atque adeo ille implicatus anchoræ Delphinus; cui tamen non repugnauit illud Alexandri planè heroicum: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος; *Nihil cunctando.* Augustus enim de consiliis rerum ad tranquillū Reip. statum siue pacem pertinentibus intelligi debet, & specialibus nonnullis rerum Politicarū casibus, quibus illud sapienter aptatur: *Quod ratio nequit, sæpè sanauit mora.* Alex. verò de rebus turbatis ac bellicis, atque adeo eiusmodi, quæ mora nō sanantur, sed perduntur. His rectè accōmodatur illud, quod Lenc. habet obseru. Pol. 213. Nunquam legi, res vel maiores " esse gestas quàm celeritate, aut neglectas perdi- " tas ve quàm cunctatione. Iul. Cęsar sæpè 100. paf- "

Patrit. libr. 7. de regno tit. 7 Idem l. 6. de Instit. Regis.

Tol. l. 24. c. 3.

lib. 7.

suum millia vno die peregit, adeo vt plerosque nuncios præueniret. Plura in hoc argumēto habet Richterus axiomat. Politic. 104. & 145. Lencius obseruat. 284. Lipsius libro tertio Polit. c. 7. & in Notis ad illud caput eruditissimis.

8 *Consilia semel concepta & conclusa, an mutanda sint.*

Minimè sunt probandi ii, qui in sententiis vacillant, aut indies, quod prouerbio dicitur, cum vestibus consilia mutant. Constantiam requirimus in consiliis. Constantiā cum dico, pertinaciā remoueo: Nam qui in sententia semel concepta pertinax est, & iudicio tantum vtitur suo, futurū certo statuat, vt in omnibus, aut certè in plerisq; aberret. Prudenter Sophocles in Antigono: *Hominibus omnibus cōmune est delinquere*: Postquā verò deliquerit, ille nō amplius est vir inconsultus atq; infelix, quicunq; in malum lapsus medetur, neq; immobilis extiterit. Pertinacia siquidē stultitiæ obnoxia est. Carolus Imp. facete lusit in cōuentus Germanorum, quos assimilat viperis, quia aiebat, vt istæ matres suas tollūt, sic illorum posteriora decreta priora. Nos cum Lacedæmoniis statuimus, ea, quæ semel cōstituta ac decreta sunt pro Rep. non esse temerè in controuersiā vocanda, & nunquā sine summa cautione & circumspectione mutanda. Cum *cautione* dico *mutanda*: nam nūquam, vel flectenda ad tempora & occasiones vel etiam, si vsus postulet, planè tollenda non dicimus. Solius quippe Dei est non mutare sententiam, quam semel apud se constituit: Homines autem, quia crebro à scopo aberrant, dementes sunt, si in errore cognito persistant.

Lips. in Notis ad c. 5. l. 8. Pol.

stant. Tolos.lib.24.c.8.§.7.Prętat mutare in me- "
lius, quàm in malè cœptis pergere; quin & meli- "
us est recurrere è medio cursu, quàm malè cur- "
rere. Nam, vt inquit Seneca epist.27. Consilia re- "
bus aptantur, res nostræ ferũtur, imò voluuntur, "
consilium sub die nasci debet, oportetque eos, "
qui in Reip. naui sedent, tanquam in talorũ iactu, ad id quod acciderit, res suas aptare, qualiter id-cunq; ratio esse dixerit. Nõ semper medicus propinat ægro medicamentũ quod præscripserat aut apud se concluserat. Non semper nauta eũ tenere cursum potest, quẽ incœpit aut optat; sed vt ille mutat medicaměta ad mutationes in corpore ægri, ita hic eundẽ sæpè mutat, & partim velificatione, partim tecto cursu ad portum tendit, non vt vult aut inceperat, sed prout ventus spirat: Nẽpe omnibus iis, qui consilium dant, non idẽ semper dicendum aut faciẽdum est, quod vellent aut quod semel statuerãt; sed quod opportunitas suadet. Quemadmodũ verò medicus sanitatẽ ægri, nauta portum; ita salutẽ Reip. immutatione consiliorum perpetuo spectent. Mutationem autem consilii nemo incõstantiam dixerit. Sententiam enim mutare non modo laudabile, sed etiam vtile ac Reipub. salutare est: & oportet ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum rationes accõmodare, vt prudenter Bodin.lib.1.Lenc.obseru. 294. & 342. Atque hæc habui de Consilio. Ad Consiliarios Principis nunc me porro ducit ea, quam ingressus sum, doctrinæ via: vbi quidem patentior multo Disceptationum Politicarum campus sese nobis aperit, & amœnè velut ostentat.

Plato de Rep. 10.

DE CONSILIARIO
Discursus Primus.

1 *Consiliarii cur & quomodo Principibus necessarii, etiam iis, qui ipsi prudentes sunt, & consilio pollent.*

DVas esse partes essentiales status publici siue regiminis, in præcedẽtibus etiam ostendimus Discursibus. Nempe primò notitiam plenam eorum omniũ, quæ pro Rep. gerenda sunt, & si dubia atque ambigua illa sint, præuio cõsilio determinationem. Post eorũ quæ gerenda Princeps cognouit, gnauam procurationem atq; expeditionem. Vtraque pars à principe obeunda & præstanda foret, si omni ex parte felices Respub. esse debeant. Partiri enim cum aliis ipsam quasi essentiam regiminis, & suæ maiestatis socios atque adiutores assumere; id verò & alienum est ab vnius principatu, & periculosum reipub. Iam vero, quia vnius mens nõ est molis tantæ capax, vt loquitur Tac. 11. Annal. & quia Principes hodiè non ita, vt olim, paruis angustisque dominiis (quorum administratio facilior,) contenti sunt; sed principatus sui gloriam in amplitudine ditionum, regnorum atque imperiorum quærunt, ideo necessario in vtraq; regiminis essentiali parte adiutores atque administros assumunt. Quos si non haberent, gubernatio vel nulla omninò foret, vel neutiquam prospera aut diuturna. Interim tamen Princeps in vtroque Princeps esse debet; & officiariis suis vti, non tanquam causis, æquâ vi ad agendum concurrentibus,

bus, siue vt Logici loquuntur, principalibus, sed vt minus principalib. Miserum enim, imò miserrimũ regnum est, inquit Furius Ceriol. in præfatione ad Philip. Hispaniæ Regem, vbi hæ voces Principis exaudiuntur: Videte vt rectè omnia curẽtur; facite prout melius vobis videbitur, hęc vestræ curæ cõmissa sint. Enimuerò si Princeps ita gubernat Remp. habiturus quidẽ est nomen Principis, sed non rem ipsam; non certè omnem & totam. Id quod inprimis dixerim de priori parte gubernationis, quæ præcipua est, & vnde omnia pendent, nempe de peritia rerum gerendarum in Rep. atque adeo de Consilio. Nam si in eo inueniendo Princeps ipse nihil possit, sed alienis tantũ oculis perpetuo ad inspiciendas res considerandasq; vtatur, nec autoritatem maiestatemq; suam firmabit aut tuebitur, nec Principatum tutum, securum felicemque habiturus est. Siquidem subditis æque atque extraneis despectui est Princeps, quem homines animaduertunt nihil acuminis in inueniendo aut in iudicando dexteritatis habere. Et sunt arcana quædã ac secretiora in omni Republica, in quibus consilio determinandis nisi ipse princeps valeat, proditur quasi Respublica, & in discrimen ingens adducitur. Sed & omnia sunt gratiora, nobisque magis accepta, quæ in mente nostra, atque adeo ex nobis ipsis nascuntur; quæ quidem, si non vulgaria fuerint comperta, & admirationem conciliant, & autoritatem ac venerantiam. Idcirco Principes prudentes subinde sibi reseruant aliquod singularis consilii pondus, quo ostendant cõsiliariis suis, sibi quoq; consilii vim &

copiam esse, nec semper Consiliariorum opera indigere. Quæ res Principis autoritatem apud Consiliarios etiam sagacissimos sartam tectam seruat, ac Consiliarios ipsos reddit cautiores & sagaciores: Quin & remedium est aduersus insolentiam ac fastum, qui plerumque comitari solet eos, qui in consilio inueniendo ac dando sese existimant promptos ac felices esse. Monet de ea re pcæclare Bodinus lib.3.cap.4. vbi Antigoni & Ludouici IX. Caroli V. vt etiam Iulii Cæsaris exempla adducit, qui rerum gerendarum tam occulta consilia capere consueuerant, vt prius confectæ essent, quàm consilium captum esse videretur. Antimachiauellus libr.1. th.1. grauiter inquit: Certum est præclare agi cum populo, cui Princeps obtigerit ita genitus, ita educatus, qui alieni ingenii non egens sponte sua sapiat, qualem quidem fuisse Scipionem scribit Polybius, Cæsarem & Tyberium Suetonius, de quo in vita eius narrat, quod semper fuit sui arbitrii, contentusque se vno. Cæterum etsi talis sit princeps, tamque prudens, & in consiliis expeditus, qualem optamus; audere tamen id non debet, vt sine consiliariis Rempublicam administret. Nam cum omnis prudentia humana anceps quiddam & lubricum sit, totaque versetur in ambiguitate, eget perpetuo quibusdam quasi fulcris & subsidiis, eget, inquam, primò excitamento, & velut prolectamento; neque enim vel prudentissimis æque cito omnia in mentem veniunt, nisi aliquid suggeratur, vnde tanquam ex semine enascatur consilii fructus: Post eget complemento; neque enim vllius hominis prudentia tam est integra & plena, cui non interdũ

aliquid desit, quod per alterius hominis pruden-
tiam compleri possit: vel, vt inquit Tacitus 3. An-
nalium: *Nemo potest omnia complecti scientiâ suâ.*
Et Antonius Gueuara lib. 3. Horolog. Princ. cap.
58. Nemo est tanta prudentia præditus, qui non
maiori indigeat, & sapientissimo cuique non-
nunquam deest facillimum consilium. Magni
tamen peccare hic non desinunt, inquit Lipsi-
us, qui, vt fortuna, sic omni cognitione ac pru-
dẽtia cunctis se superiores putant, nec illud per-
pendunt, quod Cobares apud Curtium libr. 7.
monet: Naturam mortalium hoc quoque no- "
mine prauam & sinistram dici posse, quod in suo "
negotio hebetior quisque est, quàm in alieno;
eorum autem, qui sibi suadent, turbida esse con-
silia. Vt enim sit peritissimus Princeps, tamen
plus suggerere & inuenire poterunt plures, in-
quit idem Lipsius in Notis ad caput 8. libr. 3. Po-
litic. quantumuis ille plus possit iudicare. Et Liu.
lib. 44. ita iudicat; is, qui solus gubernat, si omnia "
suo consilio regere velit, superbus erit magis, "
quàm sapiens, vniuersamq; Remp. temeritate sua "
perdet (id quod multis exemplis cõprobat Mid-
dendorp. quæst. 52.) si in omnibus sibi confidit.
Quod si vero vnis oculis omnia intueri, vnis au-
ribus omnes querelas audire, vnis manib. omnia
in regno efficere conabitur, frustra studiũ, indu-
striam, imò, vitã ipsam cõsumet. Tac. 4. Hist. nul-
lũ maius boni imperii instrumentum esse statuit,
quã bonos Consiliarios, quos ille vocat *Pacis de-
cus*; Dio Cassius oculos Principis, alii manus, nẽ-
pe propterea, quod iis non minus egeat Princeps
in administranda Repub. quam mortalium sin-

guli ad actiones vitæ commode obeundas; vel vt Furius inquit, *æque ac pane opus habet Consiliario Princeps.* Equidem prudentissimus Romanorũ Imper. non sine causa videtur patrẽ suum appellare consueuisse Senatũ; & sanctissimus Rex Dauid non immerito petiisse, vt Iehoua Consiliario Absolonis adimeret intellectũ, quo minus ei nocere posset.1.Sam.15.Nouerat enim plus esse metuenda consilia, quam vim & arma potentum; & idcirco exclamat: *Stultum quæso redde cõsilium Architophelis ô Jehoua.* Sed præter hæc omnia quæ diximus, magnam autoritatẽ sibi cõciliabit apud subditos Princeps per Consiliarios prudentes. Iusta enim & salutaria omnia putabunt esse subditi, quæcunq; facit, si sciunt, inquit Antim.lib.1.th.1. eum prudens & fidele conciliũ habere. Etenim cum nosse principẽ vix possint, quod internum eius affectum & virtutes, per externa de eo iudicant, cum æstimãt ex iis, quibuscum viuit. Primam omnium, quam de Principe homines ducunt coniecturam, ab iis potissimũ capiunt, inquit Machiau.lib.de Princ.c.22. quos circa illum versari cognoscunt; qui si rerum periti, & fide præditi sunt, prudens & ipse existimari potest; secus autem si fuerint, nunquam nõ „ perperam de eo iudicari poterit. Magna itaque „ negotia magnis adiutoribus cum egeant, vt ait Valer.Max.lib.2.Principis quoq; labores, quibus orbem terrę capessit, egebunt adminiculis, inprimis tamen iis, à quibus tota Respub. pendet; vt est Cõsilium & Consultatio. Sed & hac de causa Princeps omnis, vtut sit prudentissimus, Consiliarios & adiungere, & in rebus grauibus con-

Decon, c.4.

lib. 2. Doni Regii.

sulere,

ſulere, atque audire attentè debet, vt ſi ſibi non omnia, quæ ad rem pertinent, in mentem venerint, ea ex conſiliariorum votis ſuppleat, vtque ex diuerſarum ſententiarum, quas Conſiliarii dicunt, collatione aliquod nouum eliciat; vel, vt id, quod obſcurius in mente formarat, per conſiliariorum vota illuſtretur, vel denique vt in cōſilio bono confirmetur. Sæpe enim conſilia bona in mentem veniunt homini; ſed veniūt cum adiuncta dubitatione ac vacillatione in partem contrariam, quæ videtur habere argumenta non minus ponderoſa, quàm altera. Itaque fit, vt propter iſta contrariarū rationū æquilibria, ea quæ inueneramus bona conſilia, repudiemus, & ſequamur cōtraria. Idcirco ad id profuerint Principi Conſiliarii, vt, ſi malum conſiliū mentē ei occupauit, auditis rationibus reiiciat; ſin bonū, vt in eo confirmetur. Quin & ad odia declināda facit, ſi alios quoq; in conſiliū adhibeamus. Illi enim, qui ipſi tantum ſapere volunt, & ſemper propriis, nunquā alienis conſiliis vti, ſi in calamitates incidant, ridētur & deſeruntur ab omnib. vt ſapienter monet in Ethicis Ariſt. Dioclet. id expertus eſt, qui, cum Conſiliarios nullos admittere in imperio voluiſſet, tandē abdicato imperio priuatā vitam egit contemtus & deſertus ab omnibus. Quod quidē conſiderantes politici diſtinguunt prudētiam in propriam & alienā ſeu mutuaticiam, & vtraq; vtendum principi docent Lipſ. libr. 3. Polit. c. 3. Althuſ. cap. 22. Politic. Sapientiſſimus quippe eſt, cui quod opus eſt, veniat in mentem; proximè accedit is, qui alterius bene inuētis obtemperat, inquit Cicero pro Cluentio. Et Ariſtotel.

lib. 1. Ethic.c.4.ex Hesiodo tria recenset hominũ genera: Vnum eorum, qui ex seipsis non solum intelligunt, sed etiam cupiunt agere ea, quæ sunt recta & honesta. Alterum eorum, qui licèt ex seipsis non intelligant, quid rectum & honestum sit, tamen cum ex aliis ea audiunt, student illis obtemperare: Tertium eorum qui neque ex seipsis sapiunt, neque bene monentibus cupiunt obtemperare: quod genus hominum dicit esse penitus in genere humano inutile. Hinc illud sapientis monitum apud Homerum lib. 2. Iliad.

Ipse, ô Rex, bene consulito & pareto vicissim.

Etenim vt illud in Principatu beatissimum est, non cogi; ita miserrimum est, nõ suaderi. Et præcipua pars prudentiæ est, alios prudentiores arbitrari, inquit grauiter Plinius, & ex eo Gueuara in horol. Princ. lib. 2. c. 14.

2 *Quomodo Senator & Consiliarius differant.*

Omnis Senator, quia consilium dat, Consiliarius est, & dici meretur, atq; idcirco boni Consiliarii virtutes Senatori bono inesse debẽt, omnibusq; adeo iis, qui in quocunq; statu de negotiis publicis consultant. Sed propterea non sequitur statim esse Senatorẽ, quicunq; est Consiliarius. Concurrere enim ista possunt in vna persona; sed differunt interim potestate & officio. Nam Consiliarius absolutè loquendo is tantum dicitur, quo Princeps vtitur in sententia exponenda de rebus Politicis ambiguis, ita nempe, vt per eum mens Principis in eiusmodi rebus ambiguis vel confirmetur, si ipse rectè vel informetur, si minus rectè iudicauerit, Senator autem, prout hodiè in liberis Rebuspub. præsertim in Re-

in Regno Poloniæ vſurpatur, plus eſt, quàm nudus Conſiliarius: perſona, nimirum pertinens ad ſtatum publ. & habens aliquam partem maieſtatis in Repub. Sicut Senatores ſimul in vno corpore Reipub. conſiderati, non tantum ſunt informatores, quibus Princeps vtitur in rebus ambiguis, ſed ſimul pars magiſtratus publ. & habent poteſtatem ſtatuendi de Repub. & limitãdi tum ſuperiorem Principis poteſtatem, tum inferiorem Nobilitatis, quæ ſtatum Democraticum eminentiorem conſtituit, vt partim in ſtatutis Regni Pol. partim in hiſtoricis prolixè oſtenditur: breuiter autem & neruosè indicatur à Clariſſ. V. *Petro Bertio*, meo olim in Acad. Lugdunenſi præceptore, quem honoris ac obſeruantiæ cauſa nomino, libr. 2. Geographiæ in deſcriptione Poloniæ. Sed & multa de eiusmodi Conſiliario, qui ſimul ſit Senator, tradita ſunt ab Andrea Friccio De emendatione Reip. libr. 1. c. 10. & 11. vt & ab auo meo piæ memoriæ Dn. *Nicolao Rey à Naglovvice* in Speculo vitæ humanæ, lib. 2. cap. 3. Videri etiam poteſt Arniſſæus cap. 15. Polit. Boterus De Rebuspub. in deſcriptione Poloniæ. Cæterum Bodinus lib. 3. De Rep. cap. 1. & pleriq; alii autores Politici miſcent doctrinam de Conſiliario cum ea, quæ eſt de Senatu. Cui quidem rectè attribuunt attributa pleraq; conſiliariorum, ſed interim diuerſos reſpectus atq; officia confundere non debebãt, nec ibi, vbi de Senatu ac Senatoribus, quatenus tales ſunt, tractandum eſt, generalia de Conſiliario & conſultatione præcepta tradere, Danæo in Polit. pag. 422. & ſeq. in promiſcuo ſunt, Status, Ordines, Senatores, Conſi-

liarii. Chassanæus in Catal. gloriæ mundi, part. 7. consid. 14. etiã *iudices & præsides Parlamentorum* vocat Cõsiliarios. Ioh. Casus per Senatum intelligit, conuentum omnium ordinum in Rep. libr. 4. Sphæræ Ciuit. c. 14. Atq; ex his, quæ diximus, non difficulter intelligi potest, quid nam intersit inter Consiliarium eius Principis, qui absolutè imperat, & inter Consiliarium Principis in statu mixto, siue eius, cuius imperium, tum certis pactis, tũ Aristocratiæ ac Democratiæ formis est limitatum. Etenim in absoluto dominio suadent tantum Consiliarii; conclusio & executio tota pẽdet à principe solo, qui vt multa agit illis inconsultis, ita nec alligatus est ad id quod Cõsiliarii, vt vt concorditer censent ac consulunt. Secus fit in statu Monarchico restrictiori siue mixto, in quo Princeps nihil concludere potest, absq; consensu aut scitu Cõsiliariorũ, nec id agere quod sibi soli, sed qđ sibi & maiori parti consiliariorũ, placet. Isti ergò habent ius & suadendi & exequendi; habent quoq; potestatem in regimine cum Principe coniunctam. Ita in nostro Poloniæ regno Senatores, & qui deputantur ex Nobilitate ad tractanda Consilia in Comitiis, sunt reuera Consiliarii serenissimi Regis, verum tales, quorum est quoq; potestas aliqua in regimine & Consiliorũ conclusione. Itaq; ad consiliarios hoc modo acceptos pertinent ea omnia, quæ de Consilio, Cõsiliario & Consultatione à nobis dicuntur; si tamen addatur illa potestas concludendi ac decidendi de qua diximus, & qua Consiliarii illi nude ita appellati, destituuntur.

3 *An*

3 *An tolerabilior sit regni status, in quo Consiliarii mali, Princeps autem bonus; an verò contra, in quo Consiliarii boni, Princeps malus?*

Temporibus Domitiani imperium non sine laude administratum est per prudentes prouinciarum præsides, licèt Domitiano nihil peius aut crudelius inueniri poterat, inquit Suetonius in vita Domitiani: Quod studiosè allegant ii, qui cũ Mario Maximo exclamare solẽt: Melior est Respub. & penè tutior, in qua Princeps malus est, eâ in qua sunt amici siue Consiliarii Principis mali; Siquidem vnus malus à plurimis bonis potest corrigi, multi autem mali non possunt, ab vno quamuis bono, vlla ratione superari. Autor Antimachiauelli lib.1.th.1. Alth.c.22. Pol. Lauterbachius c.16. in Christ. Principe, & alii; pleriq;.n. in eam sententiam descendunt. Res tamen non caret dubitatione. Nam cum Princeps sit caput regni, Consiliarii tantum membra; non apparet quomodo capite malè habẽte, membra inferiora possunt esse sana. Et certè, si omnia gerũtur nutu Consiliariorum, iam non amplius Consiliarii erunt, sed Principes; & ita Respub. formam suam pristinam amittet, & regetur neque à suo Principe, neq; ab vno Principe, sed à multis. Quid ergò sentiendum? Nimirum certis limitationibus res definienda fuerit. Et primò quidem, si Princeps non sit absolutus Monarcha, sed habeat potestatem limitatã ab Ordinibus regni, certum est tolerabiliorem esse statum, si Princeps sit malus, quam si Consiliarii; Sin verò sit absolutus Monarcha, qui Consiliarios & Senatores habeat in sua potestate, vt possit eos deponere

quando libet, tum præstat consiliarium esse malam quam Principem. Quia si Princeps malus sit, non corrigetur per cōsiliarios, vtpote quibus absolute dominatur. nec illi tantum apud eū autoritatis habere possunt. Secūdò, si malus Princeps capiatur pro malitioso & versuto, tolerabilius est si tales sint cōsiliarii, Princeps aūt bonus ac prudens; præsertim in statu absoluto; sin verò malus sumatur ꝑ minus idoneo aut minus prudēte principe, qui facile tanquā simplex patiatur se gubernari à cōsiliariis, ita vt ipse aut parùm, aut nihil in regimine intelligat, tū præstat principem esse malū quā consiliarios: quod probat multis exemplis autor Antimachiau. lib. 1. th. 1. Et sanè ex hist. constat feliciter gubernata esse multa eiusmodi regna: Si enim Principes infantes per suos curatores & tutores regna gubernare possunt, cur non simpliciores per suos Consiliarios? Vide Phil. Camerarii V. Cl. meditationes hist. Cent. 1. c. 55. & Monita Politica Lipsii, & Syst. Polit. Cl. Keckerm. lib. 1. c. 7.

5 *Quantus esse debeat numerus consiliariorum; & an tutum sit Principem, vnius tantum aut alterius consilio vti in omnib. negotiis.*

In regimine præsertim ampliori plures vno Consiliarios requirunt omnes prudentes Politici. Nimirum plus vident oculi, quam oculus; & facilius vnus errat quā multi. Sed & admodū periculosum est, vni committere omnium consiliorum quasi summam. Quia immodicæ potestates, vt inquit Dio, animos ad fastum extollunt & corrumpunt, cum sit hominib. quasi innatum, quod

post-

postquam honores & dignitates sint adepti, secundam fortunam cui nihil deest, nisi eius moderatio, bene ac sapienter ferre non possunt, vt Antimach. lib. 1. theor. 2. probat multis exemplis, & inprimis Plautiani, quē Seuerus Imp. ad magna euexerat. Ant. Gueuara libr. 3. c. 58. Horol. principū, grauiter monet inquiens: Principē, qui multos regit, nō decet vnius tantū audire cōsilia; nec monstrosius quicquam est, q̃ Principem, qui omnibus imperat, pati ab vno sibi imperari. Interim hoc factum est omnibus temporibus. L. Aurelius Cōmodus, Aurelii optimi Imperatoris filius, totam Imperii administrationē Perēnio Cōsiliario commisit. Sed & Dauid sanctus ac sapiens Rex fascinatus erat amore ac autoritate Achitophelis. Ita enim Scriptura inquit 2. *Sam.* 16. ℣. 23. Consilium Achitophelis, quod consulebat dieb. illis, erat ac si quis petiisset verbum ipsum Dei, ita erat consilium Achitophelis, tum Dauidi, tū Absolomo. Vt autem alii vni, ita Galba Imperator tribus se totum possidendum tradidit, sic vt totus regeretur arbitrio trium, quos vnà & inter palatium habitantes, nec nunquā non adhærentes, *Pædagogos* vulgo vocabant, teste *S*uetonio in eius vita. Plerumq; tamen Principes vnum aliquem in deliciis habere solent, cuius amore velut effascinantur. Quod Germani duro quidem, sed aperti tamen pectoris, quasi prouerbio indicare solent, cum inquiunt: Ein jeder Herr muß zween narren haben: einen/ den er vexirt/ vnd dann einen von dem er wider vexirt wird. Richterus in axiom. Pol. ax. 152. Cæterum, quanto periculo talia fiant, tum Reipubl. tum eorum ipsorum, quos ita in

deliciis vnicè Principes habent, ostendit inter alios præclarè Antonius Gueuara, loco paulò ante dicto, itemq; Antimach.lib.1.th.2. Richterus axiom. Pol.104. & 152. Philippus Camerarius in succisiuis horis centur.1.cap.90. Althus. cap. 22. Ribadeneira cap.24.libr.2.in Principe Christiano. Nempe regiæ voluntates & vehementes sunt & mobiles, & sæpe sibi aduersæ, ita vt vix caueri possit, quin hoc veluti periculoso mari familiaritatis ac gratiæ Principum iactentur, & naufragium faciant, idq; eò facilius, quò secundior ventus, & quò nobis id mare magis blanditur, blandiendoque decipit. At verò contra multitudinẽ Consiliariorum disputat Bodinus lib.3. De Rep. cap.1. vbi probare nititur, multitudinẽ sapientib. Cõsiliis semper esse inimicam. Machiauellus etiam lib. De Princ. c.23. multos esse non vult Consiliarios, quia, inquit, erunt discordes; idcircò vnum optat, sed eundem metuit, ne regem suum exturbet. Cui quid opponi possit, vide Antim. lib.1.th.1. Existimarim autem discernendum esse Consilia ordinaria & extraordinaria seu secreta: In ordinariis Consiliis omninò vtile est, Principẽ cuius amplum est Imperium, multos habere Cõsiliarios; Quia nempe in magno numero suadẽtium tandem vna aliqua bona & vtilis sententia audietur; &, si quid forte ab vno vel altero sit peccatum in sententia, id alter, tertius, quartus aut quintus emendabit. Nam quibus singulis iudicii parum, omnib. plurimum est, vt Plin. ait. Hinc Lipsius lib.3. Polit. c.8. & in Notis ad illud cap. sic „ inquit: Non abnuo vnum alterumq; valere gra„ tia, auctoritate, fide apud Principem posse, imo & de-

Ribad. cap. 28. libr. 2. in Inst. Princ.

& debere, sed cuius nempe nota prudētia & probitas sit, atq; hoc ipsum ita, vt non solus aut alter ille audiatur: sunto enim vel prudentissimi, tamē profectò nemo in omni re, sed nec in omni hora æqualiter sapit; & rectè à Philippo Cominæo dictum: *A meridie sæpè non ii, qui mane fuimus.* Extraordinaria autem & summè arcana secretaq; consilia cum paucissimis iisq; selectissimis, tractanda & definienda esse, prudenter monet inter alios inprimis Middendorp. q. 52.

5 *Vtrum peregrini inter Consiliarios adsciscendi sint?*

Dionis vox est: *Virtus cuiusq;, non patria æstimari ac ponderari debet.* Vox, inquam, grauis & minimè improbanda; sed suo certo sensu ac respectu. Est enim patria quoq; res sancta ac diuina, nec aliud prope quam ipsa natura; ita vt cum dicimus, patriam in consiliario spectādam esse, nihil dicimus aliud, quàm spectandam esse Naturam siue naturalem illam tum obligationem tū inclinationem quâ trahitur ad gentē in certo loco mundi viuentem. Implantauit. n. Deus mentibus hominum singularem quendam amorem ac veluti στοργὴν erga eum locum in quo nascimur. Qui quidem amor consiliorum & actionum nostrarū, quæ pro Rep. fiunt velut dux quidam est & regula. Hunc ducē, hanc regulā prudens Princeps etiam in Consiliario spectabit; Nec imitabitur communem illam mortalium intemperiem, quâ vt cibos & vestes, ita quoque ingenia peregrina tantum amant & admirantur, domestica omnia fastidiunt & aspernantur. Sanè quando vinculo

hoc communi patriæ & morum coniunctus est Princeps consiliariis suis, dolor eius quoque erit eorũ dolor, lætitia Principis erit æquè lętitia cõsiliariorũ. Secus aũt est de iis quos aliunde assumit, qui nõ tã Principẽ, quã bona ipsius amare solent, nõ subditorum saluti consulere, sed subditos exsugere. Tandem post partas opes desiderio patriæ tacti, munere decedunt, antequam sit oportunum, nec retineri possunt nisi stipendiis & potestate aucta. Quod si pinguior conditio iis sese offerat, Principe priori deserto ad alterũ currunt; hunc quoq; relicturi, si res dubiæ & periculosæ interueniant, vt Lauterbach. prudenter aduertit in princ. Christ. c. 6. Propterea quoniam illis ibi nec seritur, nec metitur. Hinc nimirum Bodin. libr. 3. c. 1. Lauterb. d. l. Arnissæus in Pol. c. 15. & alii Politici laudant Polonorum institutum, quod neminem in Senatum aut consultationem publicam admittant peregrinum. Id quod etiam à veterib. Romanis obseruatum esse tradũt Scriptores, inprimis Liuius libr. 23. qui inquit: „Romani veteres non modo peregrinos, sed ne „socios quidem ipsos in Senatum admittebant, ac „bellum quam pacem eam maluere, in qua pere„grinum Senatum & Consules Romæ essent vi„suri. Certissimum est, quoties à Principib. in Reipub. procuratione prælati sunt indigenis aduenæ, ab animis contumelia incensis magnæ offensiones, tempestates & turbæ sunt ortæ. Quod copiosè diducit & multis exemplis illustrat Antimach. libr. 2. theor. 2. Quo loco allegat vnam ex famosissimis illis & funestissimis, quæ vn-

quam accidisse legũtur, tribus lanienis, eam quæ in prouerb. abiit, *Vespera Siculæ*, quando nempe paucarum horarũ spacio omnes ad vnum Galli quicunq; in tota Sicilia fuerũt, trucidati sunt, ob eam, inter alias, causam, quod Cancellarium Rex Siculus Gallũ elegisset. Contraham breuiter rationes sententię huius ex Iusti Lipsii iudiciosissimi viri Notis ad c.4.lib.3.Polit.1, Quia indigenæ haud facilè concoquunt in sua Rep. plus aliquid credi aut tribui alienis; Inde liuor, questus & auersio quædam animorum. 2, Quia rarò illi morum, ingeniorum & totius reip. periti; Ad consilium autẽ de repub. dandum caput est nosse Rempub. 3, Quia si maximè iis peritia insit, vix affectus aut fides. 4, Quia vsu compertum est, consilia externa semper ferè esse infausta. Atque ista quidẽ à summis politicis sic disceptata in eã partem neutiquam accipimus, quasi nullo planè casu peregrini ad consilium sunt admittendi; aut è ditione Principis planè remouendi. Quę sententia inhumanitatem manifestam in se continet, ac gentium nationumq; diuersarum communionẽ inter se, bonamq;, vt loqui solemus, correspondentiam tollit, & rumpit vinculũ omnis societatis humanæ, quæ sancita est nõ tantum inter hominem & hominẽ in vno loco, vnâque regione viuentes; sed etiam inter gentem & gentem diuersis regionibus & sub diuerso imperio. Deus quippe & natura omnes in toto mũdo homines, atq; adeo gentes ac nationes communi vinculo humanitatis & amoris inter se voluit esse coniunctas. Et quî fieri potest quin non genti alicui, alterius gentis homo inseratur & incorporetur.

Multi pueri aut adolescentes deferuntur in regionem exteram, ibique educantur & manent & coniugia cōtrahunt, multi aliis variis occasionibus eô deueniunt; Hoc nullus Princeps quàm etiam immanis sit, prohibere potest, vtcunq; conetur maximè. Quàm multæ sunt in omnibus prouinciis ac regionibus familiæ inter præcipuas ac nobilissimas, quæ si originem suam subducent, reperient auos, proauos, abauos, ac deniq; atauos suos peregrinos fuisse aut alterius gentis homines. Quin & non omnes gentes vno eodemq; tempore ad doctrinā, ad mores, ad prudentiā rerum gerendarū, ad religionem deniq; aut excultæ olim fuerunt; aut adhuc excoluntur hodie. Semper id in mūdo fuit, vt vna gens alterā excoleret. Si ergo princeps dominetur gēti adhuc incultæ, sane imprudēs sit, ni ex gente cultiori, licèt peregrina sit, sibi deligat Consiliarios. Moscouię Principes, si ex cultiorib. gentibus cōsiliarios sibi iunxissent, aut sumere propter plebis furorē potuissent, dudū & ipsi cultiores fuissent, & genti cultiori necdū pertinaciter barbarę imperarent. Nunquā excolentur eæ partes Indiæ, quæ adhuc barbaræ sunt, nisi earū Principes ac Reguli informentur ad culturā per homines Europæos. Imp. Turcarū, quia incultis gētibus imperat, nihil veretur peregrinos quosuis, modo ad Mahometismū flecti possint, vel inter summos Bassas ac Visirios suos alligere. Prudētissimo sanè instituto. Quin & inter cultas gentes diuersissimi gradus sunt, vna cultior quam alia, & vna excellit in hoc, altera in illo. Quod si ergo Princeps etiam is, qui cultæ genti præest, egeat Consiliario aliquo ad nego-

gotium eiusmodi, in quo nullus suorũ subditorum, quem quidẽ ille norit, ingenio & prudentia excellit, quodq; adeo suscipere vel velit vel possit, quidni accersat aut admittat consiliariũ peregrinũ? Dum nempe aliquẽ ex suis subditis habere possit, qui æquè sit ad ista cõsilia idoneus ac peregrinus aliquis. Sæpè Principes imperãt subditis socordibus, & talibus, qui humi repunt, qui doctrinã & prudentiã non magnoperè quærunt, qui domi sedere potius, & sua quædã certa, quibus insueti sunt, tractare malunt, quàm peregrinari, quàm varias gentes regionesq; lustrando, rerũ multarũ & magnarũ experientiã eam, quæ in Principis consiliario requiritur, sibi comparare. Quid hic faciat Princeps? An non ignauis suis & imperitis subditis præferat peregrinos: Præsertim cum ingenii abiectioris homines nõ magnoperè dolituri sint, aut id ægrè laturi, si videãt ad talia negotia, quæ propter difficultatẽ ipsi defugiunt, alios adhiberi. Denique & hoc considerandũ fuerit, ita arctè sæpè vel confœderatas, vel sibi certis pactis vnitas atq; incorporatas esse sub amplis Principũ imperiis diuersas gentes ac nationes, vt si stabile imperiũ esse debeat, omninò ex diuersis istis gentibus Senatores & Cõsiliarios principẽ eligere oporteat. Polonia nostra exemplo sit; vbi salutari admodũ instituto in Senatu & consiliis pub. iunguntur Polonis Lithuani, sic vt in vnã nunc gentẽ memorabili exemplo coaluerint gentes non minus ingenio quàm lingua olim diuersæ, & bellis aliquando etiam inulcem infestæ; Atq; hæc etiam de patria consiliarii. Genus nunc eius & familiam videamus.

6 *Vtrum tantum ex Nobilibus sumendi sint consiliarii; an verò etiam ex ignobilibus; atq; adeo genus & familia an necessario sit attendenda in consiliario?*

Optima est Respub. & felicissima, inquit Plutarchus, in qua Magistratus omnia sua refert ad salutem Reipub. nec aspernatur quenquam qui Reipublicæ prodesse possit. Etenim nihil denegari debet, nihil clausum esse eruditioni eximiæ, prudentiæ ac virtuti militari. Nec requirendum, è quibus sit is cui dignitas datur; sed quis. Quemadmodum & venator non requirit quod tali cane natum sit, sed canem, & eques equum, non quod ex equo (quid enim si mulus ex equo sit natus?) est genitum. E plebe an nõ sunt facti nobiles? Imperatores & reges, quot fuere artificũ, imò opilionum filii? Exempla sunt in Historiis varia. Nobis vnũ sufficiat laudati imperatoris Iustini, de quo Zonaras scribit: Iustinus Thrax teneris ab annis suum ac boum custos, post lignarii cuiusdam minister, Imperator factus est laudatus. Rectissimè Annibal dicere solitus est: *Qui hostem feriet, is mihi Carthaginensis erit.* Et Plut.

Mariana lib. 3. c. 15 de inst. Regis.

Plut. in Sulla.

Mendicus vtinam sit mihi, vel si libet,
Mendicum & infra, qui mihi volens benè,
Timore posito possit ex animo loqui.

Furius Ceriolanus in libello de Consiliario, cap. 4. Et Althusius in Polit. cap. 22. præcipit, vt consiliarii eligantur ex omni genere & ordine subditorum, atque adeo ex singulis prouinciis, ne præiudicium habeat vnus ordo aut districtus præ aliis. In summa videat Princeps, quinam in suo regno sint dignissimi & aptissimi, eosque ad

con-

consilia danda adsciscat. Si tales in vna sola prouincia, aut in vno tantum ordine subditorum repe-riuntur, relinquat alios ordines & prouincias, donec iis similes producant: sin verò in omnibus & ordinibus & prouinciis dignos habebit, tum ex singulis iis ad consilium sanctius assumat, si in officio, amore & concordia subditos retinere cupit. Hi enim videntes Principem vt verum patrem de omnium honore cogitare, eum læto cordis amore prosequentur, & sese ad omne genus eruditionis excitabunt: Aduertentes contra, se negligi, nec quenquam suorum consiliis publicis adhiberi, incredibile est, quàm rei indignitate commoti stomachentur, existimantes, se in nullo numero, Megarensiũ instar, poni, aut veluti mancipia tractari, aut sibi nihil fidei haberi. Admittendi itaque erunt ad consilia etiam è plebe digniores, coniungendique cum Consiliariis qui sunt ex eminentiori statu, sed ita; 1, Ne factiones maior pars tentare queat. 2, Si in nobilium ordine par virtute, prudentia & eruditione reperiri non poterit huic qui est inuentus inter plebeios. Quod si nobiliũ ordo dignos satis habet, non est necesse, vt sollicitè quærantur inter plebeios. Nam vt gemma in auro magis lucet; ita virtus in nobilitate; & generis nobilitaté virtutes plerumq; comitari solent similes, inquit, Iacob. Britanniæ Rex in Dono Regio. Certum quidem est, nobilitati adhærere peculiaria quædã vitia, superbiamq; malum eius esse commune, vt inquit Salust. in Iugurth. estq; honoris cupidior; & aliorum contemptrix, vt Arist. inquit 2. Rhet. c. 15. Sed quis status, imò quis homo absque næuis?

Furius de cõsiliario c 4.

Ribad. libr. 2. c. 32.

Donum Reg. libr. 2.

Prudenter quidam dixit: *Insanimus omnes, sed quisq; insania genere peculiari.* Vtque nobilitatis hereditarius est morbus elata nimis & fastuosa quędã suæ magnitudinis & potentiæ persuasio, ita plebis abiecta mens, ignauia, ad pectus & res bellicas exangue. Respiciendum tamen in his talibus semper ad specialẽ politicam, & videndum, quid cuiusque gentis natura, quid loci, temporisque circumstantiæ ferant. Heluetia nobiles ad consilia non admiserit. Polonia cum nobiliũ numero polleat, plebeios inter regni Senatores, i. Palatinos, Castellanos, aliosq; superiores dignitarios nõ numerauerit. Etsi vero plebeius homo nobili homine merito inferior censeatur, tamen integer status aut ordo plebeiorum, siue tota vniuersitas suis eminentiis ac honoribus decoranda fuerit. Ipsa natura sic ordinauit, vt, etsi indiuidua rerum non ita sæpè æstimantur, tamen ipsa species atque vniuersitas propterea, quia vniuersitas est, in precio atque honore habeatur.

7 *Temperamentum corporis & animi atque adeo ingenium quale esse debeat in Consiliario.*

Coniungimus ista, & meritò quidem. Constitutio enim animi siue ingenium sequitur temperamentum corporis. Furius Ceriolanus in libello de Concilio, c. 3. Sanguineos vult esse inprimis consiliarios, aut cholericos; quia tales ingenium habeant & iudicium acrius, memoriam etiam firmiorem. Melancholicus autem, quia terreni, inquit, humoris multum in se habet, nihil nisi terrenum cogitat, tristis & tardus, præterquam quod ipsissima esse inuidia videatur. Qui locus Ceriolani intelligendus fuerit de ea Melancho-

lancholia, quam Physici & Medici *asininam* vocant; non de illa benigniori, quam viris ingenio simul & animo magnis, atq; adeò heroibus propriam facit Arist. in Probl. Sect. 30. quæst. 13. Cholericos autem quod attinet, i. homines ingenii acris, vehementis, ac subtilioris, eos remouere à consiliis videntur, tum alii, tum inprimis Iustus Lips. lib. 3. Polit. c. 4. & in Notis ad id caput; vbi rationibus aliquot & exemplis allatis ita iudicat; talia ingenia aptiora esse rebus innouandis, quàm gerendis, & ad sermocinandum ac disputandum, quàm suadendũ. Quod sanè verũ est; non tamen de quouis ingenio acuto vel bilioso, sed de illo tantum, quod est in excessu tale, quod nõ vt aer seu spiritus blandus ac vitalis, sed vt ignis subtile est, quodq; subitò exardescit instar flãmę, & subito restinguitur. De talibus ingeniis Lips. & alios intellexerim. Ab his enim cõsilia proficiscuntur plerumq; impracticabilia, vt loquimur, & talia, quę vel in euentũ deduci nõ possunt; vel maximo cum periculo & ingenti difficultate deducuntur. Fingunt enim sibi talia, quæ nec facta ante ab aliis, nec cogitata vnquam, imò quæ fieri nunquam possint. Sed & præclarum putant aliis contradicere, aliorumque consilia euertere, vtpote cum nihil eximium putent, nisi quod ab ipsis proficiscatur: Interim ipsi tam variarum speculationum indagatores in multiplici inuentione ac copia rerum plerunque natant, & ægrè expediunt cui insistant, plus de subtilitate consiliorum, quàm rectitudine cogitantes. Talibus ingeniis Princeps sese non credet, ne incidat in fata Rahabaami, qui & ipse eiusmodi feruidis Consiliariis vsus, maximam regni partẽ amisit,

1. Reg. 12. Temperamentum in tota natura, atq; adeo etiam in rebus humanis optimum est; & vtile fuerit, Principẽ Consiliarios diuersarum naturarum inter se velut temperare; ita vt quosdam habeat naturæ magis melancholicæ, atque adeo lentioris & cunctantioris, qui pressius ac tardius omnia expendant: Quosdam sanguineos: Quosdam denique ita cholericos, vt non sint nimis feruidi & flammei, vani ac volatiles; sed interim acuti, acres, prompti ad inueniendum, qui in casibus subitis atque vrgenti necessitate repente inueniant cõsilia, & inuenta feruidius promant, ac Principi efficacius persuadeant. Vt enim melancholici iudicio; ita cholerici inuẽtione magis pollent. Vtroq; autem opus est in cõsiliis, in quibus ipsis nec vniformis inuentio valet: interdum lenta requiritur, & velut exasciata; interdũ cum necessitas vrget, subita & repentina. Vide Systema Polit. Keckermanni libr. 1. c. 7. Hippolytus à Collibus vult Consiliarium esse ingenio portiano, hoc est, in rebus ciuilibus tractandis versatili atque indefesso, qui tanquam odorari cuncta, eaque cernere & seligere valeat, & qui consiliũ secundũ circumstantias aptare sciat. Aptantur enim consilia, inquit Seneca Epist. 71. res ipsæ feruntur, imò voluuntur. Ergo consilium sub die nasci debet, & hoc quoque tardum est nimis: fallaces enim sunt rerum humanarum spes; ergo sub manu, vt aiunt, nascatur oportet; quod magni ingenii est & acuti, vel potius alacris & excitati, habẽtis normã iudicii directam: sine qua ingenii commoditate negotia plerumq; exitus habent non solum minimè optatos, sed etiã exitiales.

les. Alacritas, vt ait Furius cap. 2. principiũ est & medium, & finis præclararum actionum. Quomodo autem eiusmodi ingeniositas agnoscenda sit, idem Furius docet, & Hippol. à Collibus d. l. Nobis sufficiat id examen, quod habet Seneca, lib. 5. epist. 39. *Magni non nisi magna amplectuntur: Neminem enim excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida; & magnarum rerum species ad se vocat.* Vnde non difficulter intelligi potest, quid sentiendum sit de phlegmaticis, siue frigidis ac humidis. Tales, nisi maturiori ætate exsiccentur, ad consilia rerum magnarum rarò sunt idonei; *Anima sicca, anima prudens*, inquit Hippocrates. Et vt in gemmis, aliisque naturæ partibus, ita & in homine, quo plus est formæ & minus materiæ, eò præstantiora omnia. Sed hæc talia relinquimus exactius aliis consideranda.

8 *Corporis forma quomodo attendenda in Consiliario?*

Naturâ nobis datum est, vt corpore spectabiles diligamus & veneremur propterea, quod pulchritudo corporis reuerendum quid & admiratione dignũ cõtinere videtur, inquit Dio Pythagoricus apud Stob. ser. 63. Et sanè dignitas corporis apta cõpositione mẽbrorum mouet oculos & delectat, vel hoc ipso, quod omnes partes cum quodã lepôre inter se consentiũt. Cic. 2. Off. Barbaris etiã hominib. inquit Curtius l. 5. veneratio est in corporum maiestate, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Socrat. nõnisi pulcherrimos ad Philosophiæ studiũ admit-

„ tebat, vt Laërtius ſcribit in vita Socrat. Tiraquel-
„ lus in legib. connub. lib. 2. num. 52. ſic ait: Decla-
„ rat animi deformitatẽ corporis deformitas, vixq;
„ bonos mores habet, cuius deformis eſt facies.
Galenus, Hippocrates, aliiq; Phyſici & Medici
ſtatuũt in corporum vitiis animi vitia & morum
habitare. Pythagoras quoq; exiſtimabat corpo-
rum ſtructuram ſimilẽ eſſe ſtructuræ animorũ,
& diſtorta mẽbra eſſe effectum, atq; adeò teſti-
monium animi prauis affectib. diſtorti; rariſſi-
meq; in forma abiecta generoſam mentem habi-
tare. Ariſtot. in ore crebro id prouerbium habu-
iſſe fertur: *Cauendi quos natura notauit.* Sed quẽ-
admodum grata eſſe ſolet hominibus ſpectabili-
tas, & apta conſtitutio membrorum in corpore
virili, ita rurſus ſuſpecta illa & fucata muliebris
formoſitas: de qua rectè dixit Hippolyt. à Collib.
in fucata pulchritudine omnia fucata. Interim ta-
men nec in omnibus, nec ſemper deſpicienda eſt
membrorum diſpoſitio paulò inconcinnior, aut
„ faciei ſubfuſcus quidam color. Eſt enim nigredo
„ quædam felix, quæ mentis coniunctum cando-
„ rem affert, inquit Bernar. ſerm. 25. ſuper Cantic.
„ Canticorum; & iactura formæ facilis eſt, ſi virtus
„ adſit; ſiquidem in mente non in fronte ſedẽt vir-
„ tutes, vt diſſerit Caſus 3. Polit. cap. 11. Nec animus
fœdatur deformitate corporis, ſed pulchritu-
dine animi corpus ornatur, inquit pulcherrimè
Seneca epiſt. 82. forma autem neglecta virum de-
cet, modò nõ ſit abiecta. Et ſanè pulchritudo nec
in omnib. nec ſemper eſt nota virtutis. Quid erat
formoſius Abſolomo? acta eius aduerſus patrem
planè deformia erant. Heliogabalus, ſiue vt
vult

vult Hulsius, *Elugaballus* 29. Imperator Roman. erat adolescens formosissimus, qui corporis forma, & ætatis flore omnes mortales, inprimis Romanos milites in se conuertit: Postquam autem Imperator factus est, monstrum generis humani sese exhibuit. Furius Ceriolanus in lib. De Concilio sollicitè requirit corporis exquisitam spectabilitatem, & dignitatem in Cõsiliario Principis, idcircò integro cap. 3. curiosè describit, qualem vultum, caput, frontem, oculos, barbam, labia, & reliqua minutiora corporis membra habere debeat. Sed vtinam Furius potius nobis explicuisset, quid sit consilium, & quomodo dandum, itemq; alia, quæ sicco pede transiuit, quàm illa, quæ ad figuram corporis & membrorũ pertinent; ista enim omnia ornant, & dignitatẽ Cõsiliarii augent si adsunt; sin verò absunt, non ita magnopere sunt requirẽda. Modò nõ sit mẽbris precipuis mutilatus, nõ cęcus aut surdus; mõstrosæ nimis ꝓceritatis, aut depressæ staturæ; gibbosus itẽ aut odiosè distortis mẽbris, parũ refert, etsi sit pinguior nonnihil, imberbis, aut nasutus; siquidẽ virtus inprimis & dignitas in cõsiliario respici debet, nõ corpus: Et hęc omnia corporis signa fallere possũt vt antę diximus. Si tamẽ Princeps delectũ habere possit, atq; adeò copiã eorũ, qui simul sint & spectabiles & digni, & illorũ, qui sunt digni, & minus spectabiles, potius illos, q̃ hos sibi familiares faciet. Prouerbium factũ est, inquit Furius d. l. Longus omnis est amens; pingues verò & obesi ad procurationem negotiorũ inepti; Et quis est, inquit, qui risum tenere posset, videns hominem cupa crassiorem, aut cancro macilentiorẽ? Sed istud iudicium Furii vt sæpe fallit, ita ac-

curatiori disquisitione non videtur dignandum; præsertim cum ad alia nobis sit festinandum.

9 *Senesne tantum, an verò etiam iuuenes inter Consiliarios admittendi sint?*

Annorum multitudo sapientiam docet; & quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientiâ validum est, vt ait Salust. in Catilin. Prauas cupiditates & affectus turbulentos in senibus longa dies, & rerũ multarũ vsus purgauit atq; excoluit, quorũ multa est obseruatio ac memoria rerũ prӕteritarum. Hinc apud Rom. ante annũ 43. Consulatũ petere legibus cautum erat. Nam vt ait ille, *Prudentia non venit ante pilos. Annus fert rosas, non ager.* Et Aristotel. 7. Polit. cap. 16. docet, quod anno circiter 50. hominis viget intellectus. Anton. Gueuara in Horol. Princip. libr. 3. c. 58. sic de senib. Consiliariis loquitur: „Nihil Principi honestius est, quàm gaudere senum comitatu; tales. n. & domini dignitatem, & domus autoritatẽ decorant. Consilia rerum ab ingeniis perspicacib. corporibus defatigatis & canis petenda sunt. Contrà verò vt nouitii citharœdi multas citharas corrumpunt, ita iuuenes euertunt prius Respub. quam eas gubernarę discunt. Nimirum iuuenes sunt proprii iudicii admiratores, alieni contemptores; temeritas omnium actionum humanarum pestis vt plurimum eos comitatur. Natura adolescentum, vt inquit Aristot. 2. Rhet. cap. 12. est audax & quasi ignea, mutabilis etiam & inconstans, ita vt facilè aliquid expetant, & facilè etiam saturentur, & studia habent subita, non tamẽ magna & diu durantia. Pollicentur etiam sibi

omnia

omnia,& sunt semper bonæ spei: liberales etiam, vel potius prodigi, & de farina, quod aiunt, non ita solliciti. Quin & honorum sunt cupidi, & contemni nolunt, & contentiones amant. Creduli sunt in multis ac simplices, propterea quod ingenio suo cæteros æstiment, & propter ætatem nondum crebro, ab aliis sint illusi, nec dum habeant in se exempla earum perturbationum, quę sunt in improbis. Et quia magnam habent caloris copiam, ideò scire se opinantur omnia, asseuerant facile, & sententiam semel conceptam mordicus tuentur. Cum peccant, non facile peccant in defectu, sed semper fere in excessu, & quæ agunt, nimis agũt. Salustius quoq; sic inquit: *Molles sunt & ætate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur.* Et Synesius De regn. Iuuentus variis cupiditatibus obnoxia, iræ, desiderio dominandi, ambitioni, intemperantiæ ac vehemens in eis impetus in vtramq; partem. Sed præter id non cadit in eos autoritas, quæ tamen ad iubendum suadendum- que plurimum valet. Non possent iuuenes in concione populo, quę vtilia sunt, persuadere; nec senibus nec iuuenibus probantur; alteri enim id ætatis se illis æquales; alteri sapientia superiores arbitrantur. Vulgus opinatur, inquit Bod. libr. 3. De Rep. cap. 1. Iuuenes aut nunquam, aut raro admodum sapientiâ pręstare; opinio autem plebem sæpe magis mouet, quàm res ipsa. Naturæ ordo flagitare videtur, vt iuuenes senili prudentia regantur. Casus lib. 7. Pol. c. 14. q. 1. Atq; id apud plurimos populos seruari testatur Alex. ab Alexand. lib. 4. Genialium dierum c. 11. vnde est prouerbiũ vetus ex Plutarcho: *Consilia senum, hastas iuue-*

num esse. Et alterum illud: *Tum beatas fore res humanas, si iuuentus saperet & senectus valeret.* Hæc sunt argumenta pro senibus: sed nec destituuntur ab argumentorum lacertis iuuenes. Frigent enim & torpent multorum senum consilia vnà cum corpore, inquit Liuius. Arist. 2. Rhet. c. 13.
" Senes sunt timidi propter sanguinis frigus & in-
" opiam. Sunt enim suspicaces & diffidentes & auari; quia vtilitatem valde amant, experientiâ edocti, facile quidem amitti, sed non ita facile parari pecunias, & quia imbecillitate suâ agnitâ præsidium in nummis quærunt. Sunt etiam difficiles ad spem, & magis memoriâ præteritorum, quàm spe futurorum viuunt; itaq; valde sunt queruli, vt quibus nunquam placeant præsentia, sed tãtum præterita. Morosi etiam sunt, qui atrâ bile abundant. Loquaces; nam & multa & prolixè loquuntur propterea, quod ex commemoratione rerum præteritarum voluptatem percipiant, cum actorum laborum meminisse iucundum sit; Deinde, imbecillitatem virium verborum copia pensare conantur: Et quia laborare non possunt, tædium temporis oratione leuare cupiunt; & denique quia laude valde delectantur, ideò res à se gestas libenter & prolixè commemorant. Sunt etiam reprehensionum studiosi, & semper propter virium imbecillitatem contemni se existimant, ideò facillimè irritantur. Experientia si iis aliqua adsit, inquit Hippolytus à Collibus, ea non rarò in obstinatiam conuertitur. Quod si quis tardius veluti debitã vitam non reddiderit, natura tanquam fœneratrix instans & vrgens ab alio aspectum, ab alio auditum, sæpenumero vtrumque

tan-

tanquam pignus exigit. Iam autem absque auribus & oculis quis erit Consiliarius? Senes etiam, inquit Arist. d. l. vtilitatem magis spectant, quàm honestatem: iuuenes verò priuata commoda negligunt propter honestatem; quia laus illis, & gloria perpetuò præ oculis sedet. *Nemo aspernetur iuuentutem tuam*, scribit D. Apostolus ad Timotheum. Nulla ætas repudianda esse videtur, nec ab excellenti virtute progressus ætatis est expectandus, inquit Cicero Philippica 5. *Virtus ætatem legitimam, admiratio virtutis autoritatem facit*. Cassiodorus libr. 1. c. 38. Et senectus venerabilis est, non quæ crine, sed quæ virtute albescit vnà; cum ea demum sit vera canities animæ, quæ in canis cogitationibus ac operibus fulget, vt Simanca monet libr. 7. De Repub. Et, si ita præcisè in dandis honoribus anni numerandi essent, sæpe magna virtutis indoles prius extingueretur, quàm prodesse Reip. posset: Qui verò iuuenum commodis ac honoribus obstant, non secus atq; arbores vetulæ subnascentes arbusculas premere ac necare vmbrâ suâ solent, inquit Plutarchus in lib. De Reipub. gerẽdæ ratione; cũ tamẽ expediat, iuxta annosas arbores nouas plantas inserere, quæ post interitũ vetustarũ locum tenere possent, Tolos. l. 24. c. 6. Ætas quoque melior est, quàm spes ea, quam mors subsequitur, atque adeò, vt rectissimè inquit Aurelius Imperator ad filium; plus mellis apes de floribus teneris, quàm de foliis duris congerunt. Furius Ceriolanus in libro De Concilio capite 3. controuersiam hanc sic determinat, nempè vt ordinariè mediam ætatem princeps in Cõsiliario spectet; h. e. ab anno 30. vsq; ad annum

„ 60. Ante trigesimum, inquit, annum literis dent
„ operam, peregrinentur, militent, &c. ii qui con-
„ siliarii esse cupiunt; Post sexagesimum salutis æ-
„ ternæ & quietis vltimæ sint ministri. Nam decre-
„ piti ac capulares senes inter Consiliarios nouiter
„ asciscendi non sunt; vtpote quibus potius minu-
„ nuendi labores. Nos vt alligare Principem noluimus ad certas familias, ita nec hic quidem ad certos ætatis annos, cum multi reperiantur egregii iuuenes ante 30. annum, multi quoq; senes vegeti post 60. Sic Themist. cũ moreretur An° 107. dolere se dixit, quod tunc egrederetur vitâ cum primum sapere cœpisset. Cęterum id salutare admodum institutum est, vt iuuenes perspicaces adiungantur senibus, & quemadmodum nimis forte vinum diluitur aquâ, & insanus aliquis, iuxta Platonis sententiam sobrio temperatur: ita coniungenda erit cautio senilis cum feruenti studio adolescentum; tum vt senum consuetudine iudicium confirment iuuenes (quo consilio Romæ interdum in Senatum cũ Patrib. admissi filii) tum vt semper ad manũ sint qui in locum defunctorum succedant, atq; adeò ad similitudinem antecessorum dicere, facere & consulere sciant. Et sanè reperiuntur quidam Demophili similes, *qui erat*, vt inquit Pindarus Pyth. od. 4. *in iuuenilibus iuuenis, in consiliis senex*. Id quod exemplis late diducit Tiraquellus *de iure primog. Præfat.* Idcircò expedit omninò iuxta annosas arbores plantas eiusmodi nouas inserere, quæ post interitum vetustarum in locum earundem succedant, vt inquit Tolos. lib. 24. De Rep. c. 6. §. 2. In sententiis tamen perrogandis prius seniorum præstat audire.

dire ſententias, vt iuniores longius deliberandi tempus habeant, neque ſeniorum conſilia diſtrahantur; Id quod Athenienſib. conſuetum fuiſſe monet Alexander ab Alexand. lib.4. Genialium dierum, capite 11. Cæterum nec illi perpetuò à conſiliis reiiciendi ſunt iuuenes, qui in ea ætate petulci aut ferociores viſi ſunt, quiq; vt Latini olim loquebantur, *Laſciuius ſunt vitulati*. Ex ferocioribus ac petulantibus pullis generoſiſſimi fiunt equi. Vnde illud Hollandorum: He moet eerſt uyt kalvern. Sanguis enim ille feruidior ac ſpirituoſior, vbi ætate & annis fuerit tum diminutus, tum exſiccatus, temperamentũ inducit ſtabili ac vegeta quadam moderatione benignũ, conſiliiſque ſimul ac rebus gerendis aptum. De qua re præſtans ille Caroli V. Imp. Conſiliarius Antonius Gueuara in Horolog. Princ. lib. 3. c.58. Ab eo, inquit, qui in iuuentute plane fuit " mundo deditus, maturum in ſenectute proficiſcitur conſiliũ. Sed id tamen nõ eſt neceſſarium, & multas habet cautiones, ac ſępe fallit. Multi dũ ita vitulãtur ac ferociunt, vt vel vino, vel Venere, vel vtroque ſimul, perdunt omnes ingenii vires, vtque ingraueſcẽte ætate perpetuò ſint valetudinarii, & ad omnia inepti. Multi etiam ſic vitulantur, vt modũ nullum omninò teneant, & fidibus, aleâ, ac choreis, cæterisq; id genus laſciuiis atque ineptiis tempus omne iuuenile conſumant, & linguas, artes ac diſciplinas vllas, quibus verus Principis Conſiliarius inſtructus eſſe debet, vel planè non diſcunt, vel infeliciter diſcunt, & nullâ firma impreſſione atque ordine comprehendũt. Guſtant tantũ, velut canis è Nilo bibens, & tranſ-

uolant studia, sic vt ætate maturescente ea, quæ in illa vitulante iuuentute obiter quasi ac superficiariè didicerunt, vel planè obliuiscantur; vel ad vsum transferre in Rep. non possint. Hinc euadunt contẽptores omnis liberalis doctrinæ, eamque alto velut supercilio fastidiunt atque aspernãtur, tãquã quæ pertineat ad homines de Schola, non ad consiliarios Principum, aut ad viros in Reip. luce versantes. Tales ex vitulis boues fiunt; & interim vt ex ferocientib. pullis generosi equi facti esse videantur, ea quæ apprehendere nõ potuerunt, rident & aspernantur: perinde ac vulpecula cui pyra acetosa erant, quorum compos fieri non poterat. Nimirũ sic homines affecti sumus, vt ea quibus ipsi potiri non possumus, strenue contemnamus, secundum illud: *Quod nescis, fortiter contemne*; Hoc nẽpe agentes, vt quod vitio ac negligentiâ nostrâ non didicimus, id iudicio quodã ac consilio certo posthabuisse videamur.

10 *Doctrina de Eloquentia quomodo in consiliario requirenda?*

Varia admodum negotia, & res propè infinitæ in gubernatione Reip. principibus obueniunt, in quibus informari, cum omniscii non sint, necesse habent, ita vt omnino discrimen inter principis informatores habẽdum sit, nec ab omnibus promiscuè requirenda vel doctrina, vel eloquentia. Sed & inter ipsos consiliarios, qui sub informatoribus principis comprehenduntur, diuersitas est, præsertim in magnis & amplis gubernationibus. Quidam inferiores sunt & minus secreti, aut etiam in solis rebus bellicis cõsulendi; in quibus si doctrina sit & eloquentia, laudabimus; sin vero absque

absque doctrina, & adsit tamẽ singularis quædam ac diuturna rerũ experientia cũ natura excellẽti, doctrinam & eloquentiã non ita strictè requiremus. Neque.n. omnes homines, vel naturam, vel opportunitatem eã habẽt, vt docti atque eruditi esse possint. Et haud scio an in reb. humanis, quales nũc sunt, optandũ foret. At verò in præcipuis ac summis secretioribusq; togæ præsertim ac pacis cõsiliariis, eximiã quãdam doctrinã vnicè desideramus. Studio philosophiæ homines ad prudentiã fiunt acriores, inquit Arist. l. 2. Rhet. c. 4. & Cic. 5. de finib. Peripateticã disciplinã commẽdat hoc potissimum nomine, quod rebus gerendis aptissima sit, quodque ab ea instructi viri clari Rẽpub. cum laude gesserunt. Cæterum dum philosophiã in cõsiliario requirimus, simul & historiarũ peritiã & Iurisprudentiã desideramus. Neque cõtemplatiuam philosophiam præcipue, sed practicam, i. e. ethicam, œconomicam & politicã. Nã quod ad cõtemplatiuã attinet, de ea Neoptolemi illud valuerit: *Philosophandũ sed paucis*: i. e. methodicè, perspicuè & breuiter, sic vt ad practicam philosophiam feliciter & citò præparemur. *Gratiosa est philosophia, si quis eam parce attingat in iuuentute*, inquit Plato in Gorgia. Non improbãda in cõsiliario theoreticæ philosophię cognitio, sobria, sc. parca, & in iuuentute, inquit magni Principis magnus cõsiliarius Hippol. à Collib. de consp. p. 156. At verò in ethicis, œconomicis & politicis & presse doctus, & bene exercitatus esse cõsiliarius debet, inquit idẽ Hippol. & addit etiãm; quod turpe sit in Rep. versari, & ignorare quid sit Resp. Quia ẽt subinde nouæ ll. cõdẽdæ, ac priores

antiquandæ, ideo & Iurisprudentia; Deniq; quia præteritis vt plurimum futura similia sunt, ideo & historiarum exactior peritia in consiliario requiritur. Dabit ergo sese in iuuentute doctrinę & literis, & tradet aliquot annis totum; sed ita vt ad peregrinationes & ad experientiam rerum comparandarum ante annum 24. aut 25. accedat. Cuius vtilissimi instituti exempla extera non deessēt; sed mihi domesticum illud allegare lubet magni illius Iohannis Zamoiscii, qui totum tradebat se studiis in iuuentute, & totis annis 8. atque amplius Lutetiæ desidebat libris accubuus, & chartis velut inuolutus, non sine offensa patris & cognatorum qui id ei exprobrabāt, fore hominem de Schola, atque inutilē Reip. At verò postquam doctrinę quantum satis videbatur, magno studio atque indefessâ industria comparasset, & ad res gerendas animum adiecisset, nemo fuit ad consilia aptior, nemo instructior ad summa quæque regni negotia expedienda. Doctrinam ergo in Consiliario requirunt ii, qui res iustâ lance ponderant, sed non vmbratilem illam, & quæ nihil aliud sit quam doctrina. Nam qui hanc solam habent, & qui omnem in literis ætatem exegerunt, ad Rempubl. gubernandam sunt inepti, vltro fatentibus illis ipsis, qui omnem in literis ætatem exigunt. Vide Socratem apud Platonē in Theæteto, & inprimis late hæc deducentē Tholos. lib. 17. de Repub. c. 7. §. 16. Sed & Alber. Gentil. lib. 3. „ de Legatis, c. 9. Citius ex satureia lanceam effe„ ceris, quam ex hisce in vmbra & speculationibus „ educatis probos Cōsiliarios. Athenæus lib. 5. c. 1. Sentētiam enim ferunt non tanquam in Romuli

fece,

fece, ſed velut in Platonis repub. aut Mori Vtopia. Cum modo & iudicio tractanda ſtudia iis, qui ad Remp. præparantur: *Iudicium enim anima eſt ſapientiæ*, vt præclare inquit Scalig. Nec ita Philoſophia diſcenda talibus vt hodie plerunq; docetur. Illa Philoſ. vera non eſt, quæ ſpinosè, quæ etiam mutilè & ieiunè docetur. Vix Philoſophiæ nomine digni, qui in verbis & captiunculis hærent, atque ætatem totam in aditu Philoſophiæ conterũt; adyta eius nunquam vident, inquit Lipſius de Conſtant. Hi Philoſophaſtri ſunt, non Philoſophi, vt rectè is, quem lubens in hoc argumento & cum honore cito, Hippolyt. à Collibus inquit; *Optamus docti ſint Conſiliarii, non Philoſophaſtri*. Iuſt. Lipſ. in Notis ad lib. 3. Polit. c. 4. *Ego*, inquit, *doctos libenter in conſilium admitto; ſed qui non ſint hoc tãtum. Nam qui ſola & nuda iſta cognitione literarum ſe iactant, valde repello*. Conſtãtius Imperator, Cõſtantini F. me quidem iudice, valde hîc peccauit, qui, vt ait Zonaras, neminem in ſenatum allegit, niſi eruditum, quique ad dicendũ ſe exercuiſſet, & ſciret ſcribere vincta oratione & ſoluta. Nimis tribuit noſtro generi, nec vel doctiſſimi ſemper ad Remp. apti. Neceſſum eſt adſint aliæ etiã dotes, quæ ſi adfuerint, ô magnos tunc & principi optandos! Nã deſiderabilis eruditio literarum, quæ naturam laudabilem eximie reddit ornatam. Ibi prudens inuenit vnde ſapientior fiat; ibi bellator reperit vnde animi virtute roboretur: inde Princeps quemadmodum populos ſub æqualitate componat, &c. De his talibus ipſa Sapientia loquitur Prouerb. 8. *Ego Sapientia habito in conſiliis & eruditis interſum cogi-*

tationibus. Hactenus Lipsius. Iam porrò quod ad Eloquentiam attinet, ea in consiliario quatenus consiliarius est, non ita requiritur, sed quatenus idem ille, qui Consiliarius est, vel Legati munus suscipit, vel simile aliud officium. Cõsilium puræ mentis opus est, non affectuum, non linguæ; Et Logicæ magis quam Rhet. propriũ. Paucis iisque siccis & nudis verbis optima consilia proponuntur, & rectius multo formantur ac proponuntur, quando sine verborũ ornamentis ac figuris promuntur. Interim vtilis est eloquẽtia Consiliario, tum ad scribendum, tum ad perorãdum, si, quod sæpe accidit, quodq; constanti consuetudine est receptum à principibus, eidẽ illi qui consiliarius est munus oratoris legati imponitur. Quod quã prudenter fiat, iam non disputabo. Interim quia fit, consiliarius omninò ab eloquentia etiam instructus esse debet; non tam vt delectare aut verborũ lenociniis principi quiduis persuadere valeat, sed cum ad legationes, aut cum ad sedandum populi furorem à principe mittitur, vt ibi perpolitâ oratione animos auditorum penetrare sciat: cũ vix vlla alia re possit demulceri magis ferociẽs & insolens populus, quam dulcedine & suauitate orationis, vt multis exemplis probat Iunius in quæst. Pol. par. 1. q. 9. Philippus rex Macedoniæ non minores res, ait Ælianus lib. 4. oratione quã præ aliis confecit, magisque sibi placuit si quam verbis adeptus esset victoriam, quàm si quos armis in suã potestatem redegisset, quod huius partem milites sibi vendicare existimarent, illam vero pertinere ad laudem vnius summam. Laudarim tamẽ, inquit Hippolytus in Consiliario, non

multi-

multiloquam illam & vagam, sed breuem & argutam orationem. Hæc enim tum in legationibus, tum in compescendo furore populi, plus dignitatis & virium habet, quàm prolixa illa ratio dicendi. Atque hinc est quod Cic. monet in Oratore: *In consessu*, inquit, *Senatus minori cum apparatu, quàm in concione dicendum est: vitanda est ingenii ac ostentationis suspicio, vtendum Laconica breuitate, vt sit omnibus dicendi locus, & ne alios audiendo seipsum loquendo defatiget is, qui sententiam suam explicat*; vt prudenter cauet Simanca, lib. 7. de Repub. Et Bodin. lib. 3. de Rep. cap. 1. Senatoriam enim dignitatem breuitas decet, & quæ ab iis proferuntur, planius intelligi possunt, si nude absq; fucis & ambagibus verborum proferantur, docet Arnisseus c. 15. Politic. Fusa & Asiatica illa dicẽdi ratio, aut Scholam redolens, indigna est Senatore. Vnde etiam veteri Senatusconsulto Areopagitico cautum erat, ne quis procemiis aut epilogis vteretur in sententia dicenda.

II *Cur oporteat Consiliarium exacte nosse statum istius Reip. pro qua consilium inuenire & promere velit?*

Nunquã satis mihi videor allegare posse præclaram illam sententiam Cicer. 2. de Orat. *Ad consilium pro Repub. dandum caput est nosse Rempub.* Quod ex Platone hausit, qui in Phædro inquit: *In omni re consulendi principium, est nosse id de quo consilium est institutum, aut in totum aberrare sit necesse.* Inde Tacitus: *Morum animorumque prouinciæ nisi sint gnari, qui de ea consultant, perdunt se & Remp.* Etenim vt medicus, ita quoq; cõsiliarius

Reip. dare consilium rectum nō potest, nisi prius eius temperamentum cognoscat, atque adeo quantò melius id cognoscit, tantò magis salutaria ipsi dat consilia. P. Ribadeneira lib. 2. Princip.
„ Christ. Nemo bene iudicat, nec bonum consi-
„ lium dat de iis rebus, quarum experientiam non
„ habet. Fur. cap. 2. & Hippol. d. l. grauiter disserit ac monet, vt consiliarius perspectū plane & cognitum habeat suum principem & aulam eius, atque adeo vt cognoscat etiam cæterorum administrorum & consiliariorum naturam, mores, omnem denique administrationē; quæ & quanta sit ditio Principis, quæ prouinciæ, ciuitates, oppida & loca illius ditioni subiecta sint: quæ in principatu opportunitates, quæ incōmoda, quibus rebus delectentur ciues, quib. sese sustentēt, quomodo erga Principem affecti, &c. vbi tādem
„ sic concludit: In omnia etiam minutissima, quæ
„ neglecta Reip. detrimento esse possunt, studium,
„ curam, & cogitationem ac solertiā conferet. Atque hæc est causa, cur Politici suadeant, vt principes in regno iuuētutem suo sumptu educari curent, & instrui in iis omnibus quę ad constitutionem Reip. patriæ pertinent. Nimirū vt eos iam ante prępatent, quo aptiores esse possint ad consilia ea de Rep. danda, quam à pueritia nosse didicerunt. Sic Turcarum princeps, inquit Lipsius in Notis ad c. 3. lib. 3. Polit. à pueritia instituit pacis & belli futuri ministros. Et Germanorum Proceres alumnos quosdam suo sumptu educant in eundē vsum. Quod si imitetur Princeps, & selecta quædā ingenia à teneris formari curet ad res ciuiles, laudē, inquit Lipsius, vbi præclarum illud

Macedo-

Macedonum institutum commemorat verbis Curtii: Mos erat Principibus Macedonum, adultos liberos Regibus tradere, ad munia haud multum seruilib. ministeriis abhorrentia. Excubabăt seruatis noctium vicibus, proximi foribus eius ędis, in qua Rex acquiescebat. Ii actos ab agasonibus equos, cum Rex ascensurus esset, admonebant, comitabanturq; & venantem, & in prœliis, omnibus artibus studiorum liberalium exculti. Præcipuus honos habebatur, quod licebat sedĕtibus vesci cum Rege, castigandi eos verberibus, nullius potestas præter ipsum erat. Hæc cohors, velut seminarium ducum, Præfectorumq; apud Macedon. fuit. Hinc habuere posteri Reges, quorum stirpi post multas ætates Romani opes ademerunt. Ad istam autem prudentiam, & rerũ particularium peritiam, magna requiritur experientia, tam prosperarum, quam aduersarum rerum: Quoniam rerũ paruitates, inquit prudenter Gellius lib. 1. c. 3. magnitudines atq; istæ omnes officiorum æstimationes, alia nonnunquam mom ĕta extrinsecus, atq; aliæ quasi appendices personarum, caussarum, ac necessitatum, circumstantiarumq; sequũtur, quas præceptis includere difficile est; & quas tamen prudentia moderari, regere, & gubernare debet. Is verò qui in reb. prosperis & lætis semper, quid sapiat? non nisi temere aduersa casuum reputat, quem nunquam fortuna decepit, ait Liu. l. b. 3. cui addit Lips. in Notis ad cap. 4. tertii libri Politic. *Fortunam qui aliam expertus est quam secundam, magis ille ad modestiã factus est, & cautionem, præcipuas prudentiæ partes:* id quod ibidem ostendit exemplo Annibalis,

Caroli V. Imperatoris, & Ludouici IX. Galliarum Regis. Lenccius in obseruationib. Politicis obs. 177. de Mithridate, cum Iustino historico verissimè affirmat, quod eo nihil prudentius, propter varias calamitates & miserias quas perpessus est; mihi enim, dicebat appositè de se ipso, fortuna multis rebus ereptis vsum dedit bene suadendi. Nimirum alludens ad illud Græcorum prouerbium: *A quibus læsus, ab his doctus.* Et illud: *Miseria prudentiæ bona mater*: vel vt Plinius dicit apud Gaeuaram in horologio Principum: *Ex periculis facta est prudentia.* Eximia sunt hac de re verba Senecæ epist. 19. vbi ita inquit: Vt athleta magnos spiritus ad certamen afferre non potest, qui nunquam sugillatus est, sed ille qui fudit sanguinem, cuius dentes crepuerunt sub pugno, qui supplãtatus, aduersarium toto corpore tulit, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior surrexit, is demùm intrepidus & cum magna spe ad pugnam descendit: ita qui aduersa fortuna prostrati, non tamen se tradiderũt, hi per constantiam & prudentiam ipsas necessitates calcare possunt.

12 *Fidelem affectum erga principem & Remp. necessariò requiri in Consiliario, & vt priuata posthabeat publicis.*

Fundamentum Reipub. est, vt subditi ament principem, nec aliter erga eum sint affecti, quam filii erga Patrem; At verò Consiliarii cũ sint subditi selectissimi, vt eum singulariter ament, & ergà eum fidelem affectum gerant plus quam alii, omninò est necesse. Etenim Principis negotia tractanti, inquit Furius cap. 2. non de priuato, sed prin-

principis commodo, honore & vtilitate prospiciendum est; vel, vt Machiauell. in lib. de Principe ait: *Qui alterius principatum in manu quasi habet, nunquam de se, sed Principis commodo cogitare debet.* Et paulò pòst subiungit: Nunquam huic poteris credere princeps, qui sibi magis quam tibi prospectum vult, atque adeò in omnib. rebus gerendis suam quærit vtilitatem & res priuatas, quæ, dicente Liuio lib. 22. semper offecere, officientque publicis consiliis. Sed proh dolor, eo malitia humana est ingenio, vt alterius commodum suum existimet detrimentum, iamque paucissimi reperiantur, qui puro affectu principi & Reip. bene volunt; multi verò qui bona Principis, non Principem diligunt. Amici sunt non personæ sed opũ, vt Gueuara lib. 3. c. 58. grauiter queritur, vbi addit: Commiseratione maxima prosequendus est Princeps, quem plerique non amore ipsius, sed beneficiorum, quę ab illo expectant gratia sectantur; quod inde manifestum est, quia simul atq; dandi ille finem facit, mox contemnere eius Maiestatem incipiunt. Cautos itaq; hîc oportet esse principes, tum in adsciscendis ad consilium eiusmodi famelicis sociis, tum in iis saturandis, vt tantum de Principe, non rebus priuatis cogitent: id quod tamen factu quam sit difficile, liquet exemplo Marci Aurelii, sapientissimi Imperatoris, qui de se ad filium Cõmodũ sic inquit: Equidem cum longæuam à Diuis vitam acceperim, diuturnam horum omnium cepi experiẽtiã. Scito. n. me X V. annorum spatio Consulẽ, Senatorẽ, Censorẽ, Prætorem, Quæstorẽ, Ædilem & Tribunũ & post hæc omnia duodeviginti annis

„ ImperatoremRomanum fuisse, quibus omnibus „ annis plerique ea quæ dicebant, ad commodum „ proprium & damnum proximi dirigebant, ac „ monstri instar erat, si quis candidè ad obsequium „ & alterius emolumentum loqueretur.

13 *Oportere omnino Consiliarium esse taciturnum.*

Consilium quidam existimant dici à *silendo*, eò quod omnes consileant, tum in deliberando, tũ etiam post factam conclusionem, Tol. lib. 24. c. 6. Hippol. d. l. *Omninò res magnæ sustineri non possunt ab eo, cui tacere graue est*, ait Curt. lib. 4. Re- „ ctè Patrit. lib. 3. de Inst. Reipub. Tit. 5. Linguam „ coërcere, quam dentium vallo natura muniuit, „ non mediocris prudentia est; Res enim magnæ „ difficulter silentur, verbum autem emissum nun- „ quam reuocari potest. Hanc ob causam Reges Ægyptii, vt Consiliariis taciturnitatem tanto firmius imprimerent, legem promulgarunt, quâ linguam abscindi iubebant huic qui arcana Reip. quæ tecta esse debebant, retexisset; vt refert Diodor. Sicul. Nostri verò æui principes iuramento obstringunt Consiliarios, quia vident non amplius Hephæstiones reperiri. Hephæst. Alex. M. cum arcanas quasdam literas legisset, detractum annulum ori eius admouit, eoque ipso occultum silentium, quasi impressit. Sed nostris hominib. nonnullis, etiamsi ferro occluderetur nõ vt huic sigillo obsignaretur os, tacere non possent. Non amplius viget inter mortales id quod Iustinus de antiquis Hispan. lib. 44. aut Val. Max. lib. 3. c. 3. de „ Pompeio narrat: Illis enim, inquit Iustinus, forti- „ or taciturnitatis cura quàm vitæ celebrata erat,

sæpe

sæpe tormentis pro silentio rerum creditarum "
immortui sunt. Pompeius autem Romanorum "
legatus à Gentio rege interceptus, priusquã vel-
let arcana Senatus sui detegere, mori non recu-
sabat, idq; vt regi ostenderet, nihil se per tormen-
ta reuelaturum, ardenti lucernæ digitum cremã-
dum præbuit. Idẽ fertur de Areopagitis Senato-
ribus Atheniensium, qui in prouerb. venerunt,
propter insigne arcanorum silentium, *Areopagi-
ta taciturnior*. Venetorum Senatorum miram ta-
citurnitatem multis exemplis illustrat inter alios
Johan Werner Gebharten in den Fürstlichen
Tischreden/l. 7.c.27. De Rom. Senatu memorabile
est quod Val. Max. refert, Curiam Romanam in
tanto Senatorum numero silẽtio sic vndiq; clau-
sam fuisse; vt non dicam vnum, sed neminem au-
disse crederes, quod tam multorum auribus erãt
commissum. Quô pertinet illud de Eumene re-
ge, qui cum Romam venisset, & regem Porsennã
in Senatu accusasset, ac de toto bello cum Patrib.
deliberasset, in præsentia nihil, præter quã fuisse
in Curia regem, scire quisquam potuit; Bello de-
niq; perfecto, quæq; responsa essent emanauere.
Mira (merito exclamat Lipsius) & diuturna silẽ-
tii fides. Et sane seuera lex lata est aduersus arca-
norum eliminatores, *lex* inquam 38. §. *transfugæ*.
ff. de pœnis. Enunciatores publicorum Consiliorũ
quia sunt nihil aliud quam regum & principum
proditores, tanquam transfugæ exuri & furcis
suspendi debent: Si.n. priuatis irascimur cũ consi-
lia nostra iis secretius commissa, diuulgant, quî
princeps non indignetur ei, quẽ ad secreta cõsilia
adsciuit, cui se & totam remp. commisit? Egregia

est vox Ammiani Marcell. lib. 21. *Consiliarii Principis sunt pars corporis eius*; quare nonnisi cum voce Principis voluntatem & mentem Principis exprimere debẽt; cõcreditas res dissimulare, quasi nesciant scientes, vt Thol. d. l. monet. Quippe silere eos oportet, non lingua tantum, sed & mẽte. Multi enim, inquit Polyb. lib. 9. sermone quidem celantes, ipso aspectu & vultu, aut factorũ aliquo reuelarunt sua secreta. Iust. Lips. in Not. ad c. 3. lib. 3. Polit. tenens nempe illud Val. Max. pro summo fundamento; *Taciturnitas est optimum, atq; tutissimum rerum administrandarum vinculum*; & illud Veget. lib. 3. *nulla sunt meliora consilia, quàm quæ ignorauerit aduersarius antequam fierent.* Plura in hunc sensum habet Middendorpius quæst. Pol. 57. Lips. d. l. vt & Hippolytus, Furius, Lenccius obseru. 318. & Richterus Axiom. Polit. 112. Mariana in lib. 3. de instit. Princip. cap. 15. & 13. tradit modos tegendi consilii & dissimulandi, quos, inquit, si consiliarii & Princeps non nouit, multis difficultatibus implicabitur. Cæterùm verba illa: *Comburam tunicam meam, si eam consiliorum meorum gnaram cognouero*, tribuit dictus Mariana Petro Arragonio, Dio Cassius Metello Macedonio; alii Mauritio Electori Saxonico, quando Carolum V. cum exercitu insequeretur, liberandi Philippi Landgrauii soceri sui causa. Sed quid mirum, si vna eademq; vox à diuersis edita sit in re pari? Illud verò Lipsii monitum, quod est lib. 3. Pol. c. 5. plenum est prudentiæ, & dignum, quod in animum demittat consiliarius, ne nimis, quod fieri sæpe solet, curiosus fiat: *Arcani*, inquit, *sint consiliarii, non arcanorum scrutatores*; *quia abditos*

Prin-

Principis sensus, ait Tacitus 3. Annal. *& si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps & periculosum*: Id quod expressit Philippides ille Comicus Poëta, qui, cum à Lysimacho, cui gratissimus erat, admonitus esset, vt aliquid à se peteret: *Nihil*, inquit, *à te peto Rex, nisi vt nihil secretorum tuorum mihi credas*. Indicans, vt inquit Patritius, quanto cum periculo Principum secreta non inquirantur tantum, sed & seruentur, quæ & ab aliis sæpe relata, etiam innocentibus exitium important. Si ergo in statu absolutè Monarchico difficulter possunt occultari cõsilia; dicat aliquis, *quomodo celari poterunt in statu Democratico*? Ita nimirum, si fiat deputatio quædam, ac delectus paucorum, quib. consilia permittantur: Germani vocant Außschuß: cuius commemorabile exemplum est Histor a Borussorum, qui cum Crucigerorum iugum coniunctis virib. excutere vellent, consiliorum tractationem omnem, & conclusionem paucis quibusdam iuratis personis commiserunt, atq; ita omnem rem & arcanam valde habuerunt, & feliciter gesserunt. Vide Casparum Schützium in Chronico Borussiæ.

14 *Pectus magnanimum requiri in Consiliario, & expers tum metus, tum adulationis, atq; adeo tam vocem, quam mentem liberam.*

Regum Consiliarios aut Reges esse oportet, aut Regum animos habere, inquit nonnemo hodie ex Politicis. Mascula vox, & magni cuiusdã spiritus, sed optem ab eo qui protulit, disertius explicatã. Ego de animo libero & impertertito acceperim, qui esse debet in Cõsiliario, & de libera lingua ac

voce. Etsi enim differant inter se Consilium & admonitio, adeoque etiam Consiliarius & monitor, ac magister vitæ; tamen hodie ista more publico coniunguntur nō insalutariter. Et sanè quia is, qui Consiliarius est, simul Senator esse potest, & talis, cui pars quædam regiminis simul cum Principe commissa; & quia etiam inter deliberādum plurimi casus incidunt, quib. liberè loquendum, aut cum quadam offensa Principis, aut metu saltem offensæ: Idcirco omninò in Consiliario requirimus animum magnum, & ab omni adulatione alienum, qualis fuit in Heluidio Prisco; quem, etsi Dio Cassius videtur notare tanquam iusto acerbiorem; tamen reuera Senator fuit magni & imperterriti pectoris. Etenim cum ad eum Vespasianus Imperator dixisset, ne in Senatum veniret amplius: *Penes te*, respondit, *est, ne me Senatorem patiaris: quamdiu autem me loco non moues; est in curiam mihi veniendum. Age, ad ingressus taceto*, inquit. *Ne me roga, & tacebo. At est mihi rogandum. Et mihi dicendum, quod rectum putauero. Verum si dixeris, occidam te. Quando ego dixi tibi, me immortalem esse? Tu tuum facies, ego meum; tuum est occidere, meum mori non trementem.* Talium Heluidiorum magna semper inopia fuit, & nunc est: Quod dudum Seneca questus 6. de Benefic. cap. 30. vbi inquit: *Vis scire, cuius rei inopia laborēt magna fastigia? quid omnia possidentibus desit? Ille qui verum dicit.* In eundem sensum Tholosanus ait libro 24. cap. de Re-
„ publica: Deploranda est Principum Christiano-
„ rum consuetudo, quod multos ministros habe-
„ ant, qui iis omnium ferculorum copiam ad men-

sam ad-

ſam adferunt, nullus autem ſit, qui ferculum veritatis afferre audeat. Auguſtini dictum graue eſt: Quiſquis, inquit, metu alicuius poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat; quia magis timet homines quàm creatorem, cui ſanctè promiſit, ſe conſcientiam, veritatem, bonum publicum, omnemq; honeſtatem magis curaturum, quàm vllum fauorem Principis. Perſeus, inquit Lipſius in Notis ad cap. 3. lib. 3. Pol. ab amicis duobus liberius admonitus de vitiis præteritis & culpis, quia vtrumq; pugione interfecit; dignus qui verum poſtea non audiret, & cui regnum periret; vt euênit, & eo veniet iis, qui hunc ſequêtur. Capitolinus in Gordiano: *Miſer eſt Princeps, apud quem veritas reticetur.* Item Tacitus lib. 3. Hiſtor. *Deſperata eius Principis ſalus, cuius aures ita formatæ, vt aſpera, quæ vtilia, nec quicquam niſi iucundum accipiat*; ſed eius iam perdita eſt ſalus, qui conſiliarios, ne quod ſentiunt, ingenuè dicant, vel metu, vel auro, vel honore abducit, atque ita curiam elinguem habet, vt Plinius in Panegyrico inquit, in qua dicere quod velles periculoſum; quod nolles, miſerrimum eſt. Hippolytus à Collibus, & Furius cap. 4. ſuadent, conſiliarios Principum obſtringi ſolenni iuramẽti formula, quod velint veritatem & ſententiam ſuam liberè proferre, ſiue ea placeat, ſiue diſpliceat Principi. Nã ii, qui blandis tantum & abyſſinis verbis demulcent Principem, ſimiles ſunt, inquit Tholoſanus, medicis, qui ægroto Principi abblãdiuntur, ipſiq; indulgent in propinandis gratioribus medicamentis, & ſic mortem potius ipſi, quàm vitam parant. Cæterum Lipſius in Not. Pol. ad lib. 3. c. 8. &

Ribaden.lib.2.cap.26.præclara præcepta ſubministrant, quibus Principes efficere poſſint, vt conſiliarii libere mentem ſuam explicent: Inter quæ illud videtur præcipuum, ne oſtendant, quid ipſi de eo, quod ad deliberandum propoſuere, ſentiant. Pauci enim reperientur, inquit Lenccius obſeruat. 221. qui cognita voluntate Principis contra eam diſſerere aut conſulere audeant. Idem quoque ſtatuit Machiauellus lib. de Principe, cap. 23. vbi ſalutare aliud medium ſubiungit; nimirum vt maximè ſuccenſeat Princeps, ſi quempiam nouit inter conſiliarios, qui aliquo ad ſe reſpectu veritatem reticet: Si autem ſe ab aſſentationibus vindicare velit, faciat vt homines intelligant, ſe non offenſum iri, ſi quis liberè voluntatem dicat. Praua namque eſt non tantum Principum, ſed & mortalium cunctorum natura, quod aſſentientes fauenteſq; libenter audiant, reſiſtentes autem auerſentur, ineptoſque iudicent: Deinde quod veritatem magis reticere cupiant, quàm veritate iſta offendere eos, à quib. aliquid ſperant, vt inquit Mariana lib. 2. de inſtit. Princ. cap. 11. vbi multa de peſte adulatorum, & modis, quibus illi agnoſcendi ſunt, tradit; idque propterea, quia nemo eſt tanta prudentia præditus, qui ſibi non placeat, ſibi non applaudat, ſe nõ multis anteponat; adeoq; vt Machiau. inquit, *qui ab hac peſte ſibi cauere velit*: ſiue vt loquitur Iacobus Britanniæ Rex in Dono regio, *qui non ſecum perpetuò circumferat* φιλαυτίαν, hoc eſt, internum adulatorem, qui principium eſt inſolentiæ in Regibus. Ille nempe immoderatior amor ſui ipſius; ad quẽ ſi externi adulatores accedant, omnia peruertit,

uertit, imo confundit, & Principem ex stulto amentem facit, ac stolidum, vt iterum Mariana dicto loc. Curt. lib. 8. *Regum opes & reges sæpius assentatio quàm hostis euertit.* At verò hic ea cauta cautio esse debet, vt attendat consiliarius, quomodo & quàm opportunè monendus sit Princeps. Hęc enim difficultas; hoc periculũ. Quod si cernerẽt ii, qui consuetudinem Principum immoderatius expetunt, dicerent Regib. quod Dionys. Cynicus Cratero roganti, vt se accederet moderaturus secum imperii sui habenas: *Salem Athenis lingere malo, quàm tecum opiparis dapibus vesci.* Etenim si officio fungitur consiliarius, & secundum conscientiam monet principem in iis quæ peccat, odium sæpe metuat: Si importunè aut incautè, ait Arniss. c. 15. Pol. mortem. Sed præter id, vt ibidem exẽplis multis probat, quotusquisq; est ex Principibus, qui non ægerrimè admonitiones ferat? Nero Imp. scelerib. quàm virtute notior, omnes amicos trucidabat, ne de se ab iis verum audiret. Alexander Callisthenem, alii alios. Tu quisquis es, qui consultas, vide ne te tuus; si non obliquo astu quodam Principi ingeras, in quibus errat. Nã non quod admonere debeas, trahitur in dubium; sed quomodo. Ionathan Saulem auertebat à cæde Dauidis, 1. Sam. 20. v. 32. magis nude quam artificioso flexu, quia & filius erat, & nactus opportunum tempus. At Callisthenes, quia acerbius nec opportuno tempore & intempestiuis verbis obiurgauit Alexandrum, iugulum sibi ipsi fregit. Dicebat enim quę debebat, sed nõ quomodo debebat. Seneca p̃clarè inquit; *Vere prudẽs & sapiẽs non semper it vno gradu; sed vna via.* Et 5. de bene-

Danæus in Pol aph de consil. 2.

ficiis c.28. Arte & flexu opus est, sæpè huc vltro frenis leuiter motis flectendus est animus, paucis sui rector optimus Sic Ioab Regis Dauidis Consiliarius ac copiarum præfectus per artificium regem suum auertere voluit, ne populum numerando peccaret cōtra expressum Dei mandatum, 2. Samuelis vltimo cap. eiusmodi oratione vsus: *At adiiciat Iehoua Deus tuus ad populum quotquot sunt centuplum, idq; oculis Domini mei videntibus; Dominus autem rex meus quare delectaretur re hac?* Caute itaq; dicat, saltem non more adulatorum. Libera vox esse possit, sed tali moderatione & Charientismo vt Ma. Q. Capitolini ad Quirites: *Vellem equidem vobis placere, sed multo malo vos saluos esse, qualicunq; erga me animo futuri estis.* Aut Senecæ ad Neronem lib. de Clement. 2. c. 1. *Malo veris te offendere quam blandiendo placere.* Hinc rectè Ribadeneira lib. 2. cap. 30. Consiliarius est instar boni medici, qui iucunda quidem ægroto dare cupit; sed multo magis salubria. Adulator verò coquo persimilis est, qui in cibo condiendo nullam rationem valetudinis habet, sed palati tantum, inq; id solum incumbit, vt ad Principis gustum & voluntatem loquatur. Vnde inquit Fur. cap. 2. Si rex immodica tributa à subditis exigere cupit, tales verò blandos in consilium capit: respondent: *Omnia sunt regis*: vel ita: *Regem consilio non posse labi.* Quod autem occulta sua sagacitate tanquam venatici canes odorantur, quib. reb. maximè delectantur principes, naturam suam ait Mariana lib. 2. c. 11. ad tempus deserunt, alienā vero personam induūt, atq; adeo principi sæuo, magnanimi; prodigo, liberalis; libidinoso

libidinoso, hilaris & humani nomen affingunt. Ac
de talib. consiliariis, & principib. qui iis delectan-
tur, multa vtilia allegauit Middendorp. in quæst.
Pol. & Theol. q. 52 vbi videri potest. Prudēter Fu-
rius Ceriolan. sæpe cit. lib. c. 2. Regula sit genera-
lis atq; certissima, hunc qui immodice principis
sui actiones laudat, vires prædicat, potentiam ex-
tollit, hosti eius detrahit, eumq; maledictis & op-
probriis insectatur, boni consiliarii nomine in-
dignum. Agnoscet tamen Rex adulatores, inquit
Ribadeneira d.l. si quod hodie placet, cras sibi dis-
plicere dicat & nonnunquam contraria velit &
nolit. Nam si sequentur eius voluntatem & sen-
sum in contrariis, agnoscet eos esse adulatores:
probus enim consiliarius contraria in principe
aut mala nunquam laudabit. Platonis illud dignū
est quod consiliarius obseruet: Dicere oportet
virum prudentem, si quid ei videatur non rectè
administrari, sed ea lege, si futurum putet vt neq;
frustra dicat, neq; frustra dicendo vitæ periculum
incurrat; Quod tamen, addit Lips. in Notis ad c.
5. lib. 3. Pol. ita verum, nisi regnum aut rex pericli-
tetur. Nam tunc nullum discrimen consiliarium
teneat, quin clamet cum Themistocle: *Feri, sed
tamen audi*. Plura in hunc sensum habet Castell.
de offic. Reg. lib. 11. c. 11. Fur. d. l. 4. *Princeps*, inquit,
*audiendo veritatem facilè, autoritatem amittit, si
cuilibet eius dicendæ potestas sit.* Itaq; non nisi con-
siliarii admonere debent Principem. Quod si
autem ii qui tantùm sunt consiliarii, ius habent
monendi principis, quanto habebunt magis ii
qui simul sunt Senatores & partem habent Re-
giminis? De qualib. præcipue tractat auus meus

felicis memoriæ *Nicol. Rey*, in Speculo vitæ hum. tit.2.c.3.vbi simul tradit rationem, quâ consiliarii principem admonere debeant. Quod si autem, inquit Mar.l.3.c.15.princeps admonitiones ferre non potest, mutos magistros audiat sæpe salutaria monentes, tangentes vitia, in aliis accusantes. Sic Alphonsus Rex interrogatus *quinam consiliarii optimi essent*; Respondit, *Mortui*: intelligens libros & monumenta maiorum, qui præter id qđ nihil blandiuntur, nihil celant, puram meramq; propinant veritatem; detegunt & ob oculos ponunt, tum vitia, tum virtutes magnorũ Principũ, quæ si legit is cui summa Reip. commissa est, non poterit non aliqua ratione ad se applicare. Palmã verò inter eos, qui huic scopo seruire possint, obtinent Tacit. & Salust. De priori sic Mariana lib. 2.c.6. Tacitus horrida oratione ac spinosa, sed arguta inprimis, magnũ rerũ thesaurũ tegit. In hoc consilia Principis, artes fraudesq; aulæ, & in alienis periculis & malis, quasi in speculo nostrarum rerum imaginem contẽplari licebit. Idoneus autor quem nunquam principes, nunquam aulici deponãt de manibus, die noctuq; versẽt. Salustiũ autem filio suo Henrico Principi cõmendat Britanniæ rex Iacobus: *Salustii opera cuiuis, tũ principi, tum homini Christiano lectu dignissima, cupio te nocturna versare manu, versare diurna.* Iam porrò quia liberalis ingenii homines, inter consiliarios principis tantum adsciscendi sunt; propterea id iam vltro sequitur, quod Cerlolan. & alii diducunt prolixius, auaros nempe ac turpi quęstui deditos longissime à consiliis arcendos esse. Omnis enim auar⁹ seruus est & vile mancipiũ metalli. Et

eſt auaritia mater & radix omnium vitiorum. & officium nullum eſt tam ſanctum, tamq; ſolenne, inquit Cicero, quod non illa comminuere atque violare ſoleat. Auari ſemper ſunt boni publici hoſtes, ait Fur. cap. 2. Vt habendi expleant cupiditatem, cuncta venalia habẽt, Tacit. lib. 1. Hiſt. *Peſſimum*, inquit, *veri affectus & iudicii venenum ſua cuiq; vtilitas*. Grauiter Liu. lib. 22. *Priuata res ſemper offecere officientq; publicis rebus*. Hinc adeo antiqui Legumlat. arcebant à magiſtratu omnes lucro & quæſtui aſſuetos, quales quidem eſſe cenſebãt alumnos & quaſi gnatos Mercurii. De quib. lex Thebanorum ſic ſtatuit: *Ii qui decem annis nõ abſtinuerunt à commerciis, non admoueãtur ad gubernationẽ*. Iuſt. Lipſ. in Not. Pol. ad c. 6. lib. 3. diſp. *vtrum mercatores admittendi ſint ad gubernationẽ publicam, ſiue ad magiſtratum gerendũ*; &, *an Princeps à mercatorib. conſilia capere illisq; vti debeat*. Sed illud prius non eſt huius loci; poſterius autẽ conſiderabimus vbi ad conſultationem deuentũ fuerit. Cæterum de infamibus & decoctoribus non eſt quod plurib. differam; qui enim reb. ſuis male proſpexit, nunquam alienis bene conſulet, & qui malis artibus auxerunt rem familiarem aut decoxerunt, non eſt ſperandum, inquit Iſocrates ad Demonicum eos in alienis negotiis meliores fore. Caſtel. de offic. Reg. l. 1. c. 55. Et Tol. l. 24. c. 6. plura in hunc ſenſum habent. Middendorp. quoq; in quæſt. Pol. quæſt. 52. & Ribaden. l. 2. c. 25. Memorabile eſt exemplum in Plutarcho, qui narrat, quod in conuentu Lacedæmoniorũ, quidam Demoſthenes turpitudine vitæ infamis, cõſilium præſtans & præclarum dederat ciuibus,

sed quia ipse infamis erat, noluerunt ab eo consilium acceptare. Ne autem proba & honesta sententia dehonestaretur turpissimi autoris contagio, consilio omnium per alium quendam honestum ciuem eadem sententia prolata est. Et ita bonum consilium mansit, turpis autor immutatus est.

15 *Consiliarii qualiter mutandi aut remouendi; & in specie, Vtrum Princeps nouus antecessoris sui Consiliarios mutare & dimittere debeat?*

Est omninò penes Principem, Consiliariorũ vt aduocatio & cõstitutio, ita dimissio & amotio. Nec parua est ista pars Iuris Maiestatis. Sed vtriusq; mensura & norma esse debet, non tàm affectus Principis, quàm salus Reipub. Ex hac præcipuè, imò ex hac sola æstimandum est, quinam Consiliarii digni sunt, qui indigni. Et quia periculosum, ad arcana Reip. semel admissum repudiare ac dimittere; ideo vt dimissionis periculum euitet Princeps, admissurus adhibeat cautionẽ. Quin & semel admissos atq; arcanorum multorum conscios ita sibi obstringat, vt cupiant perpetuo manere, nec à se dimittat, etiamsi ipsi missionem vrgeant. Indignationem iis suam & testetur & minetur, si temerè missionem petant, & vel locupletioris stipendii, vel maiorum honorum apud potentiores Principes quærendorum caussa, pristinam functionem deserere velint. Consiliarios vtiq; suos Princeps, tanquã partẽ sui & tãquã administros pcipuos regiminis sui exactè norit, & si possibile sit, nõ minus quã seipsum. Idcircò de iis nemini plus credat qua sibi ipsi. Nõ coniugi, non

iugi, non liberis, non agnatis, multo minus exploratoribus & delatoribus. Quos quidem an in Repub. habere vel honestum sit, vel vtile, alterius loci disputationis est; & dicetur de iis infra etiam, vbi de consiliariorum examine differemus. Quia vero caueri vix potest, quin vel in consiliario assumendo interdum fallatur Princeps, vel ex bonis consiliariis quos allegit, mali fiant, idcirco omnino & remouendi ab officio Consiliarii sunt, & si ita meriti, seuerè castigandi. Neque enim quicquam est, quod ad Reip. salutẽ magis pertineat, quam ne cõsiliariorum infidelitas & perfidia impunita maneat. Sed id magnopere cauebit princeps, ne ex euentu, tanquam certa quadam norma consilia æstimet, de quo suo loco vberius dicemus. Atque hoc loco ista nobis quæstio se offert: *Vtrum remouendus sit consiliarius propterea quod populo & subditis sit odiosus.* Sanè, si suo aliquo vitio & culpa in odium venit, non difficilis est decisio; remouendum omninò esse; tum quia nocens, tum quia ex illa noxa odiosus, atque adeò pernitiosus tam Principi, quem & ipsum odio subditorum grauat si defendatur, tum Reipub. quam prauis consiliis iuit perditum. Quod si autem non sua culpa aut facinore aliquo, sed miro quodam fato & casu, & ipsius potius populi vitio aut culpa sit odiosus, an tum officio mouendus fuerit? Ita videtur sentire M. Aurelius Imperator in Horolog. Princip. lib. 3. c. 58. *Ego,* inquit, *ex quo intellexi quid esset Remp. gubernare, hoc semper habui infixum animo, vt nunquam domi mea haberem aliquem, simul atque illum odio esse ciuitati animaduerti.* Nimirum nullum est animal mo-

rosius quam homo; Nullum quod maiori arte tractandum quam homo, inquit Seneca 1. de Clement. Middendor. q. 52. Exemplum allegat Achis Philistinorũ Regis, qui Dauidem ab exercitũ suo abire iussit, propterea quod esset Ducibus Philistinis inuisus aut suspect⁹. Sed est omninò diuersitas in exemplis. Et verò debet omninò princeps de consiliariis suis statuere ex iusto & æquo, non ex iudicio atq; affectu populi. Neque recipimus ita simpliciter decisionem illam Caiphæ; *Præstat vnum perire quam totũ populũ.* Illud potius valeat Magni Imperatoris Symbolum: *Fiat Iustitia & pereat mundus.* Sed interim cautio hic & prudentia non excluditur, quâ nempe id agitur, vt & populus, atq; adeo Respub. salua maneat, & tamen Consiliario isti, qui in odium venit, iniuria non fiat. Aget id omnibus viribus princeps, vt populi odium mitiget, eumque arte demulceat. Sin ita non proficit, Consiliarium aliò ad tempus ableget, siue sub Legati munere, siue aliis mandatis, quæ se facilè Principi offerent. Quod si interea nihil remittat populus de furore suo, & periculum manifestum sit à seditione, det Consiliario apud exteros viuenti honestam sustentationem, & curet, vt commendatione sua apud alium aliquẽ Principem honorificè promoueatur. Quin & ipse Consiliarius, qui in hoc infortunium incidit, tanquam vir bonus & Reipub. amans, sponte suo officio decedet, & furori cedet, maletque aliquid pati, quam Principem suũ in discrimen adducere. Iam porrò ad illam quæstionem quod attinet; *An Princeps nouus antecessoris sui Consiliarios remouere debeat*, facilè ex his, q̃ dicta sunt,

intelligi

intelligi potest; quid statuendum esse videatur. Est quidẽ illud iunioribus Principibus vsitatum, inquit ex Peucero Richterus axiom.115, quod negligant seniores maiorum suorum Consiliarios, & iis anteferãt eos, quib. ipsi consueuerunt: Quẽadmodũ Rehabaam Salomonis filius, & alii multi Principes fecerunt; sed magno suo malo. Si enim prædecessoris consiliarii mutẽtur, leges modumque regiminis mutatum iri opinabuntur ciues, ac libertatis oppressionem suspicabũtur. At in Repub. gubernanda haud scio, an plus opinio valeat ac simulatio, quàm res ipsa, inquit Bodinus lib.3. de Repub. cap.1. Sciunt omnes nouum imperium inchoantibus vtilem esse clementiæ famam, ait Tacitus 4. Histor. Monẽt etiam de hac re multa præclarè Hippolytus à Collibus d.l. pag. 159. Althusius cap.22, Danæus pag.244. aphor.6. Antimachiauellus lib.1. theor. 2. pag. 135. Vt & Tholosanus lib.24. cap.6. n.15. vbi hanc inter alias rationem addit, quod multa à prioris Principis Consiliariis, quæ gubernationi vtilissima, Princeps nouus discere possit. Marcus Aurelius Imper. morti vicinus Commodum filiũ adhuc adolescentem Consiliariis suis viris bonis ac sapientibus commendabat. Ac tantisper felix & commodum erat Commodi imperium, quamdiu ex ipsorum consilio omnia agebat, vt testatur Lampridius in Commodi vita. Gallorum Reges, inquit ex Cominæo Antimachiauel. lib.1. theor.1. " obseruabant inprimis tãquam legem maximam, " vt nouus Rex veteres amicos demortui Regis, q " bene Remp. administrasset, in ministerio retine- " ret, eos inprimis, qui probitatis & fidei existima- "

tionem erant consecuti. Hinc Ludouicus IX. filium Carolum sollicitè admonuit, ne quid mutaret in administratione Regni, atque antiquos familiares ac ministros retineret. Se enim re ipsa esse expertum in quot quantaque discrimina vel vnica hac causa venisset, quod probatæ virtutis viros ab aula pepulisset; exorto haud multo post Principum bello, quod *commune bonum* vocabant, & seditionibus aliis variis. Neque tamẽ interim ita alligamus Principem ad antecessoris sui Consiliarios, vt si peculiaria aliqua tempora ingruant, & res ipsa reformationem vel Reipub. ipsius, vel aulæ postulet, aut etiã si magis idoneos Consiliarios habeat, quin, inquam, veteres mutare possit. Sed id cautè tamẽ aget; nec ita repente. Misceat potius nouos veteribus, & vtrosque retineat. Si quis post Principem inuitum, & cuius imperii pœnitet, principatum acceperit, aut si veteris aulæ consiliarii populo inuisi admodũ; is abiectis illis, probos atque expertos adsciscat, inquit Gentiletus autor Antimachiauelli lib. 1. th. 3.

Atque hæc etiam de Consiliario; cuius nimirũ expendi primò vsum & officii ingressum; pòst numerum siue quãtitatem, exinde qualitates tam naturales, in genere, corpore, animo, ætate, quàm acquisitas, nempe mentis & morum, seu vitæ virtutes, perseuerantiam denique in officio, aut eius priuationem. Restat nunc, vt Consiliarii functionem atque actum proprium expendam; atque adeo in Concilii abdita & arcana penitius Discursibus hisce Politicis penetrem.

DE CONCILIO SEV CONSVLTATIONE,

DISCVRSVS PRIMVS.

Principi qui per se non sapit, vtrum recte consilia dari possint?

NEgat Machiauellus cap. 23. de Principe, vbi inquit: Regula est certissima; *Princeps qui per se non sapit, ei consilia non facile dari possunt.* Et paulo post: *Illud itaq; maneat, necessariũ esse: Recta consilia à quocunque proficiscantur, à Principis prudentia, non autem Principis prudentia à rectis consiliis deriuetur.* Et addit ibidem rationes: Primò, Quia, inquit, talis princeps aut se vni tradet, " aut pluribus. Vnus iste in tanta potentia diu bo- " nus manere non potest, potiusque exturbabit " principem ab imperio, quam ei consilia suppedi- " tabit. Inter plures autem perpetua erit sententia- " rum pugna, quas ille, cum non sit prudens, non " poterit conciliare. II. Quia inter tales consilia- " rios de propriis commodis vnusquisque cogita- " bit, quos ille nec agnoscere, nec corrigere pote- " rit. III. Quia boni consiliarii non facile repe- " riuntur: nunquam .n. ait, non vsu tibi veniet, vt " homines in te impr obi sint, nisi aliqua vi cogan- " tur vt sint probi. His fulcris Machiauellus stabi- " lit sententiam suam; quibus addi potest illud Herespachii de educ. Prin. *Misera est prudentia, quæ ex alieno arbitrio pendet.* Et illud Guicciardini libro 1. Historiarum: In rebus arduis vti nihil ma-

gis necessarium, ita rursus nihil magis periculosum est, quam ex consilio alterius pendere. Nã vt addit Lenccius obser. 257. *Nemo praeditus est tãta sapientia, qui per se omnia perspiciat atq; cognoscat, & in contrariis sententiis quæ sit potior, diiudicare valeat.* Præterea autẽ, quis alium cõsulens certo scit, se fidele consiliũ accepturũ? Cum sępe vniuscuiusque natura, frons, oculi, vultus mentiantur, inquit Cic. de Orat. Cæterũ id vltro concedimus Machiauello, difficulter admodũ dari consilia ei, qui ipse non sapiat: at vero plane nihil prodesse bona & recta cõsilia Principi, qui ipse summè prudens ac sagax nõ sit, id vero pernego, & illud primo oppono Machiauello, quòd nõ pauci fuerint Reges, qui, licèt essent nõ adeò prudentes, tamen cõsiliis agnati alicuius, aut alioquin viri probitate & prudentia cõspicui regna gesserint. Tales multos enumerat autor Antimachiauelli lib. 1. th. 1. pag. 39. Et inter alios Gordianum Imperatorem, qui, cum vndecim annos natus Cæsar appellatus esset, & plerique puerile imperiũ vt imbecillum aspernarentur, tradidit se consiliis soceri sui Misisthei, quibus multa præclara domi & militiæ gessit: Resque Romana tam diu sub Gordiano incolumis & valida stetit, dum vixit Misistheus. Sed & supra ostendimus, cum de Consiliario ageremus, quod vel infantes & pueri regna gubernare póssint, si Consiliarii sint fideles atq; prudentes. Fateor nõ sine periculo, Sed quid est in reb. huma-
„ nis, inquit Mariana li. 3. c. 15. quod vacet periculo?
„ Institui posse dicimus talẽ gubernationẽ, sed lon-
„ gè feliciorem fore, si per se Princeps sapiat. Infe-
„ licissimam verò, vt ẽt Machiauel. sentit in præce-
denti

denti c. 22. si talis consilia aliorum spernat, suaq; "
imperitia Remp. perdere velit. Non debet Prin- "
cipē vsque adeo excæcare propriæ sapientiæ opi- "
nio, vt alienā aspernetur; quin potius, quò maio-
ri sapientia pollebit, eò modestius de se sentiet,
Antimach. lib. 1. theor. 1. Quod si in priuatis reb.
magis vtiq; in publicis locū habebit illud, βουλῆς οὐ-
δὲν ἐστι ἀσφαλέστερον: *Res est cōsiliis secura fidelibus vti.*
Diuturna experientia perceptum est, inquit Bo-
din. lib. 4. c. 4. plures consilio cōmunicato melius
ac certius quam singulos iudicare; Cum singuli
quādā habeant virtutū particulas, quę simul col-
latæ, vnam quandā excellentem virtutem confi-
ciunt. In medicorum pharmacis id apertum est,
præsertim in antidoto illo, quod Mithridaticum
vocant; plures res in eo sigillatim noxiæ vbi con-
tēperatæ fuerint, salutare aduersus venena reme-
dium parant: Sic & in hominibus aliis tarditas &
cūctatio; aliis præceps temeritas obest; hæ in plu-
ribus cōmixtæ tēperamentum quoddā consilio-
rum admodū salutare efficiunt. Buchanan. de iu-
re regni apud Scotos. Vide Camerar. part. 1. med.
hist. c. 55. Quando etiam subditi res sine consilio
geri perspiciūt, decreta pro nihilo ducūt, & mol-
liter iussa exequuntur, inquit Bodin. lib. 3. c. 1. Iam
vero quod inquit Machiauel. plures sentētiis in-
ter se perpetuo pugnabunt, nec eos inter se con-
ciliare poterit. Id aliquid videtur habere momē-
ti: sed in promptu est, quod regeramus; Consilia-
rios, si tales sint, quales ante requisiuimus; id est,
viri boni, boni publici amantes, facilè consensu-
ros. Sed & pluralitas votorum in dissensu aliquid
poterit. Cæterum ipse Princeps, licèt imprudens

sit, & ingenii hebetis atque tardi, tamen ista crebra auscultatione variorum discursuum & consiliorum aliquam indies contrahet in rebus peritiam. Prudentia .n. non tantum paratur, sed etiã augetur prudẽtum consuetudine: Middendorp. quæst.40.& Tholos.lib.24.c.3.num.2. Per consilia & consiliorum variam agitationem reddetur Princeps prudentior, quamuis fuerit rudis antehac, ac tanquã in schola peritorũ efficietur peritus & cautior. Mariana lib.3.c.15.de instit.Princip. inquit: Si sui capitis sit, priuatos sæpius affectus, quàm rationis momẽta sequetur, aulicorum delationib. deceptus feretur in præceps, vt si optio sit, tardo ingenio Principem malim, audiat modo, quàm acuto & perspicaci si præfracto. Ribaden.lib.2.c.24.optat Principem minus scientem, & debilioris iudicii, vt sibi diffidens, bonos consiliarios adhibeat, à quorũ prudentia pendeat, & quod sibi deesse cernit, suppleat. Idcirco dicit, nonnulli reges volunt, vt eorum hæredes sint omninò indocti, ne, rerum cognitione cum summa potestate coniuncta, multùm sibi fidentes, aliorum aspernentur cõsilia, & omnia pro suo arbitrio ac libidine administrent; quam etiam rationem, vt refert Bodin.lib.3.c.1.de Rep. Ludouicus IX. Galliarum Rex habuit, cur Carolum octauum literas scire nollet, quod ipse ductũ suum secutus in multas ærumnas incidisset. Sed ista sententia plane in alterum extremorum ruit, & impingit in Politica principia de requisitis fundamentalibus principum. Nec trahi eò poterit illud, quod Lampridius de Seuero narrat. Quod cum ei aliquando mater dixisset: *Fili, debiliorem*

tibi

tibi & contemptibiliorem potestatē facis, dum Consiliarios tuos in magnis rebus gerendis adhibes. Respondit: *Sed securiorem & diuturniorem.* Pergo ad alteram rationem Machiauelli: Plures, inquit, " de propriis tātum cōmodis cogitabunt, quos co- " gnoscere, nec tamē coercere poterit. Id vero de- " ploramus, & fatemur, non absq; difficultate posse reperiri Consiliarios omnibus modis perfectos; Quod indicare videtur voluisse Alphonsus Rex Arragoniæ, cui adolescentulo cum proceres suaderent, vt adiungeret ad gubernationē Regni viros septē, qui Deum timerent, iustitiā colerent, cupiditates refrenarēt, neq; donis neq; muneribus caperentur; Ipse respondit; *Si tales nō septem, sed vnum dederitis, continuo illi & regnum & regimen concessero.* Middendorp. q. 52. Interim tamen negandum non est, reperiri multos præclaros viros & sapientes, & publicorum magis quā priuatorū amantes, qui Principi adiungi possint. Non est ita sinistrè iudicandum de genere humano, quasi omnes in eo & semper ita sint corruptis moribus, vt de publico bono nō cogitent, priuatarum tantū rerum sint mācipia. Quod ergo Machiauellus dicit: *Nunquam non vsu tibi veniet, vt homines in te improbi sint, nisi aliqua vi cogantur, vt sint probi.* Id sane & nimis durum est, & à ratione alienū. Quis .n. dixerit vi esse cogendos, quos in te probos & bene affectos esse velis; siquidem facilius alliciuntur mentes humanæ virtutib. benignitate aut beneficiis. Amor vero coactus non est amor. Nec personam diu ferre potest is, qui simulatè ac coactè agit. Nā vt Senec. lib. 1. de Clem. inquit: Ficta cito in naturam suam recidunt; Mo- "

„ rum ſimilitudo amorem inter homines cõciliat,
„ ſimilemque Deus ducit ad ſimilem, vt inquit Plato in Lyſide. Videri poſſunt ea, quæ in hac controuerſia contra Machiauellum diſputat Gentiletus autor AntiMachiauelli lib.1. theor.1. Cum quo tamẽ ita facio, vt Machiauelli ſententiã non per omnia repudiem. Eſt enim optandũ vt Princeps ipſe conſilii copiam habeat, vt ipſe ſagax ac prudens ſit. Tali enim principi felicius conſilia dantur, quam ei qui ipſe conſilii expers eſt. Quô pertinet illud Bodin. lib.3. cap.1. vbi ſic inquit: In
„ Monarchia de quibus fit conſultatio, aut princi-
„ pẽ ea intelligere, aut populari opinione à princi-
„ pe intelligi oportet, vt grauior ſit eorũ quæ à Se-
„ natu decernuntur auctoritas & fides, ne ſubdi-
„ ti querantur, quicquam à principe temere ſine
„ cõſilio, vel à Senatu fieri quod princeps optimus non probaret. Et eſt ſanè periculoſum tale imperiũ, quod à tali Principe, qui ipſe prudens nõ ſit, gubernatur; ſiquidẽ & illa ipſa periculo non vacant, quæ vel à prudẽtiſſimis Principibus guber-
„ nantur. Vnde piè admonet Lauterbachius c. 6. in
„ Prin. Chriſt. Ad DEVM, inquit, cõfugiant Princi-
„ pes, curſumq; gubernationis ſuæ illi cõmendent.
„ Siquidẽ obruti tanta mole negotiorum, conſiliis
„ omnib. ipſi nec poſſũt intereſſe, aut ſaltẽ præeſſe.

2 *Varia conciliorum ac conſultationum genera ſiue gradus eſſe debere pro varietate rerum de quibus conſultandum.*

Non omnia ſub conſultationem vocanda quæ geruntur à Principe: Siquidem certæ tantum res ſunt quę ſub concilium cadunt, vt intelligi poteſt ex conſilii definitione data ſuo loco. Interim ea ipſa

ipsa, de quibus consultari & potest & debet in
principatibus & imperiis amplis, tam varia sunt
& multiplicia, tamque diuersorum graduum, vt
omninò prudenter suadeant Politici, diuersa cō-
cilia instituenda esse; Superiora & inferiora; Se-
cretiora & minus secreta. Bodin.lib 3.de Repub. "
c.1. inquit, His temporibus nulla fere ciuitas est, "
siue optimatum, siue populari, siue vnius impe- "
rio regatur, quæ præter Senatum nō habeat san- "
ctius aliquod concilium, & præter vtraq; trium- "
uiratum quendam, qui secretiora imperii tra-
ctent; idq; potissimum in Monarchia, vt ibidem
ostendit exemplo Iul. Cæsaris, Augusti, & Galliæ "
regum consuetudinibus. Et paulò post: In Mon- "
archia de iis tantum, quæ Senatui grauia & dubia "
sunt, ad sanctius consilium fertur; si autem res
ad maiestatis iura pertinet; Principis arbitrio re-
seruatur. Facile autem est colligere, illa tot con-
ciliorum genera in diuersis regnis nata esse ex di-
uersitate negotiorū, quæ regibus peragenda erāt
& determinanda. In Hispanię Regno septem esse
concilia ostendit Furius, *Quæstorium* nempe,
Togatum, *Militare*, *Frumentarium*, *Legale*, *Cri-
minale* & *Censorium*. In Gallia item quam multa
& varia fuerint olim, & iā sint concilia, cō memo-
rat Bodin. lib.3. c.1. vbi ait: *Esse aliud Magnū con-
cilium, aliud Familiare siue Priuatū, & aliud An-
gustum siue Strictum*. Veneti quoq;, vt idē recen-
set d.l. ex Contareno, Donato & Ianoto, quatuor
Concilia præter Senatum & cœtum optimatum
habent: nēpe *Conciliū Sapientū*, idq; primo *Ma-
rinū*, deinde in quo decernuntur ea quæ in terra
gerūtur, tertiū *Decēmvirorū*, ac deniq; *Septēuirorū*.

Reliquas etiam Resp. d.l. persequitur Bodi. quib. ostendit, necessariam esse quodammodo conciliorum multitudinem, nec posse Principi sufficere vnicum aliquod concilium. Hippolytus à Collibus totum id, quod de Consultatione habet, refert ad caput Conciliorum summum, siue vt alibi vocat, *Sacrosanctum consistorium.* In quo proponi tantum ea vult, quæ ad summã Reip. & ipsum statum pertinent; nẽpe de legibus, de fœderibus, de securitate publica, de bello, de pace, legationũ secretis, de finibus imperii, & similibus maioris momenti negotiis; quæ tantum, vt rectè censet, conciliũ supremum ingredi debent. Reliqua autẽ inferiora, si sunt publica negotia, inferioribus quidem subselliis commendãda sunt, sed tamen non negligenda. Nihil enim minimum videri debet, quod ad Remp. spectat, inquit Bodin. d. l. Et Ant. Gueuara lib. 3. Horolog. Princip. c. 58. Sæpè negligentiâ domini tegulas imbricesque non reficiẽtis, tota domus corrũpitur. Et vero neglectæ res minimæ, quibus facilè occurri poterat, cũ vires sumunt, incredibiles minas edunt, vt saxum, quod è sublimi cacumine montis deuoluitur, antequã cadat, facilè retinetur, at postquã est manumissum, præceps ruit, & omnia quæque deiicit ac euertit, nec amplius sisti potest. Ribad. lib. 2. c. 31. Eiusmodi ergo negotia, quæ parua vidẽtur, & tamen neglecta, Reipub. detrimento esse possunt, non iudicanda sunt parua, & idcirco etiã vocanda in consilium, sed inferius. Per minus autẽ grauia negotia non intelligendæ sunt res leues & aniles ac nugaces; has enim qui ad consultandũ proponunt, similes sunt Appioni, qui Homerum ab inferis

feris reuocatum, nihil aliud interrogauit, quàm quibus parẽtibus natus esset. Vide Hippol. à Collibus, & Bodin. d. l. Donum Regiũ lib. 2. pag. 126. & Nicolaum Gandauensem de Rep. lib. 1. pag. 20. Porro quot & quam varia cõciliorum genera in principatu esse debeant, id cum ex principatuum amplitudine, ex specialibus circumstantiis locorum & temporum pendeat: idcirco in generali Politica nõ ita distinctè tradi potest, sed ad specialem cuiusque principatus Politicam referendum est. De ea autem controuersia: *An concilia sacra & Ecclesiastica à Politicis distincta esse debeant?* Et, *vtrum personæ Ecclesiasticæ ad consilia & concilia Politica admittendæ sint?* videri possit Bodin. l. 3. de Rep. c. 1. & c. 8. Tolos. lib. 10. c. 3. & l. 24. c. 6. Patrit. lib. 3. de Repub. c. 4. Lipsius in notis ad c. 5. lib. 3. Polit. & Casus lib. 4. Sphæræ Ciuitat. c. 5.

3 *Maturè instituendam esse consultationem, & præparationem decentem faciendam purgatis affectibus: habendam quoque rationem temporis & loci, quo sit concilium habendum.*

Inprimis videndum Principi, vt maturè consultationem instituat: Commune .n. est omnium hominum vitium, quòd tempestates, dum tranquillitas adest, parui ducant, inquit Machiauellus lib. de Principe, c. 24. & lib. de Repub. 1. c. 38. Inconsultarum Rerumpub. natura est, vt nonnisi ad ea quæ præsens necessitas vrget, oculos intentos habeant, & necessitate magis quam prudentia impellantur ad deliberandum. Idcirco etiam consilia pleraque optima illis videntur, vt inquit Tacitus 1. Hist. quorum tempus effugit. Seneca

in Epist. præclare inquit: *Gladiatorũ est non Principum, in arena consilium capere.* Et alibi: *Magna sunt momenta temporum, & multum interest ante illud, an post decernatur, suscipiatur, agatur.* Equidem dũ nauis est salua, promptè cõsulere & prouidere oportet, ne euertatur; postquam fluctus exuperat, inane studiũ, nõ tantũ propter id, quod is qui in negotio consilium capere cogitur, vehementer timeat, verum etiam quod talem omnia deficere videantur, vt inquit Cæsar lib.5. Comm. de bello Gallico. At contra impossibile esse, ait Gueuara in Horol. Princ. lib.2.47. infeliciter succedere quæ maturo administrantur consilio, nec fieri poterit vt vnquã stulta committat Princeps nec pœnitenda, nec etiam quæ offensura sint, si negotium quod aggredi velit, matura & exquisita mentis inspectione expendat: sicut prudenter disputat Bernardus Gualandus Florentinus de optimo Principe. Et hæc quidẽ est cura velut propria Principis: Consiliariis verò hoc inprimis cauendum, ne ad consultationem afferant animos ira, odio, inuidia, affectuum æstibus cõturbatos. Etenim consultatio sacrũ quiddam est, & eorum quæ sunt inter homines, diuinissimum est concilium, inquit Aristoteles. Idcirco ad ea quæ proponuntur in concilio disquirenda, sanctè quasi accedere debent ii qui consultant. Nemo mortalium vnquã potuit rectè ratiocinari iratus. Quis inuidus, arrogans, dissidiorum & contentionis amicus, cultor denique simultatum & odii recte consulere vel acutas cogitationes dextrè voluere potuit? Fridericus Imperator prudentissime dicere solitus est, referente Middendorp. quæst.52.

Optimè

Optimè rempub.administrari si consiliarii atque "
Senatores ante curiam odium, inuidiam, simula- "
tionem, dissimulationemque deponerent, atque "
ita eorum omnium quę aut inter se, aut cum aliis "
habent, quasi obliti, vt nihil aliud quam bonū pu-
blicum, & id quod propositum est ad deliberan-
dum cogitent, & perpendant in summa quadam
morū grauitate, & animorū coniunctione. Nam
quæ est illa nauigatio, in qua remiges & nautæ in
vna naui aliqua digladiantur; eadem erit consul-
tatio, in qua de communi re absq; communione
animorum consultatur; monet Lips. in Not. ad
c. 6. lib. 3. Pol. Hinc Aristides cum Themistocle
sibi inimicissimo in legationē missus, cū ad por-
tam venisset: *Vis ne, ô Themistocle*, inquit, *inimi-
citias paulisper hic deponamus, recepturi eas cū redi-
bimus*? Vox eo viro digna, non absimilis monito
Salust. in Catil. *Omnes*, inquit, *eos qui sunt à consi-
liis, decet esse vacuos non ab ira tantum & odio, sed
etiā ab amore & misericordia, ne quid ad prouiden-
dum verum officiat*. Præclara monita de affectibus
Consiliariorū sunt apud Lipsium loco paulo an-
te cit. Et apud Andream Fricc. in lib. 1. de emend.
Reip. cap. 11. Cæterū id quoque pertinet ad præ-
parationem consultationis, vt Princeps à consi-
liis iubeat abesse eos, quorum peculiariter inter-
est. Nemo enim in propria causa rectè iudicat &
sentit. Lenec. obseru. 222. Vnde Athenienses, te-
ste Aristotele, ad consilia bellica non admiserunt
eos, qui agros limitaneos cum hostibus haberēt.
Iam vero quod ad tempus & locum concilii ha-
bendi attinet, certū est, in solennioribus & statis
consultationibus tēpus matutinū præferendum,

& locum à strepitu semotum ac talem, qui ita secretus ac abditus sit, ne curiosus aliquis consultator obseruare possit quid tractetur. At verò in repentinis cõsiliis, inquit Gueuara d.l. neutrum est magnopere attendendũ, siue enim in campo, siue in media luce ac nocte occurrat id, quod perpendendum & decidendum est, non est expectanda hora matutina; non itẽ quærendus locus ad consultãdum opportunus. Tum non debet consiliarius Principi respondere: *De mane consilium.* Sub mano tunc nascatur consilium oportet, vt Seneca loquitur.

6 *Quo processu instituenda consultatio, & quæ eius partes?*

Conuocatio consiliariorum & loci, temporis indictio primum est, quod consultationẽ anteire debet. Alterũ, vt maturè ipsis significentur capita futuræ deliberationis, deturq; singulis spatiũ ad disquirendũ, nẽpe ne de grauissimis reb. temerè & incogitatè dicant, inquit Bodin. lib. 3. c. 1. Sed ista pendent ex circumstantiis, prout cõsilia sunt vel magis tarda, vel festinata, quæ non tam capienda, quàm rapienda fuerint. Certũ est, magnam esse vtilitatem probuleumatum siue cõsultationum præparatoriarum, & quandam quasi votorum velitatiunculam ante ipsam seriam consultationem. Partes autem internæ consultationis quinque sunt; *Propositio, Rogatio, Dictio, Examen votorum* & *Conclusio*. E quibus quatuor istæ, nẽpe *Propositio, Rogatio, Examẽ* & *Cõclusio* ipsius principis sunt, aut eius, qui principis loco. Quinta pars cõsiliariis relicta est; nẽpe *Dictio*, siue vota & sentẽtiæ. Quas quidẽ ordine quo velit colligere

princeps,

princeps, eius prudentiæ & diſcretioni relinquitur. Non abs re fuerit, ſi ordinem certum ætatis ac dignitatis ſeruet, ita tamen, ne ſe ad iſtum ordinem adſtringat: Interdũ etiam inuerſo vtatur. Nimirum in arduis negotiis, quæ ſubitam poſtulant expeditionem calidiora illa, de quibus ſupra diximus, præmittat ingenia: poſtponat aũt illa ad melancholiam prona. Nam vt illa repente inuenire, ita hæc inuenta eorum expendere & diiudicare poterunt. Quin & iſta expenſione nouæ inuentionis, excitare ſe ſolent ad nouum & melius quid inueniendum, quam quod ab aliis fuit prolatum. Lencc. obſ. 237. Damus hic, inquit, ſalutare principi cõſilium, vt ſemper ab infimo quoq;, & cuius inualida adhuc ſit autoritas, initium faciat de re propoſita cenſendi, ne ſi id à quopiã præſtantiori fiat, aliorum mẽtes aut præſumpta prudentię opinione perſtringãtur, & metu vel offenſionis, vel alienioris cõſilii, occultare potius ſententiam animi ſui, quàm non adſtipulari ſpectatiorib. velint. Idem ait Dio lib. 39. Pręoccupabũtur inferiores, ac quaſi terrore abſtrahentur, ne ſententiam ſuam liberius proferant, ſi autoritate & potẽtia ſuperiores votum ante eos dixerint; idq; propterea, quod eis contradicere non audeant. Hinc Iul. Cęſ. vt gratia Pompeii aliorum ſentẽtias præuerteret poſt nouã cum ipſo initam affinitatẽ in conſiliis, eum primo loco rogare conſueuerit, vt refert Suet. in Cæſ. Prima enim ſæpe magis delectant, quàm poſteriora, quantumuis Princeps qui ſapit in diiudicandis ſententiis nõ quid prius, ſed quid prudẽtius dictum ſit, aduertere debeat. Vide Arniſſeum in Pol. c. 15. Et Lipſ. in Notis ad

cap.8.lib.3.Polit. Cæterum *Dictio* illa non necessario semper voce & coram fit, sicut prudentissimè suadet Mæcenas Augusto apud Dionem
» libro 52. In causis, inquit, grauioribus, sententias
» non palam rogabis, ne amicis suis fauentes parum
» liberè, quod sentiunt, pronuncient; sed in
» tabellis ad te solum, ne cui alii innotescant, per-
» ferri iube, & lectas etiam statim deleri. Scribenda itaque vota, tum si Principi videatur ea exactius considerare, tum si quis morbus, aut alia necessitas consiliarium domi teneat; tum denique, si Consiliarius absit ab aula Principis. Sicut quidem in amplis principatibus, magnisque imperiis prudenter id obseruatur, vt Princeps habeat duplices Consiliarios, quosdam perpetuo præsentes ad aulam, & magis ordinarios; nonnullos etiam qui alibi viuant, imò qui sub alio Principe interdum viuant. & qui non titulum nudum habent Consiliariorum, quod hoc seculo etiam inualuit, sed qui in certis subinde casibus, iisq; grauissimis consulantur, & vel aduocentur ad aulam, si res postulat, vel iubeantur scripto votum suum mittere. Germani vocant, Rhäte von hause auß.

5 *An Princeps omnibus consultationibus interesse debeat?*

Solent interdum occurrere eiusmodi negotia, inquit Lipsi. in Not. ad cap. 8. lib. 3. Pol. de quib. iudicium ac sententiam à Consiliariis explorari per interpositam personam aut scriptas tabellas valde profuerit; tum quia accuratior detur sentẽtia, & certe liberius sine alterius gratia aut offensa: deinde

ſa:deinde nonnunquam eiuſmodi cauſæ veniũt, quæ in conſpectu principis minus liberè ponderantur. De Turcarum Imperatoribus narrat idē Lipſius d.l. quod in proximo Senatus habendi loco occultè, cum volunt, conſiſtant, atq; illinc per cancellos ſiue velo oppoſito omnium ſententias audiunt, vt tamen adeſſe eum etiam, cum non adſit, fas ſit ſuſpicari & contra. Id autem, inquit, mihi non diſplicet; nam & libertatem in ſententiis dare videtur, cum non coram ille emineat, & intentionem addere, cum ſemper poſſit auſcultare & adeſſe. Quod conſilium etſi prudens eſſe videatur; non tamen ſemper & per omnia laudem. Quomodo enim ponderabit rem, ſi non ipſe votis interſit? Equidem maiori cum diligentia, & fide & autoritate peraguntur omnia, ſi ipſe aderit, loquetur, & auſcultabit. Deinde factiones & rixæ, ſi quæ ibi fieri ſoleant, pręſentia eius auferentur, inquit Tholoſ. lib. 24. cap. 3. num. 2. In arduis verò & periculoſis negotiis, ait ex Toloſano Althuſius, cap. 22. Boni Conſiliarii integritatis & fidei ſpecimen oſtendere conabuntur: Mali propter præſentiam eius minus audebunt. Recte ergo Iacobus Rex M. Britan. Henricum filium in Dono Regio monet, pag. 126. *A conſiliis ſecretioribus rarius abſis.* Vide Syſtema Pol. Keckerman. lib. 1. c. 7.

6 Quale examen votorum eſſe debeat; & qualiter de Conſiliariis, eorumq; conſiliis iudicare Princeps debeat?

Examen votorum tacitum eſſe debet & occultũ, ex quo non poſſit agnoſci, quid principi placeat aut diſpliceat. Etenim ſi dicto, aut facto, aut etiam aliquo ſigno aperiet, vtram ſententiam appro-

bauerit,alios pudefaciet &deterrebit,ne posthæc sint in dandis consiliis liberi. Deinde, vt Tacit. inquit 4. Ann. *Multis aßentiendi necessitatem faciet; imò omnibus.* Difficile enim est, & rarum, vt inquit Lips. in Not. ad c.8. lib.3. Pol. vt non aut eô sentẽtias dirigant, quô principes ire censent, aut in gratiam eorũ flectant, qui ipsi in flagranti gratia sint regentis. Tiberius Cæsar, vt refert Iosephus lib.7. Antiquit. dicere solitus est; *animum principis nemini cognitum esse debere, ipsum a. oportere omniũ sententias & consilia scire & percallere;* quod in priori periculum ingens, in posteriore summam vtilitatem consistere putaret; pauci enim tam confirmato animo reperientur, vt cognita sententia & voluntate principis contra eam disserere aut consulere ausint. Lenccius obseru. 221. Porrò de eo, quomodo princeps agnoscere debeat, an rectum consilium datum sit nec ne, has regulas siue normas tradunt Politici. I. *Si ad finem & scopum honestum & Reip. salutarem sit directũ.* II. *Si ad talem scopum media legitima nempe honesta ordinentur.* III. *Si talia media suadeant, quæ nõ sint cum discrimine & periculo Reipub. coniuncta.* Semper etiam Principi ante oculos sint duæ istæ aureæ imò gemmeę regulæ, quarum prior est: In deliberatione tua & in omnibus sententiis adesse hæc duo oportet: *Posse illud fieri, atq; vtile esse.* Hæc.n. duo nisi adsint, infirmum consilium esse & temerarium deprehenditur, & quasi ante oculos illius vitium cernitur. Lencc. obs. 290. Altera Regula est, quam si recte memini, Augustus in ore & corde habuit: *In omni deliberatione quæ de Rep. instituitur, spectandum est, vnde maiora aut mino-*

minora absurda consequi possint; idque consilium pro optimo deligendum est, ex quo pauciora mala consequi queant; vix enim tale inuenies quod omni malo careat: Hinc & alia regula fluit, vt cōsilia cauta ordinariè præferantur calidis & festinatis. Nunquam.n. futuris rebus velut iam factis confidendum est, neq; spes in iis collocanda quæ aliter euenire possunt, sed semper partem aliquā q̄ præter spem accidere possunt in reb. omnib. reseruare debemus, monet sapienter Dio, in Pomp. *Periculis compertum est, consilia calida & audacia prima specie læta, tractatu dura, euentu tristia*. Liu. lib. 35. Vide Syst. Pol Keckerm. l. 1. c 7. Et Althus. c. 22. Exemplū miræ eiusmodi dexteritatis Lauterbach. in Princ. Christ. c. 6. proponit in Carolo V. Imper. quem pleriq; nostri æui politici laudāt, ꝙ celeriter potuerit & apprehēdere & diiudicare optima consilia. Cæterum ista etiam regula Sapientiæ & æquitatis plena cōmendatissima sit Principi: *Qui consilium dat, præstare fidem, non euentū debet*: Ita.n. hodie res sunt vt non hominum, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex euentu magis quam ex vera rerum veritate & probitate probentur. Verum præpostere omninò ac imprudenter. Siquidem sæpe praua consilia vbi secundam fortunæ auram nacta sunt, felices exitus habent; Contrà, optimè cogitata sæpe pessimè cadunt, & ea quæ destinata sunt salubriter, à fortuna omni ratione potentiori discutiuntur, inquit Curt. lib. 3. Sed vt quisq; fortuna vtitur, ita præcellit, atq; exinde sapere eū omnes dicimus. Et principes inprimis ita sunt affecti, vt secunda quæq; felicitati suę tribuant; aduersa consiliis eo-

rum quos reb. gerendis adhibent; Patric. lib. 11. de Instit. Regis, tit. 8. Machiauel. lib. 3. de Repub. 35. Princeps si male consilium cedit, non alium accusat quam consiliarium; quod si verò partem regni aut prouinciarum aliquam consiliis eius insistendo amittat, temperare sibi haud potest à nece aut pernitie suasoris: quod exemplo Selymi Turcarum Imperatoris ibidem probat. Sed vtinam in aliis quoq; imperiis exempla nulla essent: Vtinam cogitarent alii quoq; principes, sæpe optime cogitata pessime cadere. Sane defuturi sūt qui suadeant, si male suasisse periculum est. Curt.
„ lib. 8. Quod si punire aut metu eos terrere prin-
„ ceps incipiat, quorum consilia semel & iterū ce-
„ ciderunt, quis est qui consilium dare, quis in cō-
„ silium venire, imo quis cōsiliarii munus suscipere audebit? Machiauellus lib. 1. de Rep. c. 13. prudenter commendat Romanorum consuetudinē, qui non puniuerunt eos qui in reb. gerendis capiendisque consiliis errauerint, ne tum quidem, quando eorum consilia mala, reip. malum peperissent. Quia, inquit, existimarunt eos qui fortunæ aduersitate rē minus feliciter gessissent, ipsius rei dedecore atq; pudore iam satis esse punitos, nec aliis pœnis esse deterrendos. Sapienter De-
„ mosth. Ex. 26. Consultores vestros vt impostores,
„ si quid aliter accidit accusatis, neq; consideratis
„ q̄rere & rationib. colligere optima quantū homo
„ potest valetq; id nostrum esse; effici aūt ista & suc-
„ cedere feliciter, id plurimū in fortuna situ ē est. Itaq; vir prudens, inquit Lips. in Not. ad c. 8. lib. 3. Pol. non eo sibi displicet, si in mente & ratiocinio recto minꝰ rectꝰ successꝰ. Imo cū Phocione sētiet

ac di-

ac diceret; qui cum aliquādo suasisset nec obtinuisset, & contraria etiam sententia feliciter Atheniensibus cessisset; rogatus *ecquid pœniteret? Minime* respondit: *Nam mea meliora, etsi hæc feliciora.* Cui adsonat hoc Artabani apud Herodotum lib. 7. *Suadeo tibi rex*, inquit, *bene deliberare in quo maximum est lucrum.* Nam etsi aliter accidat, nihilominus tamen bene consultū est, & superauit fortuna cōsilium: qui verò male consilium cepit, si fortuna ei arrisit, ille est quidem voti compos, sed nihilo secius male consultū est. Porro id quoque Politici suadent, *non tantum ne pœnis afficiant principes, quorum consilium male cessit, verum etiā ne præmia dent quib. bene.* Primò ne quis spe adipiscendi aliquid à vero deflectat, & ad gratiam loquatur, vt monet Thucyd. lib. 3. Deinde, quia cū semel atq; iterum placuisse se vident & præmium retulisse, extra limites facile abeunt, & principi se dant muneranti. Deniq;, quia sibi placent & superbiam induunt. Suadet tamen in contrarium sensum Dio lib. 52. Augusto imperatori inquiēs: Eos qui rectam sententiam probamq; dicent, & lauda & honora, illorum enim ex inuentis bene audies: qui verò aliter, neq; ignominia affice neq; accusa. Mentem enim illorum considerare oportet, non autem aberrationem castigare. Sed Lips. rectè id conciliat supra d. c. Nempe quod communiter consiliarium prudentem honorare & præmiari fas sit & ius, at non ob singula suasa & consulta. Idem statuit Machiauel. lib. de principe, c. 23. & Althusius cap. 22. Iam porrò de consiliariorum examine ac probatione id etiam quæri solet: *An princeps in penitius cognoscendis consi-*

liariis suis uti debeat exploratore. Sane periculosũ genus hominum sunt delatores, vt latè probat Tolosan. in Syntagm. Iuris, lib. 31. c. 4. & Hippol. à Collib. plane non vult, vt princeps per delatores exploret fidem consiliariorũ, quia vt inquit Tacitus lib. 3. Annal. Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquã satis coërcitum. Fur. c. 4. p. 70. Pro certo, inquit, statuat princeps eiusmodi delationes siue bonæ siue malæ, à studio proprii commodi proficisci. Quod licet clare coniiciatur, tamen ei prætextus officii haud dubiè obducitur atque prætenditur. Ac reuera pilularum auro illitarum instar sunt, q̃ amaritudinem quam in se continent, minimè cõmonstrant, sed in interiore sui parte occultant. Nunquam prudentiæ datum est, id credere quod experientia comprobari potest. Quare princeps in hoc D. Thomam imitetur, nec plus credat quã oculis viderit & manib. contrectarit: Nec principem dicere volo; *talis Pontifex, Marchio, Eques vel Sacerdos hoc mihi significauit*: quia omnes homines sumus, qui & alios decipere, & ab ipsis decipi solemus. Hæc Furius: & Lauterb. c. 14. Susurronib. quorum linguas Dauid nouaculæ, sagittis & acutissimo gladio cõparat, temere non est credendum. De delatorib. & delationib. multa egregia habet Antimach. lib. 1. pag. 107. & seqq. Tolos. lib. 24. c. 8. num. 3. Iacobus rex Britan. in dono R. lib. 2. p. 134. Interim tamen si quid etiam per tales homines princeps cognoscat quod ad salutẽ suã pertinet, ne negligat; sed eũ qui defert, accurate examinet, & non credat quidem homini isti, sed rem tamen & singulas circumstantias exacte põderet pro sua & reip. securitate.

7 *An*

7 *An consiliarius non vocatus in concilium venire debeat; &, vtrum non requisitus consilium principi afferre possit; Atq; adeò an in concilium venire debeat, cum scit aliquid tractatum iri cui salua conscientia nequeat assentiri?*

Notum est illud Ciceronis 1. Offic. *Ad consilium ne accesseris nisi vocatus.* Curiosus enim esse videtur qui sese ingerit in consilium nō rogatus, & prudentiam suam anteferre prudentię Principis & cæterorum consiliariorum qui non requisitus afferre vult aut conatur, extraordinarium quid à consiliariis cæteris, nec ab ipso Principe animaduersum. Medicus certè non vocatus, ægrū non accedit. Machiau. lib. de Principe c. 23. suadet principi suo, vt omnium animos à dādis consiliis se non rogitante, prorsus auertat: Sed non concilio facile Machiauellum Machiau. eod. cap. sic dicēti: Princeps si quempiam nouerit inter consiliarios, qui aliquo ad se respectu veritatē reticeat, ea de re maximè succenseat. Consilium autē non dare Principi ignotum, sed valde vtile, propterea quod consilium afferre neminem iussit nisi rogatum, an hoc non est veritatem eius respectu reticere? Quis dominus vnquam iratus est famulo, qui eum non rogatus ab occulto damno præmonuit? Enimuero, inquit Antim. l. 1. p. 89. Is qui cōiurationis aduersus Principem initæ consilia senserit, ea occulta habere non debet. Nam ea nisi patefecerit, legib. reus Maiest. tenetur. Ergo quos in familiaris amicitiæ iura Princeps extulit, quos arcanis sermonibus & consiliis adhibet, qui Principis sui ministerio præter cæteros subditos fidē

obstrictam habent, nonne hostes & proditores iudicandi sunt, si ea reticent & premunt, quæ ad ipsius propriè curam & prouidentiam pertinent? Quippe non alius adulator exitiosior est quàm is, qui quanquam res Principis sui in deterius labi videat, tamen sentiens prudensq; dissimulat. Idcirco, inquit Antimach. dicto loco, prudens & fidelis Consiliarius aperit Principi, quæcunq; vel à magistratibus in Remp. vel à priuatis peccãtur, vt admonitus iis maturè prospiciat. Expectare enim donec Princeps de iis quæ nescit, nec scire nisi à te potest, sermonem iniiciat, vanũ est. Quî vero potest, multis ac variis curis distentus scire omnia? Tantum scit & curat, quantum iis videtur, quorum in potestate sunt aditus Principis. Quod si libertas ista adimatur consiliariis, idq; prohibeatur, ne quisquam vllum consilium det, nisi Principe rogitante: inscio Principe, vt Diocletianus de seipso dicere solitus erat: *Bonus, cautus, optimus venditur Princeps.* Poterit igitur consiliarius in rebus magni momenti postulante necessitate etiam nõ rogatus de quibusdam monere: Vterq;.n. reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, inquit Augustinus. Imitabitur hac in parte consiliarius Capitolinum, qui gratiora dictu alia nouerat, sed maluit vera pro gratis loqui. Liu. lib. 3. Sed quia non omnes Principes ita sunt affecti vt Hiero, qui, teste Plutar. in apophthegmatibus, dicere solitus est; *Neminem sibi importunum esse, qui liberè loqueretur*: aut vt Theodosius, *qui facilius ferebat arguentem, quàm adulantem*, teste Ambrosio: Ideo adhibendæ cautelæ, & res prius omnis, & ex omni parte dispicienda;

enda; considerandæ quoq; omnes circumstantię; an tempus, locus, rerum status permittat: an res opportunius differatur. Nam vt Principē admonitio opportuna flectit, ita acerba & importuna exasperat, inquit Antim. lib. 1. theor. 2. *Mollienda p̄cipuè orationis aliquo colore asperitas*, inquit Hip. à Collib. qui idem prudentes alias cautiones subiicit. Consiliarius, inquit, prius rem omnem pro- ‟ ponendam diligentissime examinabit, ne falla- ‟ tur, quod ridiculum esset: Deinde etiam omnes ‟ circumstantias, an antea simili de causa cū Principe locutus sit, an tempus, locus & rerum status id requirant, an res opportunius differri possit, an per alium id commodius fieri posse existimet, an alii tale quid tentarint, & quo successu. Porro, ait idem Hippol. à Collib. Curiositas non est, sed vigilantia, si quis debita moderatione ea inuestiget & proponat, quę sui officii sunt: Et quamuis Princeps à Consiliario consilium non petat, petit tamen & flagitat Resp. quæ necessitate vrgetur, & eo ipso satis interpellat, subsidiumq; principis loco postulat. Medicus verò qua sit conscientia, si de ægroto tali resciscat, à quo ipse & multi alii sua commoda habēt, eum tamen cum possit iuuare, non vult accedere ob hoc solum, quod non sit inuitatus: Inuitat eum consciētia, ac inuitare debet bonum id quod à tali proficiscitur, si sit firma valetudine. Id ꝙ obseruatū est à Senatu Romano, in quo singulis erat cōcessum postulare tempus, cū aliquid de rep. eximiū & singulare dicere voluissent. Tacit. l. 13. Annal. *Licebat*, inquit, *patrib. quoties ius dicendæ sententiæ accepissent, quæ vellent expromere, relationemq; in ea postulare*. Senatoribus Romanis nonnunquam licebat priusquā ordine

ſententiæ rogarentur, poſtulare vt extra ordinem de Rep. dicerent, inquit Alexand. ab Alexan. lib. 4. cap. 11. Atq; huic quidem quam diſceptauimus controuerſiæ cognata etiam illa eſt: *An conſiliarius in concilium, aut Senatum venire debeat, quādo nouit eiusmodi conſilia tractatum iri, quibus ſalua conſcientia nequeat aſſentiri.* Reſpondet Hipp. à Collib. fol. 141. ex præcedentis quæſt. deciſione: Quod ſi, inquit, Conſiliarius non rogatus publici boni ergo conſilium dare Principi tenetur, quanto minus ſaluâ fide occaſionē effugere poterit, ne rogetur? Boni Senatoris eſt, ſemper in Senatū venire, inquit Cic. pro Domo. Cōſiliarius officium & vocationem ſuā pro regula habebit, Et quia ad id vocatus eſt, vt ad conſultationes veniat, non quæret effugia aut diuerticula. Non eſt militis nomine dignus, qui ob euidens periculū certamen detrectat & fugit, inquit Hipp. à Coll. Et Antimach. in præfat. Conſiliarii virtus maximè cernitur reb. in arduis. Priſcus ille Heluidius exemplo ſit, quem ſupra produximus Veſpaſiano Imperatori maſculè reſpondentem: *In Senatum veniam, quam diu Senator ero.* Sane ſi improbi illi ſunt, qui ſuſpenſi, & quô ducantur inclinaturâ reſpondent, vt ex Tacito 11. Annal. Lipſius grauiter monet 3. Polit. cap. 5. vtiq; vehementer culpādi illi, qui in Senatum plane non veniunt. Nec conſcientia hîc prætendi poteſt: ſi quid enim cōtra pietatem, contra honeſtatem proponatur, id fidelis conſiliarius allatis argumentis refellat; ſin verò etiam concluditur, moneat nihilominus Principem, & pro Repub. proteſtetur. Verus amor patriæ vigilans atq; ſollicitus eſt, nunquam

quieſcit,

quiescit, omnium curarum cura afficitur, omnia quæ necessaria sunt prouidet, considerat & suscipit, inquit Ceriolanus cap. 2. Non debet esse maior metus principis in iusta causa, quam amor patriæ. Odium verò collegarum suorum itidem nō pertimescet verus fidusq; consiliarius. Non sufficit, sapientia & fide præditum esse consiliarium Principis, nisi etiam animo præditus sit, nec in consulendo vllius offensionem pertimescat, inquit Middendorpius ad quæst. 82.

8 *Quomodo caueri & prouideri possit, vt ea, quæ in concilio Principis conclusa sunt, maneant secreta.*

Nimirum sola Principis & Consiliariorum taciturnitate: sed maxime Principis cuius in consultando virtus summa esse debet, vt sententiam suā celet, & quod apud se, aliorum votis auditis & ponderatis, cōclusit. Quod tacere alios vis, prius ipse tace. Relinquitur enim Principi libera diiudicatio in omni deliberatione, cum sit pars Maiestatis, summa quæq; concludere, & autoritate sua exequi. Mar. l. 3. c. 15. Vnde Thol. lib. 24. c. 8. n. 1. tale præceptum exstruit: Conclusionem sibi relinquet Princeps, eamq; vel insciis omnibus, vel paucis consiliariis consciis exequatur, vt tanto occultior retineri possit. Alludēs ad illud Veget. lib 3. *Fieri quod debeat, cum multis tracta, quid facturus sis, cum paucissimis, vel tecum.* Et sane princeps absolutus debet quidem cōsulere plures prudentes & idoneos, si rectè imperare velit, vt, quid sibi & Reipub. magis expediat, intelligat; verum si aliquid iustius sibi videatur, non tenetur sequi eorum consilium (aliud enim est consi-

derare; aliud statuere) multo minus illis indicare quid facturus sit, & quam sententiam elegerit. Vide Tolos. d.l. & Lips. in Notis ad cap. 8. libri 3. Polit.

9 *Comitia siue solennis consultatio, & generalis cõuentus omnium in regno ordinum quare sit necessarius.*

Consultatio est vel minus solennis; vel solennior & vniuersalior. Ad quam non tantum ii cõsiliarii, qui ordinariè cũ principe sunt, sed omnes principatus amplioris ordines conuocãtur. Hæc concilia veteri Romanâ appellatione vocantur quasi *conitia*, quod omnes ordines Reip. conueniant & confluant, conuocati nempe à Principe, aut si princeps cũ sua stirpe decessit, summo post regem magistratu antiquis Gallis, teste Com. l. 5. c. 18. dicta sunt *Parlamentum*, quod nomen à Gallis acceptum retinent adhuc Angli. Hodie ẽt Galli vocant *comitia* status regni vel regnicolarum, Tol. l. 24. c. 5. n. 1. Hispani vt habet Bodin. lib. 3. c. 7. *Curiam* vocant. Sunt ergo comitia nihil aliud q̃ solenne & rarius concilium quod statis tantum temporib. instituitur, vocatis in consultationem præcipuis regni statibus, aliquãdo ẽt omnib. Fitque adeo in comitiis quasi repræsentatio quædã totius regni, vnde etiam *compendiũ & epitome regni* dicuntur. Qualẽ quidem repræsentationẽ & cõuentum totius regni siue comitia, regnis summè esse necessaria, multis rationib. euincũt Politici; & inter hos Gentilet. autor Antimach. lib. 1. theor. & Tol. lib. 24. c. 5. n. 1. Impossibile. n. est vt successores regum semper & omnes esse possint apti ad diadema, nec tamen propterea aut regno spolian-

spoliandi sunt, aut ita relinquendi vt reuera sunt. Per comitiorum autoritatem potius constituẽdi gubernatores siue rectores regni: Nimirũ si contingeret regum successores aut minorennes esse, aut mentis non satis compotes, aut deniq; fortunæ aduersitate in captiuitatem detrusos. Sic anno 1380. post mortem Caroli regis dicti Sapientis, conuocati sunt in Gallia status generales Lutetiã, vt prospiceretur personæ Caroli VI. regis per interualla amentis. Post mortem quoq; Ludouici IX. vt relicto filio Carolo VIII. in minore ætate constituerentur curatores, cõgregati erant ordines Turonibus. Et iterum Lutetiæ Anno 1484. cũ Iohannes Rex in prœlio captus fuerat ab Anglis: vt Comineus lib. 5. Frossardus lib. 2. c. 58. & alii historici Galli testantur. Alteram quoque causam, cur comitia sint necessaria in regnis etiam absolutis, ponunt Politici; Vt insolentiores in officio contineantur metu potentiæ comitiorum, in quibus libere audiuntur omnium membrorum reipub. postulata, atque adeo communi suffragio puniantur ii, qui vel potestate regia sibi concessa abutuntur, vel superbia atque insolentia inferiores opprimunt. Equidem si nunquam conspicerentur ac quasi reformarentur vniuersę reip. mores & vitia, crebræ mutationes, tumultus inter subditos, & seditiones tandem orirẽtur. Tol. l. 13. n. 13. Vbi paulò ante hoc prudenter addiderat: Iuuari Principem in præcauenda proditione & rebellione cũ eam aliquo modo subolfecerit, si cõitia q̃ vocant *status*, haberi & cogi mãdauerit & si illis adfuerit. Intelliget nãq; quid noui quisq; in prouinciis moliatur & de his quos habet suspectos,

,, clam & inquisitione factâ apertius per se cogno-
,, scet. Intelliget politiam sui regni; cognoscet re-
,, ctius grauamina subditorum, eorumq; vel fideli-
,, tatem, vel aballenationẽ à se, causam & auctores,
,, & ita medebitur singulis, & institutas coniuratio-
,, nes præuidebit & præcauebit. Iam verò tributa
,, quod attinet, annõ ea facilius obtinebit princeps
in comitiis? Et rectè Antimach. d. l. In generaliori
conuentu rogati ciues, modò petitio aliquam ha-
beat speciem æqui & boni, plus conferre solent
quam principes ipsi postulant. Tol. lib. 24 c. 8. nũ.
2. Alii principes vt cognoscerent quid in regno
fieret, peregrinationes & crebras circumitiones
instituebant. Sed indignũ est, vt princeps omnes
regni sui angulos circumuagans inspiciat omnes
defectus cuiusque ordinis, & valdè molestum est
subditis, si rex eos visitet magno, vt fieri solet, co-
mitatu. Melius ergo est, inquit, vt Principem cõ-
sidentẽ in certo loco subditi in negotiis suis con-
ueniant, quam vagantem consequantur; atq; ad-
eò longe dignius, si illi ad eum conueniant & de
omnibus grauaminibus suis instruant, quã vt il-
le singulos accedere aut rogare debeat: Sed præ-
ter hæc omnia sanciendæ sunt regib. nouæ quæ-
dam leges & grauissimæ constitutiones, in quib.
condendis nisi totius regni voluntatem & consi-
lia cognoscat princeps, prudens dicendus nõ est.
Quod enim tangit omnes, æquũ est vt ab omnib.
,, peragatur & approbetur. Althus. c. 22. Hinc The-
,, odosius Imperator sanxit, ne vlla noua lex pro-
,, mulgaretur nisi ab omnib. antea tam proceribus
,, Cæsarei palatii, quam à Patrib. conscriptis tracta-
,, ta esset, & cũ vniuersorũ consensu tũ imperatoria
autorita-

autoritate confirmata. *L.humanum. C.de Legib.* Iacobus Rex in Dono Regio lib.2. pag. 59. Comitia propterea vocari vult supremam regis Curiam, summumque tribunal & iuris dicendi locum; quia, inquit, instituuntur propter sanctionem vniuersalium legum, & grauissimorum delictorum executionẽ siue pœnam. Idcirco paulò inferius seuere monet filium, inquiens: *Comitia nisi nouarum legum ferendarum causa neutiquam tibi indicenda censeo.* Non quod reges absoluti vel leges cõdere, vel tributa exigere, vel insolentes punire, atq; adeo rempub. corrigere non possint, nisi necessariò & tantũ in Comitiis: sed propterea, quia in iis omnia ista facilius obtinebunt, & quia imperatores & reges his publicis cõuentibus & comitiorum cõsiliis vsi optimè sibi commissos populos rexerint: ait Tolos. lib.13. cap.12. num.13. idemque multis exemplis confirmat Antimachiauellus quoq; d.l. & Bodin.3. de Rep.c.7.

10 *Comitia & qualiter possint caueri, ne comitia imminuant absoluti principis potestatem?*

Magnam sibi in comitiis vsurpat populus autoritatem, inquit Althus. cap.22. Nimirum, quia confirmatur quasi & datur eis libertas cõsultandi de Reip. periculis, correctione aut ab hostibus liberatione. De quibus, vt illi opinantur, nihil statuere nihilque concludere audet princeps, nisi illis rogatis & in consiliũ admissis. Sed in absolutis Regnis & meris Monarchiis ista opinio nõ valet. Absolutus enim princeps etiã absq; comitiis & consensu populi potest bellum indicere, pacem inire, leges & statuta condere, tributa im-

ponere, & reliqua regni negotia solus peragere. Quod vero nonnunquam populum conuocat, eiusque consilia & auxilia petit, facit id propterea, inquit Antimachiauel. lib. II. th. I. p. 59. vt eum in obsequio liberali non extorto contineat, eiq; affectum paternum in cõspectu quasi totius Reipub. significet. Vnde Tolos. lib. 24. c. 7. num. I. ita
» loquitur: Princeps licet nõ sit alligatus ad vllum
» consiliũ (nemo .n. est qui ipsum alligare posset)
» tamen consultius est & tutius si diu imperare cu-
» pit, vt consilio prudentũ & nonnunquam subdi-
» torum omnium vtatur. Nescio enim quomodo fiat, inquit Arniss. c. 15. Pol. quod subditi non vocati ad Principem de Reip. periculis anxiè consultantem se cõtemni suspicentur, odiumq; in principem concipiant. At cõtra incredibile dictu est, inquit Bodin. lib. 3. c. 7. quanta gratulatione principem comitia habentem plebs intuetur? quam ab eo videri quisque gestit? quanti esse putat suas rogationes accipi? quę etiãsi repulsam multarum rerum patiatur, æquius tamen ac melius ferre solet, quam si eo ipso quod cupit contempta fruatur. Quippe multa cõcedit rogata, honorata plus quã princeps postulat, Antim. d. l. Sed indignum videtur, vt princeps id petat quod ei debetur, aut eos honorare, à quibus honorari debet. Certum est, si humiliter petit aut honorat; verum si cum modo & cũ maiestate quasi cõiuncta, tum illa petitio est acceptabilius mandatũ, honor vero gratiæ & paternæ propensionis significatio. Tolos. lib. 24. c. 5. nu. 3. Enimuero, ait Cominæus lib. 10.
» Histor. Gallicarum, Subditi, inprimis equestris
» ordinis homines ac nobiles viri, cum non modo

facultates

facultates omnes, verum etiam vitam & sanguinem in bello pro Republica profundāt, æquissimum est vt priusquam suscipiatur bellum, consilia cum ipsis communicentur, atque adeo honorētur quasi inuitatione ad consultationē publica; ita tamen vt subditi intelligant istā petitionē auxiliorum aut inuitationem ad consultandum fieri nō ex necessitate, sed affectus testādi in subditos causa, nimirum vt tanto libentius & ei pareant & reip. periclitāti corporibus & fortunis opitulentur. Tolos. lib. 13. c. 12. n. 14. Diuersa enim est ratio comitiorum in absoluto regno, & in eo, quod habet limitatā potestatē, aut cum aliis coniunctam. In illo comitia libere cōuocantur ex pura voluntate principis; nec quicquam in iis statui potest quod principi displiceat: in isto aūt & necessario cogūtur comitia, & multa in iis concluduntur nō vsquequaque assentiente principe. Cæterum ius cōuocandorum comitiorum esse ius Maiestatis, inde patet, quod nemini id competat nisi Principi soli. Bodinus in lib. de Rep. 2. c. 6. inter alia argumenta quibus probare nititur Imperatorem Romanū, qualis quidem iam à septem Electoribus imperii eligitur, non esse absolutum monarcham, hoc etiam ponit, quod ius conuocandorum comitiorum non habeat. In quo tamen nescio, an Bodinus nimiū suis affectibus indulgeat, quod quidem videtur ei esse consuetum, quoties alia Regna, atq; adeo Imperium Romanum cum Gallico comparat. Althusius in Politic. c. 13. inter iura Maiestatis octauum ponit, ius conuocandorum comitiorum, vt ibi videri potest. Tolosanus quoque paulo ante citato loco.

11 *Vtrum comitia frequentia celebranda; vbi simul de processu, tempore, & loco Comitiorum?*

Bodinus lib.3.de Repub.c.7.in eam partem inclinare videtur, vt frequentius quam rarius fiant comitia. Postquam enim necessitatem eorũ multis & magnificis verbis prædicauit; Anglorum & Hispanorum institutum laudat, apud quos tertio quoque anno haberi solent; Sapienter, inquiens, ab iis constitutum esse & cautum, vt Principes tanto libentius conuocarent comitia, ne possent vllum tributum imponere, nisi prius habito generali totius populi conuentu. De Galliæ regibus narrat ibidem, quod non ita sæpe vt Angli, comitia cogant; Antiquis tamen Gallis, inquit Tolos.lib.13.c.12.num.13. lõge alius mos. Etenim nõ erat vnus annus tempore Francorum Regum Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pii, & sequentiũ Imperatorum, qui non haberet consilium huiusmodi & cõuentum, in aliqua parte Regni solenniter indictum & peractum, vbi Rex aut Imperator munera consueta ex toto regno & imperio suscipiebat, & singulorũ causas audiebat: de procerum, comitum, ducum & regum, vasallorum negotiis, iniuriis publico concilio indicabat, oppressiones populi reuelabat, de bello ineundo, mouendoque exercitu, & in summa, de priuatis publicisque negotiis in maiestatis throno decernebat, vt liquet de antiquis Francis ex annalibus prædictorum regum & imperatorum. Sed ista consuetudo iam videtur exolescere, vt in Gallia, ita quoque in imperio Romano, in quo ab annis 11. comitia nõ sunt habita. In nostro Poloniæ Regno publicis constitutionibus cautum est, *vt singulis*

gulis bienniis comitia habeantur. Vide statuta tum aliorũ, tum inprimis ea, in quibus digerẽdis præclarã operam nauauit Ianissouius lib.1.par.3.tit.6. Cæterum processus comitiorũ idem fere est, qui & ordinariæ principis consultationis, nempe vt mature capita deliberationis proponantur. Deinde vt iis certum locum & tempus assignet. In quibusdã regnis, vt in Polonia perpetuus est locus comitiorum publico & omnium cõsensu assignatus. Electicia vero comitia, vt plurimum in campis sub dio absoluuntur; quemadmodum & Romanis nonnunquam in campo Martio, cum summi magistratus creabantur. Ex Gellio & Liuio Bodinus lib.4.c.3. Tempus etiam plerunque hybernum deligitur, ne ordines in rebus domesticis, æstiuis mensibus occupati, abstrahantur. Veterum Comitia quod attinet eorumque processum, videri potest Tolos.lib.24.c.4.& 5. Bodinus item l.b.2.c.7.& lib.4.c.3. De Rom. comitiis scribit Liu.lib.9.d.1.& alibi passim. Gellius lib.15.c.27.& lib.5.c.19. Alexand.ab Alex.lib.4.c.10.& l.1.c.17. Tolos.item lib.24.de Rep.c.5.num.11. De Iudaicis comitiis in veteri testamento crebra fit mentio. Sed ea inprimis descripsit Sigonius lib.6.c.3.de Repub.Iudæorum. In regno Galliæ qualia fuerint olim comitia, refert Cæsar lib.5.& 6. de bello Gallico. Hottoman.de antiquo iure Regni Gallici lib.1. Et Tolosanus lib.13.c.12.num.13. & lib.24.cap.5.& 6. vbi etiam recenset, quo processu his quoque temporibus in Gallia peraguntur. Præter hunc vide Bodin.lib.3.de Rep.cap.7. & lib.2.c.7. vbi multarum Rerump.tam antiquarum, quàm recentium comitia, & eorum ratio-

nem explicat. Comitia imperii Romani descripta sunt in aurea Bulla Caroli V. Imp. Et Bodin. l. 2. de Rep. c. 6. Regni Poloniæ comitia legibus circumscripta sunt, idcirco statuta & constitutiones regni cõsulere debet, si quis de iis legere cupiat. Breuiter & quasi summariè contraxit Ianussouius in statutorum lib. 1. part. 3. tit. 6. Venetorum deniq; respub. qualem habeat comitiorum rationem, copiose diducit Contarenus de Rep. Venetorum, pag. 14. & sequentib. Bodinus quoque d. lib. 2. cap. 7.

12 *Ponderandane, an numeranda vota; Et, si numeranda in comitiis, & aliis conuentibus magnis, quomodo numeranda?*

DIfficilis sanè & ardua est prior ista quæstio, sed talis tamen, quæ respectu status absoluti siue Principatus facilius decidi possit. Sane consilii vis nulla per se est in quantitate & numero; Quia enim plures sunt in mundo imprudentes, ideo si numero forent æstimanda, semper imprudẽtum consilia præualerent. In aliis rebus ita comparatum est, vt Quantitatis per se nulla sit efficacia, quanto magis in consilio? Autoritates & sententias autorum in disciplinis aliis omnibus non numeramus, sed ponderamus. Quanto magis in disciplina Politica? vbi periculosius multo erratur, quam alibi. Per se ergo & absolutè loquendo cõsilia non numeranda, sed ponderanda. Idq; vnum est è magnis prærogatiuis principatus, quod in eo consilia ponderari possint. In statu vero Polyarchico, id est, Aristocratico, & Democratico, atque in iisdem etiam statibus, qui mixti sunt, hoc est imperfectionis, quod consilia numeranda sæpe ma-

pe magis, quam ponderanda sint; quia nimirum illi, qui consilia dant, nō tantum sunt Consiliarii, sed etiam Senatores, & ius habent concludendi. Hoc tamen videtur esse remedii, quod & numerari & ponderari simul consilia possint. Si enim ad pondus consiliorum etiam numerus accedat, iam aliquid oritur velut absolutū & perfectum. At vero vt vota numerari possint, colligi ea prius est necessum. In ista autē collectione plurimum inest incōmodi atque difficultatis. Etenim cum in magnis conuentibus, atque adeo etiam in cōmitiis magna sit & sæpe ingens copia eorū, quorum vota colligenda venient, extrahent tempus laudandis votis pauci aliquot, & non erit dicendi locus cæteris, vnde & præiudicium magnum & confusio orietur, tandemque in nihilum desinet consultatio omnis, & re infecta conuentus soluetur. Cuius rei exempla vtinam pauciora extarent in Poloniæ regno; quocirca remedium huic malo multi præstantes Politici quærere sunt conati. Idq; ad exemplum sapientis reip. Venetæ, cuius consuetudinem & ritum in colligendis votis latè describit Contar. de Rep. Venet. pag. 16. & seqq. Summa autē ista est; Quando consultatio incidit grauis, aut magistratuū electio, quæ nonnisi consentientibus omnibus ordinibus definiri possit, eligūtur duo, qui in vtrāque partē agūt id, quod in deliberationē propositū est, audientib. omnibus qui in concilio locum habēt. Postea vero vbi satis agitatum est, circumferuntur vrnæ artificiose fabricatæ, quibus iniiciunt singuli pilulas quasdam linteas, siue, vt alii vocant *balotas*, in cellulam (quæ duæ sunt reconditæ) interiorem albam, si

„ suffragari velint, vel in exteriorem viridem si re-
„ fragari: Istæ vero pilulæ siue *balotæ*, vt vocantur,
„ occultius iniiciuntur, quam vt à quoquam anim-
„ aduerti possit, vtrum is, qui iniicit suffragetur,
„ an vero refragetur. Et ita postquam omnes suas
„ pilulas iniecerint, depromuntur & numerantur
„ pro quaq; sententia vota: fitq; cõclusio istius sen-
„ tentiæ, in quam plures consenserint, absque con-
„ tentionibus, absq; offensionibus & iactura tem-
„ poris. Simile in Rep. Polona dudum desiderarũt
prudentes Politici. Ac Stanislaus quidẽ Saruicius
in præfat. ad Annales Poloniæ scribit, se collegisse
& edidisse hac de re exempla & formas diuersas,
petitas partim à Venetis, partim à Germanis in e-
ligendo Imperatore, partim denique ab Italis in
eligẽdo Pontifice: In hunc nempe vsum, vt quod
optimũ videbitur, in suum vsum sumant Poloni.
Editũ etiam aliud scriptũ est in lingua Polonica,
sub tit. *Exorbitantiarum*, in quo processũ vsitatũ
in consultationibus *nunciorum terrestrium*, vt vo-
cant, improbat quidã & perstringit liberius. Sed
remedia non ita affert; Laudat tamen cõsuetudi-
nem, quam recèns introductam esse asserit, nẽpe
quod ex singulis Palatinatibus, licèt subinde tres,
subinde quatuor vel plures in comitia à nobilita-
tẽ mittãtur, tamen vnus tantũ nomine totius Pa-
latinatus votũ dicit, grauamina exponit, & de re-
liquis à tota prouincia sibi commissis edisserit. E-
go si quid in hac re iudicare vel possum, vel de-
beo; probarim magis, si grauamina & petitiones
prouinciarũ more Gallici regni, vniuersa nobili-
tas in vnũ librũ congereret, eaq; etiã vni aduoca-
to siue Legato traderet, vt is in cõspectu Regis &
totius

totius Senatus legeret, atq; ad ea responsum vrgeret & adscriberet Idem faceret ordo Ecclesiasticus & plebeius, quisque per suum legatum, & ita omnium petita & grauamina absoluerentur breuissimo temporis spacio. Galli vocant istos libros, in quibus congesta sunt ordinum grauamina & postulata, *le Cair*. Vide de hoc instituto Tolosanum lib. 24. de Repub. cap. 4. num. 8.

13 *Vtrum in consilium vocandi parentes, agnati, cognati, liberi.*

Consultatio, vt ex præceptis politicis liquet, alia ordinaria est, alia extraordinaria. Ad ordinarias consultationes pater, agnati & cognati Principis forte non cupiant adhiberi; hoc enim foret inter eos numerari, qui consiliariorũ principis titulum habent. Videndum itaque hîc, quid cuiusq; Principatus ratio & circumstantiæ ferant: In genere id tantum dici potest, Patrem, agnatos, cognatos, nisi insigni aliquo vitio laborent, atq; adeo nisi principi & Reip. suspecti sint, omninò consulendos etiam in rebus grauissimis. Prorsus enim exclusi, odium, suspiciones, & seditiones moliuntur, lib. 24. cap. 6 num. 14. Minus verò idonei, discunt in minoribus & inferioribus consultationibus, vt suo tempore in maioribus rempublicam iuuare possint. Althusius cap. 22. Antimach. lib. 1. theor. 1. part. 39. notat Gallos veteres sanctè hanc legem seruasse, vt Principes regiæ stirpis consilio Regis semper interessent. Etsi enim plerique illorum neque solertis iudicii vigore, neque artibus ad rempub. gubernandam necessariis instructi sint, eos tamen cum regem

ipsum sanguine contingant, excludi fas non est, nisi ob insigne flagitium aut scelus. Quippe ex eo graues offensiones, iræ, diffidia nasci solent, quæ mox in publicas calamitates & bella ciuilia erumpunt. De liberis masculis dubium nullum est ex his quæ supra de iuuenibus disputauimus, nempe paulatim etiam ad consultationes & admittendos & assuefaciendos. Quod inprimis de primogenito, atq; adeo de futuro patris successore fuerit accipiendum.

14 *An viri tantum in consilium vocandi, an verò etiam fœminæ, atque adeo mater vel coniunx Principis.*

De Gallis ex Plutarcho de virtutibus mulierũ & multis aliis authoribus narrat Chassaneus in catalogo gloriæ mũdi; quod & Poliænus de Celtis lib. septimo stratagematũ narrat. Nẽpe quod mulieres admittebant ad grauissimas de bello & pace consultationes. Iustin. Imp. de seipso sic inquit *Nouell. 8. cap.* 1. §. *Hæc omnia. tit. vt iudices sine* „ *quoq; suffragio*: Se consiliũ in lege condenda sum„ sisse à reuerẽdissima sua coniuge. Cor. Tac. in lib. „ de moribus Germanorũ sic inquit: Germani in„ esse sanctũ aliquid & prouidum fœminis putant, „ nec aut consilia earum aspernantur aut responsa „ negligunt. Athenienses quoq; mulieres in senatũ adhibebant, sed cum illæ suffragiorum numero viros aliquando superassent, malaq; & repentina consilia malum exitũ haberent, mos ille abrogatus est. Narrat Lampridius Heliogabalum Cæsarẽ portentosis libidinibus infamẽ, Romæ Senatum fœminarum instituisse in colle Quirinali, cuius mater etiam Senatus consulta scripsit, & ridiculas leges matronales condidit:

Sed vnà cum filio in Tyberim tracta, & nomē illius Cæsaris ex monumentis publicis est erasum. Indignum enim est vt is permittat talia mulieri, quibus gerendis ipse vix par esse censetur. Volunt quidem aliqui sexus muliebris eam esse prę-rogatiuam, vt in subitis casibus maximè consilio valeant. Sed ego, inquit Lauterbachius in Princ. Christ. c. 6. propter nimiam imbecillitatē & frigiditatē complexionis quam sequitur anima, & eius operationē in medio relinquo. Requirunt autem res humanæ animos sagaces, impauidos, fortia corpora & opera virilia. In casibus tamen extraordinariis, certis circumstantiis suadētibus, permittunt Politici scriptores vt Principes aliquando capiant consiliū ab vxoribus, & nonnisi heroicis. Vulgares fœmellę ab iis quæ ad pub. administrationē pertinent, studio arcēdę sunt, vt monet Arist. 1. Rhet. Plato 5. de Rep. & 7. de Leg. Iacob. Rex in dono Regio lib 2. Alth. c. 22. Iunius in quæst. Pol. par. 1. quæst. 13. & alii pleriq;, Lips. in monitis Polit. lib. 2. c. 2. multa exempla collegit infelicis imperii, atq; adeo infaustissimorū cōsiliorū muliebriū. Sed & addit nō multò post exē-pla magnæ cuiusdā prudentiæ in fœminis, nempe in Phile vxore Demetrii regis filia Antipatri, in Zenobia, in Pulcheria, Theodosii iunioris sorore, & in Isabella Ferdinandi regis Hispaniarum coniuge. In quibus ni Hispanis Lipsius nimis fauisset, addidisset vtique merito exemplum *Elizabetæ Reginæ*, cuius consiliis sapientissimis Anglia quadraginta aliquot annis tam feliciter fuit gubernata. Sed ista exempla pauciora sunt, quam vt regulam facere possent.

Præponderant longè ea, quæ ibidem Lipsius recenset de istius sexus malitia, & de exitio regnorum a fęminis orto. Quam crudelia profecta sint consilia ætate nostrâ à Catharina Medicea, Galli, apud quos lex Salica præcipuè valere debuit, ob euastatam patriam & innocentium ciuium lanienam dum stabit hic mundus, erunt exemplo, inquit Lauterbach. c. 6. in principe Christ. S. scriptura 2. Chron. c. c. 22. v. 3. sic inquit: *Achazia rex erat improbus; nam mater ipsius erat consiliaria ad improbè agendum.* Chassaneus vt subinde facetus est, ita part. 2. Catal. glor. mund. consid. cum fæminarum in dandis consiliis promtitudinẽ esset prolixè persecutus, tandem tres casus festiuè subiicit, in quibus omninò sit audiendum consilium fæminarũ, ex quibus tertius cum sit lasciuior, visum non fuit verba eius asscribere.

15 *Ministri aulici, & reliqui officiarii, qui non sunt Consiliarii, vtrum ad consilium aliquando adhibendi?*

Perpetuo aularum vitio plerique ex iis qui principem sequuntur, obtrudunt se principi ad consilia danda, quæ tamen dare nec didicerunt, nec per naturæ dotes aut officii diuersitatem dare possunt, ita vt commodissimè hic applicari id posset ad consultandi rationem, quod imperator Sigismundus de gubernandi difficultate symboli loco vsurpare solitus est: *Mirum videl. esse quod omnes homines recusent eas artes exercere, quas non didicerunt, imperare autem, detrectet nemo, quantumuis artem imperandi aut consultandi non didicerit.* Idem queritur M. Aurelius Imp. apud Gueuaram in Horol. Princ. libr. 3. cap. 57. Adest iam omni-

omnibus audacia consilium dandi, accipiendi illud patientiam nemo habet, atq; ita cum mille sint consiliorum venditores, emptor ne vnus quidem est. Et adeò vt Seneca inquit: *Bona mẽs si venalis esset, non haberet emptorem*. Sed iste Princeps miserrimus est, qui domesticos & aulæ suæ ministros ad consilium vocat. Hi enim nihil aliud cogitant quam rem suam. Vel, vt Cicero loquitur, ad Q. Fratrem epist. 1. lib. 1. *Quaestus sui causa insusurrant omnia ficte & simulate*. Hinc Iacobus R. in Dono reg. lib. 5. monet ita Henricum filium: *Ne male tibi consulas, ludiones tuos seu facetos scurras ad consilium non admouebis*. Eiusmodi enim Principe tanquam in auctione posito, nundinantur aularum ministri, si iis & delectetur nimis, & eos ad consilia adhibeat. In Claudio Imperatore cernere id licuit, inquit Suetonius cap. 29. qui libertis, vxoribusque addictus non principem se, sed ministrum egit. Aulus quoque Vitellius Imp. Rom. magis ac magis omni diuino humanoque iure neglecto, histrionum & aurigarum consilio Rempub. administrauit. Plura in hanc sententiam vide apud Lips. lib. 3. Pol. c. 9. & in Notis ad illud caput. Sed tamen considerandum id fuerit, quod supra ex Plutarcho monuimns, *nullius plane hominis operam aspernandam esse, qui aliquid vtilitatis Reipub. afferre possit*. Si Princeps in aliquo ministro aut alio aliquo, siue subdito, siue peregrino, nobili, mercatore, (nonne mercatores Lusitanis regibus limen ad Orientis regna & primus gradus? inquit Lips. in Notis ad cap. 6. lib. 3. Polit.) nauta, (nam horum quoq; consilio res non paruæ gestæ à Belgis) aut

alterius cōditionis homine, singularem aliquā sagacitatem & rei certæ peritiam atque experientiam animaduertat, prout humana ingenia admirandam varietatem habent; poterit sanè istius quoque vtut abiecti hominis sententiam expiscari, vel per interpositas personas vel curā; arte quadam vsus interrogandi; sæpè etiam quasi aliud agēdo. Interdum est olitor valdè opportuna locutus. Et est tanta rerum quæ in consultationem veniunt tum varietas & difficultas, vt nihil superflui facturus sit Princeps, si omnes ingeniorum humanorum angulos arte quadā perscrutetur, & in singulis quærat aliquod quasi diuinitatis vestigium, quod in rebus dubiis sequatur. Etenim vtut summa sit prudentia principis; humana tamen futura est, id est, talis, quæ labi, quæ falli possit, ni illustretur, ni regatur à summa illa & prima mente. De Atheniensibus prouerbium fuit, *Eos malis consiliis optime regere & regi.* Sicut Aristophanes inquit in Nubibus: Læua consilia ferunt huic adesse ciuitati. Poetæ vitium hoc excusaturi in Neptunum reiiciunt, qui victus à Minerua cum Atticâ regione potiri non posset, iratus δυσβουλίαν immiserit; neq; id Mineruam immutasse, sed quod Athenienses malè statuerent, in bonos semper euentus vertisse, atque adeo ipsorum δυσβουλίαν bene fortunasse. Vnde illud eiusdem Aristophanis repetitum à Suida:

Est sermo quidam ductus à maioribus,
Fatua licèt statuamus ac væcordia,
In melius attamen omnia nobis cedere.

Vnde semper in concionibus vota prius concipiebant Athenienses, vt populo bona cōsilia Dii

ſuggererent: addendum fuerat; *Aut mala conſilia in bonum tamẽ euentum ducerent*. Ita quidem vouendum exiſtimem etiam ſapientiſſimo cuique Principi, & omni etiam optimè conſtitutæ Reipublicæ. Etenim vt hominibus ſingulis in hac naturæ corruptione, ita quoque hominum cœtui ac communioni, errandi quaſi impoſita neceſſitas eſt: ita vt rerum humanarum æſtimatores iniqui & imperiti ſint, qui Platonicam quandam, id eſt, ex omni parte præclarè perfectéque conſtitutam Rempublicam in his terris requirunt. Bene cum hominibus agitur, ſi mediocrem ſaltem & tolerabilem habeant ſtatum publicum. Hanc talem redde, quæſo Poloniæ, ô magne & clemens Deus, redde Patriæ meæ dulciſſimæ: fac iſtas ciuilis belli flammas, quas oriri cum luctu videmus, immenſæ tuę gratiæ largiſſima affuſione extinctas ſubitò, ac ſopitas læti propediem cernamus, audiamus. Ita precor animitus, ita voueo, & hoc voto Politicas has meas meditationes, velut quodam bonæ ſpei ſigillo, conſigno.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXXI.

Quæ est Politica tertia.

De

GVBERNATIONE SVBDITORVM IN SPECIE; DEQVE CERTIS EORVM Statibus & Ordinibus, simulq; adeò de cura rerum extra hominem positarum.

INSTITVTA PVBLICE IN GYMNASIO DANTISCANO, ad diem 7. April. Anni 1607.

Respondente

DANIELE BRESLERO. D. Borusso.

MAGNI-

MAGNIF. AMPLISS. PRUDENT.

VIRIS

Dn. BARTHOLOMÆO SCHACHMANNO, *Inclytæ Reip. Dantisc. Præcos.*

Dn. IOHANNI SPEMANNO, *Cos. Scholarchis digniss.*

Dn. IOHANNI PROITEN. COS. *Dominis & Patronis demisse honorandis,*

ET CONSULTISSIMO VIRO

Dn. PHILIPPO LACKENEIUSdem *Reipub. Secretario, Dn. & fautori colendo,*

offert & dedicat

DANIEL BRESLERUS
Dantiscanus Borussus.

THESES

De gubernatione subditorum in specie, atq; adeò de certis eorum statibus & ordinibus, simulq; de curâ Principis circa res extra hominem.

I

EGimus de Regimine & Gubernatione subditorum in genere: Consequens est vt in specie consideremus singulos subditorum status atq; ordines.

2 Subditus Principis est vel separatim consideratus; vel collectim siue coniunctim.

3 Separatim consideratus subditus est vel propriè, vel impropriè dictus.

4 Propriè dictus vel primarius siue immediatus, vel secundarius siue mediatus.

5 Primarii, seu primariò dicti & immediati subditi sunt viri maturioris iã ætatis, & in primis patresfamilias, siue domum actu habeant, siue iure eam habendi gaudeant. [*Cum enim Respubl. sit multarum domuum siue OEconomiarum concinna collectio, idcircò patresfamilias seu capita Oeconomiarum sunt subditi Principum primariò & immediatè dicti.*]

6 Et hic subditus distinguitur primò ratione conditionis, quod sit vel superioris, vel inferioris status.

7 Altioris status subditus consideratur, vel vt Dignitarius, vel vt Beneficiarius, vel denique vt Officiarius.

8 Dignitarius dicitur, qui gradu & titulo honoris aliis antecellit, siue illa dignitas sit ex genere & prosapia, vt sunt Duces, Marggrauii, Landgrauii, Comites, Barones, Equites aurati, Nobiles, qui omnes summatim distingui possunt in statum Illustrissimorum, Illustrium, Generosorum & Nobilium; siue sit ex virtute tantum, vt sunt clari virtute militari, clari doctrinâ & prudentiâ: quô pertinent gradus dignitatis, qui ob doctrinam conferuntur.

9 Beneficiarius est vel ordinarius, vt sunt Feudatarii, vel extraordinarius, vt sunt illi, quos Princeps singulari aliquo beneficio affecit vel priuilegio.

10 Subditus eminens spectatus vt Officiarius est, qui eminens aliquod in Republica officium gerit, inprimis quidem reale, vt est magnus dux exercituum, Cancellarius, Mareschallus, & omnes Magistratus digniores, Proprincipes, Satrapę, Capitanei, Præfecti, iudices & alii officiarii supra enumerati; post verò honorarium & titulare.

11 Inferioris status subditus consideratur vel vt publicus, vel vt priuatus.

12 Publicus est omnis Magistratus & officiarius inferior atque humilior, vt sunt Præfecti, hylarchæ, quæstores; Magistratus item inferiores, denique Doctores populi, Medici & informatores iuuentutis, & in aula Principis notarii, Scribæ, &c.

13 Subditus consideratus vt priuatus est vel integer, vel miserabilis.

14 Integer dicitur, qui bono ſtatu conſtitutus eſt. Eſtq; tum ſuperior, tum inferior; Superior eſt miles, qui ex priuato viuit, qui item ex fœnore, ex arenda viuunt, & mercatores: vbi de mercatura & variis eius generibus, de portu, nundinis & mercatibus, de foris venalibus, de monopoliis, de parariis tractatur: & denique artifices mechanici ingenioſiores, vt ſunt pharmacopolæ, architecti, pictores, ſculptores, aurifabri, nauarchæ & gubernatores nauium maritimarum, *&c.*

15 Inferiores ſunt vel magis ad naturalem modum acquirendi accedentes, Agricolæ, Hortulani, Pecuarii, Venatores, aucupes, piſcatores, metalli & ſalis foſſores: vel magis artificiales; vt inſtitores rerum viliorum, opifices qui plus corpore quàm ingenio laborant & verſantur circa res, quibus corpus inquinatur, alutarii, ſutores, *&c.* item nautæ inferiores, aurigæ, ſtabularii.

16 Infimum gradum tenent caupones, ganeones, operarii, mercenarii, baiuli, *&c.*

17 Subditi integri diſtinguuntur in opulentos & minus opulentos: vbi de ingenio opulentorum & pauperum ſubditorum agitur.

18 Reſtant ſubditi miſerabiles, vt ſunt orphani, viduæ, ægroti, ſenes, & pauperes, mendici, qui victum quærere non poſſunt: vbi agitur de eleemoſynis, earumque conſtitutionibus, de Orphanotrophiis, Xenodochiis, Hierocomiis, Noſodochiis, & horum omnium conſtructione ac curatoribus.

19 Subditus ratione obligationis eſt vel liberior;

rior; vel seruituti maiori adstrictus, vt sunt in Germania & alibi die leibeygene Vnderthanen.

20 Sic de subditis immediatè dictis: mediatè dicti subditi sunt tum illi, qui patribusfamilias seruiunt, aliunde aduenientes; tum etiam aduenæ, qui ad tempus in Republica habitant.

21 Hucusque de subditis separatim spectatis: sequuntur subditi collectim considerati, siue de subditorum communione, quæ est vel ex natura sola, vel etiam ex instituto.

22 Subditorum communio ex natura tum maior est & indeterminatè spectata, nempe integra Gens, tum minor & magis distincta, & dicitur *Familia*; vbi de Familiarum in Republica distinctione, de capite Familiæ, de iure, priuilegiis, insignibus, de nobilitate Familiæ, de claritate, de obscuritate, de nouitate, de adoptione in familiam.

23 Communio magis ex instituto siue ciuilis est, vel continens, vel contenta.

24 Continens est vel prima vel orta.

25 Prima vt vici, vbi de vicorum legibus, magistratu; & pagi, vbi de pagorum generibus, de pagana communione, magistratu, regimine, legibus.

26 Orta est tum ciuitas, tum tractus.

27 Ciuitas est vel primariò, vel secundariò dicta.

28 Primariò dicta est, quæ & frequentia, & commoditate, & securitate pollet. Hîc primò de materia ciuitatis & situ, & fundatione, structura, & munitione. Post de hominibus ciuitatem incolentibus, prout absolutè spectan-

tur. Deinceps de forma, de iure & priuilegiis ciuitatis, de Magistratu ciuili, de ciuibus & inquilinis, deque variis ciuium atque inquilinorum generibus.

29 Hæc iterum vel communior, vel specialior, & dicitur *Metropolis.*

30 Secundariò dicta ciuitas est oppidum & municipium, de cuius etiam tum materia tum forma in Politicis agitur.

31 Tantum de ciuitate. Tractus integer etiam vel maior est, vel minor.

32 Minor dicitur districtus, præfectura, toparchia & aliqua vel villis & pagis tantùm, vel etiam vrbibus & oppidis simul constans: vbi agendum de præfecturæ materia & dimensione, pòst etiam de forma administrationis.

33 Maior est prima vel orta. Prima dicitur prouincia multis toparchiis, & præfecturis ac satrapiis constans, vbi etiam de prouinciæ, tum materia, tum forma siue regimine, & Magistratu.

34 Orta est dominium magnum multis prouinciis diuersis constans, quod *magnus Ducatus*, vel regnum dici solet, de cuius etiam materia & forma tractatur.

35 Sic de communione continente: contenta communio est vel particularior, vel vniuersalior.

36 Particularior est vel ex consilio vel ex casu.

37 Ex consilio vel sodalitas, vel conuocatio.

38 Sodalitas est vel pagana vel vrbana.

39 Sodalitas pagana, vt certa iura non habet, ita & nomine definito caret.

40 Soda-

40 Sodalitas vrbana dicitur *Collegium*, vbi de collegiis & eorum ordine ac distinctione, post de Collegiorum vsu, iuribus & generibus. Est enim Collegium vel eminens, vel inferius. Eminentius Collegium est officiariorum publicorum, vt Consiliariorum, Magistratuum & Iudicum, doctorum populi, informatorum iuuentutis. Inferius est tum mercatorum, tum opificum, tàm primariò, quàm secundariò dictorum per omnes ordines ac gradus subditorum paulò ante enumeratos.

41 Conuocatio est quando subditi in villis, pagis, vrbibus, publica autoritate & præconiis conuocantur.

42 Communio ex casu est, quando subditi conueniunt sine publica autoritate vel in pagis, vel in vrbibus.

43 Sequitur communio vniuersalior, quæ dicitur *Status*.

44 Status vel absolutè spectatur, vel comparatè.

45 Absolutè spectatus est vel superior, vel inferior.

46 Superior est Nobilium, sub quo Illustres etiam comprehenduntur: qui status secundum certos districtus in ditione Princ. distinguitur.

47 Inferior status est Ciuium, qui status in tribus certas distinguitur.

48 Status comparatè spectatus est statuum vnio. E.g. Status Nobilium vnio & concordia cũ statu ciuium; ciuium cum statu paganorum, hæc, inquã, statuum vnio, siue vt loquimur, correspõdentia, certas etiã habet regulas & obseruationes in Polit. tradendas.

49 Absoluimus curam Principis primariam, quæ est circa homines siue subditos : Sequitur cura & dispensatio Principis secundaria, quæ est circa res extra & præter hominem. Res autem extra hominem spectantur dupliciter: primò vt subiecta & obiecta; post, vt circumstantiæ. Res spectatæ, vt subiecta & obiecta sunt vel animatæ vel inanimatæ. Animatæ, sunt bestiæ tam mansuetæ quàm ferę; vbi de equis & equisonibus, de venatione, item & viuariis, aucupio; de piscatione, & horum omnium adminiculis ac instrumentis.

50 Inanimatæ res vel immobiles sunt, vel mobiles : Immobiles iterum vel naturales sunt, vel artificiales.

51 Naturalis vel simplex est, vel mixta; Simplex, vt aqua & terra. Aqua vel maior, vt mare; vbi de cura Principis circa rem omnem maritimam, atque adeò portum & Nautica, ac in vniuersum de maris dominio. Minor autē, vt flumina, lacus, riui, fontes, thermæ, stagna, æstuaria, paludes. Terra est vel aquæ vicina, vt littora, ripæ, quarum cura Principi commendata esse debet; vel ab aqua remotior: vbi cura agrorum, cāporum, pratorum, vallium, montiū, deq; agrorū, cāporum, syluarum, atq; adeò etiam suæ ditionis terminis ac limitibus.

52 Sequitur cura rerum naturalium mixtarū, quæ sunt vel super terram, vel in terra.

53 Super terram sunt ea, quæ ex agris, pratis, hortis, vineis, syluis, ne moribus prouenīunt: vbi de cura frugum, lignorum, cinerum, mellis, ceræ, vini, *&c.*

54 Sub-

54 Subterraneę res ſunt omnia foſſilia, ſal, mineralia, metalla; vbi de ſalis fodinis, de legendo ſuccino, & aliis huius generis, quæ in ditione Principis proueniunt.

55 Hactenus cura rerum immobilium naturalium; ſequitur cura rerum immobilium artificialium, quæ ſunt vel ædificia, vel machinæ; machinarum autem vocabulo generaliter comprehendendo omnem ſtructuram, quæ ad habitandum & cuſtodiendum facta non eſt.

56 Ad ædificiorum curam in genere pertinet cura & prouiſio de egregiis architectis, cura materiæ ad ædificandum aptæ, vt ligna, ſaxa, lateres & eorum coctura, calx, arena: cura de fundamentis ædificiorum, deque his ſartis tectis ſeruandis, & de ædilibus.

57 Porrò ædificia vel ſeparatim ſpectantur, vel collectim. Separatim ſpectata ædificia ſunt vel publica, vel priuata.

58 Publica ædificia ſunt vel primaria vel ſecundaria. Primaria ſpectāt vel ad gubernationē; & ſunt vel informatoria, vt Baſilicæ, templa, Buleuteria ſeu curia Senatus & Conſiliariorum, Cancellaria, ſcholæ; vel habitatoria, vt Palatium Principis, & alia palatia; vel iudiciaria, vt Dicaſterium ſeu curia iudiciaria, ad quam pertinet tribunal. Cuſtodiæ, carceres, vel defenſoria, vt arces, caſtella, turres, cataractæ & propugnacula omnis generis, vel phylacteria, in quibus aliquid aſſeruatur, vt Archiuum, Ærarium, Bibliotheca, Armamentarium, Granaria & promptuaria omnis generis, equilia item. Secundaria, ſunt vel Gymnaſtica ſiue exercitatoria, vt palæſtræ publicæ,

vel Conuentualia, vel denique theatra, omnis generis ædificia ad spectacula & ad amœnitatem, vt pergulæ, xysti; & omnis generis ædificia, quæ Princeps ad amœnitatem vel ruri, vel in vrbibus construit.

59 Ædificiorum priuatorum doctrina continet curam Principis de implantando ædificandi amore & studio in subditos, de ædificiis priuatis conuenienti forma & ordine ac serie construendis, de iisdem muniendis contra incendia, deque eorum recensione.

60 Sic de ædificiis separatim considerat̃is: ædificia collectim considerata sunt villarum vel vicorum, vel pagorum, vel oppidorum & municipiorum, vel denique vrbium: vbi de singulorum situ, & inprimis vrbium fundatione, de partibus, de partium distinctionibus, de vrbium plateis ac serie earum, de munitione ac sanctionibus ædificiorum vrbanorum.

61 Sic de ædificiis; restant machinæ, (immobiles nempè) quæ sunt vel propriè, vel impropriè dictæ. Propriè dictæ machinæ sunt partim automata, partim aliæ machinæ vel pneumaticæ, vel tractoriç, vel rotariæ; quò pertinent molę omnis generis, nempe rotariæ, vt frumentariæ, vel mallariæ, vt ferrariæ, papyraceæ, coriaceæ, cereaceæ: pertinent huc item aquæ ductus & pontes maiores, minores.

62 Moles impropriè dictæ sunt valla, aggeres, tam ad portum quam alibi congesti.

63 Sic de immobilibus rebus. Res mobilis est vniuersalis, vel particularis. Vniuersalis, seu reliquarum rerum communis mensura, nempe pecunia

cunia seu moneta: vbi de monetæ materia, forma, cudenda moneta, de monetariis, de æstimatione, valore, de legibus monetariis & præfecti rei monetariæ.

64 Res mobiles particulares pertinent, vel magis ad corpus, vel magis ad mentem. Magis ad corpus pertinentia instrumenta sunt vel omnis temporis, vel certi. Omnis temporis instrumenta sunt currus & vehicula, omnis generis & omnis curulis supellex. Naues item, tam maiores, quam minores, & omnis generis nautica instrumenta; machinæ etiam portatiles & vectoriæ, quarum vsus est pacis tempore.

65 Certi temporis instrumenta dicimus, quæ non tam ad pacem, quam ad bellum pertinent, vt sunt arma omnis generis, tam maiora quam minora; tàm defensiua, quam offensiua; & alia instrumenta, quæ ad armorum curam pertinent.

66 Sequuntur instrumenta, quæ magis ad mentem pertinent, & hæc sunt vel artificialia, vel naturalia.

67 Artificialia sunt vel primaria, vel secundaria. Primaria sunt libri, iique vel magis secreti, vel publici.

68 Magis secreti sunt commentarii Principis ac Reipublicæ; item acta, documenta, Epistolæ, Regesta, Rationes, Indices, Catalogi omnis generis, quæ ad Principis gubernationem & iudicia pertinent.

69 Magis publici libri sunt, qui in Principis bibliothecis asseruantur, quæ partim in palatio, partim in metropoli, & circa præcipua templa

ac ſcholas Principis fundari debent, partim impreſſi, partim manu ſcripti.

70 Secundaria inſtrumenta ſunt, tabulæ Geographicæ, ſiue mappæ, vt vocant; item picturæ, ſculpturæ, cælaturæ, fuſoriæ, & opera alia artificioſa manu facta, & mira ac rara tã antiqua quam recentia, ad quæ peculiaria Tameia & Ceimeiliarchia à principibus viris conſtituenda.

71 Naturalia ſunt omnia generis exotica & peregrina naturæ opera, gemmæ, lapides, metalla, & alia terrâ naſcentia, animalium item raræ exuuiæ, quibus itidem peculiarem locum velut *Exoticotameion*, Princeps deſignabit.

72 Fuit diſtinctio rerum ſecundum materiam: ſecundum vſum Res Politicæ, quas curare princeps debet, diſtinguuntur primo in publicas & priuatas, poſt in ſacras & profanas.

73 Huculque de cura rerum, quatenus conſiderantur vt obiecta & ſubiecta: reſtat cura rerum, quatenus conſiderantur, vt circumſtantiæ. Eſt autem circumſtantia Politica vel Temporis, vel Loci.

74 Circumſtantia Tẽporis, cuius cura Principi incumbit, eſt vel maior, vel minor. Ad maius tempus pertinet diſtinctio annorum, & menſium; ad minus tempus pertinet diſtinctio dierum, vbi de feſtis & profeſtis, de tempore ſacro & profano & diſtinctio horarum: vbi de horologiis & horarum indicibus, de campanis & earum pulſu.

75 Loca, quorum cura Principi incumbit, diſtinguuntur primo ex materia; & ſic ſunt vel naturalia vel artificialia. Naturalia loca ſunt vt in

viæ publicæ, tum limites ditionis. Loca & viæ artificiales ſunt viæ ſtratę extra vrbes, & in vrbibus; item pontes.

76 Secundo loca diſtinguuntur ex propriis vſibus, quod ſint vel ſacra, vel profana, vel communia, vel priuilegiata.

PROBLEMATA.

1 *Beneficia feudorum vnde & quando originem duxerint?*

Bodinus lib. 1. de Repub. c. 9. feudum dici putat, quaſi Fedum, quod qui fidem daret his verbis vteretur: ***Fidelis Ero Domino Vero Meo.*** alii tamen Longobardicā appellationē eſſe volunt, quorum ſententia veritati magis videtur conſentanea. Cum Longobardorū tempore res iſta ſeu beneficium hoc maximè omnium ſit illuſtratū. Cæterum etſi ius illud feudorum ex Italia profluxerit in Europam vniuerſam, tamen ſimile aliquid ab antiquo apud alias gentes fuiſſe probabile eſt. Nam primo veteres, qui nouerant agrum in limitibus ſeu finibus hoſtiū, vel prædia capta ab hoſtibus, ſolebant ea militibus aſſcribere, vt ita eorum eſſent perpetua, ſi eorum hæredes eſſent milites. Et hac ratione putabant fore, vt animoſiores ad Rempublicam tutandā redderentur. Id quod factum ab Alexandro Seuero, teſtis eſt Lampridius, quem & alii Imperatores ante Iuſtinianum ſequuti ſunt, vt ex eorum conſtitutionibus apparet, *C. de fundis limit.* Et meminit prædiorum huiuſcemodi militarium Conſtantinus quidam Imper. apud Harmenopulum lib. 1. eaque στρατιωτικὰ κτήματα, & στρατιωτικοὺς τόπους vocat, quibus ſanè perquam affinia ſunt beneficia illa, quæ Bodinus teſtatur principio militiæ ac belli aduerſus hoſtes gerendi cauſa tribui fuiſſe ſolita; poſtea verò Longobardorum moribus ob fidem & obſequium præſtandum conceſſa. Ac referunt nonnulli hoc

Duar cap. 3. li. 2. de benef.

citato loco.

feudorum ius ad clientelas Romanorum, quarum meminit Dion. Halicarn. non enim dissimilis multum est ea coniunctio, quæ est inter dominum & vasallum, quàm ea, quæ est inter patronum & clientem. Æquè inuicem obligantur vasallus & dominus, ac patronus & cliens, & quò ad hanc necessitatem, nihil differunt à patronis & cliẽtibus veteribus, etiamsi dissimilitudo quædam appareat in eo, quòd hîc prædium detur, in veteri verò iure clientelarum non. Vnde apparet ante Longobardorum in Italiam incursiones simile quid apud alias gentes fuisse, & etiamnum hodie adhuc esse in Turcia, expressè fatetur Bodinus sub initium dicti cap. 9. vbi inquit: Quod nos *feudum* dicimus, Turcæ *Timar* appellant, & beneficiarios seu Vasallos *Timariotas*. Est autem *Timar* Honorarius prædiorum fructus, à Græco vt opinor ἡμῶν, quæ verbi notatio propriam feudi naturam explicare videtur. Propterea, quòd veteri iure feudum nihil aliud est, quam fructus prædiorum à vectigalibus liber. Cæterum feudum, vt docent Politici & Iurisconsulti, est vel *simplex*, vel *Ligium*. Simplex est, in quo vasallus domini dignitatẽ tueri, & pro eo arma capere tenetur; sed tamẽ nec semper, nec aduersus omnes. Ligium, in quo vasallus salutem ac dignitatem Principis, sine cuiusquam exceptionẽ tueri tenetur, vnde etiam dictum volunt, quod plus & arctius liget vasallum, quàm alia feuda. Iurat enim vasallus fidelitatem nullius alterius fidelitate reseruata. Hinc est, quod dicitur, feudum Ligium nullum esse, nisi quod recognoscitur ab Imperatore & Rege, non habente superiorem. Quia enim in omni alio feudo Imperator semper debet excipi, nec quisquam Comiti aut Marchioni fidelitatẽ promittere potest, nullo excepto, lib. 2. tit. 55. Ideò nullum potest esse feudum Ligium, nisi quod ab imperatore vel rege accipitur. nam quod ab inferiore accipitur, semper habet exceptionem.

Duar. lib. 1. Tit. 13.

2 *An Principi prosit multos habere in regno Vasallos?*

Negare id videntur nonnulli, qui potentiam & autoritatem vasallorum Principi suspectam esse dicunt, quòd

quòd turbas contra Principem excitare, & funestas mouere seditiones possint. Sed hoc metuendum est tùm, cùm Princeps oneri ferundo non est, & Principis munere indignus omnia peruerse administrat, alias si consilio & iudicio præstet, iustitiam rectè dispenset, & suam defendere autoritatem ritè sciat, nihil tale fieri posse putandum est. Tum enim vasallus principi ea præstare obsequia cogitur, ad quæ se iureiurando astrinxit, & quia non minori de decore famam, quam bona se amittere credit, si domino fraudem faciat: Ideò promptiora sunt eius, quam reliquorum officia. Exemplum est in Comite Sabaudiæ Petro, qui feudum apud Imperatorem Ottonem Quartum (alii nominant Rudolphum huius nominis primum) petiturus ante eum apparuit in duplici habitu. Latus enim dexterum vestibus inauratis egregiè fuit ornatum; sinistrum verò armis lucidissimis ferreis munitum. Imperator, quid sibi hic distinctus & inusitatus mos vestiendi vellet, ab eo sciscitatur. Comes respondet: Aurum se gestare in dextera parte, ad honorandum Imperatorem. In sinistra verò se esse armatum, vt cōtra maleuolos & obtrectatores eius, vsque ad extremum spiritum pugnaret. Hæc Camerar. in horis sub. cap.6. Et certum est feuda nobilibus concedi propterea, vt in bellis maximè dominis inseruiant. Neque enim aliam ob causam feudi, neque fœminæ, neque sacris dediti, capaces esse possunt, quam quod debita præstare in bellis officia nequeunt; quò maior enim præstantissimorum hominum erit copia, eò feliciores belli successus, eò firmiora etiam erunt regna, in quibus tàm pręclara & copiosa est nobilium multitudo; quemadmodum de Gallia, Persia, virtute & fortitudine nobilitatis fortiter sæpiùs defensata. Idipsum affirmat Botęrus de Politia illust. lib.4. cap.3.

3 *Cur Princeps Magistratuum inferiorum officia ipse contribuere & conferre debeat?*

Non quærimus hoc loco, quisnam in aliis Reipub. formis magistratus inferiores creare debeat; siquidem pro diuersis circumstantiis, diuersis etiam hominibus ius illud concessum fuisse ex historiis cōstat. Inter-

dum enim populus eo vſus eſt, vt apud Carthaginenſes, Athenienſes, item Romanos; interdum alii, vt apud eoſdem. Cenſores, quos Senatores Romanorum legere conſueuiſſe, Feſtus Pomp. autor eſt, Dictatores, ſicut ex Liuio apparet; item Conſules, &c. In Monarchia autem Principis hoc eſſe, & ſemper etiam fuiſſe officium, vt, cum ipſe omnibus rebus ſupereſſe nequiret, alios ſuo nomine magiſtratus & iudices daret, certum eſt. Nam & *Modeſtinus ff. ad l. Iuliam.* ad Principis curam pertinere affirmat magiſtratuum creationem, quam aliis velle relinquere non eſt conſultum. 1, Quia magna ſalutis pars, & tota etiam Principis ſecuritas ab ea pendet, vnde Bodinus lib. 1. cap. 10. ſcribit, imperium & poteſtatem creandi reliquos magiſtratus, quam habuerunt Edegnatus Sultanorum maximus, & Francorum Palatii magiſter, Regibus & Sultanis valdè fuiſſe perniciosam. Deinde, quod, quando ipſe Princeps publica regni officia, præcipuis ſui regni perſonis tribuit, eas hac ratione ſibi obſtringat atque obnoxias reddat; nam cum hoc, quod à Principe tenent, imperium per eum facilè ſe amittere poſſe ſciunt, ideo Principem magis obſeruare & colere ſtudent. Accedit tertiò, quòd ad ius Maieſtatis hæc poteſtas pertineat, de quo iure ſanè multum decederet, ſi aliquam huius partem Princeps alteri communicaret, quod Regibus Poloniæ ſenſim contigiſſe Bodinus cit. loc. teſtatur. Nec eſt, quod quis exempla quorundam Regum & Imperatorum, vt Romuli, Octauii. &c. qui ſubditis aliquid de hoc iure ſuo communicarunt, obiiciat: ſiquidem vel neceſſitate coacti id fecerunt, vel ob alias aliquas graues cauſas, non rem ipſam, ſed rei tantum quandam ſpeciem communicarunt.

4 *Cur Magiſtratus inferiores venales eſſe non debeant?*

Quia manifeſtum eſt, Principem ipſum debere contribuere officia & magiſtratus, ideò in quæſtionem venire videtur, an eoſdem etiam vendere debeat. Et pro parte negatiua hæ ſunt rationes firmiſſimæ. Primò, Ea venalia eſſe non debent, quæ ad ſalutem regni

proximè

proximè pertinent; neq; enim dubium est, quin si Magistratus & officia veneant & vendantur, tandem ipsamet Resp. tota, si modò satis diuitem emptorē inuenerit, vendatur. De Roma quidem iampridem Iugurtha dixerat, *O venale imperium, si emptorem inuenerit.* Id quod à Iuliano factum est, qui imperium Romanum emit, vt tradit Herodianus. Vnde Plato lib. 8. de Rep. Reip. malè constitutæ argumentum esse dicit, & à Vopisco in Aurel. declinantis imperii signum notatur: *Si officia sint venalia, & non hominibus, sed diuitiis dentur.* Certum enim est, quòd hac ratione multi indigni ad munera Reip. capessenda admittantur. Virtus verò quæ sæpè pauper est, excludatur, & sic dignitas, quàm virtutis pręmium esse dicit Philosophus, tribuitur pecuniæ, vnde gloria iacet & sordescit, & virtutis nullus est stimulus; diuitiæ verò in magno sunt honore & pretio, & tota ciuitas immoderato pecuniæ studio dedita est. Quicquid enim vt inquit Arist. apud Principes habetur in pretio, necessariū est & aliorum ciuium opinionem subsequi. Plurimum etiam de dignitate & existimatione Principis decedit, si non nisi propter pecuniam munera Reipub. distribuat. Præterquam enim, quod vendat ea, quæ propria non sunt, sordidus quoq; putabitur, qui talem quæstum faciat, & propterea odiosus reddetur subditis, quòd ciuitatem ad hastam figat. Pulchrè Cicero; *Nullum*, inquit, *vitium est tetrius, quàm auaritia*, præsertim in Principibus, & Rempub. gubernantibus; habere enim quæstui Rempub. non modò turpe est, sed sceleratum & nefariū. Et sanè, vt inquit Iustinianus in sua Lege, quæ Græcè conscripta adhuc extat, pecunias ex Magistratibus colligere, omnis iniquitatis & iniustitiæ principium est & finis; nam, quia necesse est, vt, qui emit, vendat: ideò illi, qui pecuniā honores adepti sunt, quæstui student, & omnia venalia habent, vt lacunas suas, emendis dignitatibus exhaustas explere iterum possint. Atq; ita Princeps ansam & occasionem omnis generis maleficii præbet, quam tamen summo studio præcauere debebat: Sicut Lampridius Alexand. Seuerum dixisse scribit: *Ego non patiar mercatores potestatum, quos si patiar, damnare non possum. Erubesco enim punire illum hominem, qui emit &*

lib. 1. c. 9.

lib. 2. c. 11.

2. Offic.

Arist. 2. Pol.

In eius vita.

vendit. Et ſunt aliorum quoque laudatiſſimorum imperat. exempla, qui voluerunt Magiſtratus conferri gratuitos: vt de Alexio Angelico refert Nicetas libro 2. qui initio proclamari iuſſit, *Magiſtratus ſeſe non venditurum*: Et de Anaſtaſio ſcribit Theod. lector libro 2. collect. quòd Magiſtratus antea venales gratis contulerit. Extat & conſtitutio Zoæ orientis Imperat. ne Magiſtratus venderentur, vt antè ſolebant, quam collectam per Bonfidium, Titulo περὶ τοῦ ἀπρατήτους τὰς ἀρχὰς γίνεσθαι, *de non venden. Mag.* teſtatur Tholoſ. de Repub. lib. 4. cap. 5. Rectè igitur Saluſtius: Magiſtratus ex virtute, non ex pecunia creentur; neque enim regnis & regibus eiuſmodi nundinationes proſunt, aut lucri quid habent, cùm iniuſta ſint. Grauiter Comicus inquit: τὸ κέρδος ἡγοῦ κέρδος ἂν δίκαιον ᾖ: *Lucra eſſe lucra credito, ſi iuſta ſint.* Iniuſta autem eſſe teſtatur Philoſophus, cùm ea dicit iniuſtè fieri, quæ per auaritiam committuntur. Hinc etiam ſoluitur illud, quod de Veſpaſiano, Ludouico XII. Galliæ Rege, & aliis alioqui ſatis laudatis Principibus ſolet adferri; neque enim ea probanda ſunt aut imitanda, quæ illi præter æquum fecère, inquit Danæus lib. 6. cap. 5. Et poteſt Ludouicum Regem hoc quoque excuſare, quod Bodinus dicit lib. 6. cap. 2. Mercaturam honorum & Magiſtratuum, qua nihil turpius, nihil deteſtabilius, nunquam niſi extremis temporibus tolerari poſſe, vt ſaluti Reipub. conſulatur: vbi etiam adducit exemplum Venetorum, qui neceſſitate adducti, honores & imperia proſcripſerunt. Concluſionis loco verba Duareni, Iuriſconſulti præſtantiſſimi, aſſcribere placet, quæ extant *cap. 3. de benef.* O turpem notam, inquit, horum temporum, quotus quiſque abſque pretio, eoque ingenti, ad vllum magiſtratum in Repub. noſtra prouehitur? Itaque vix vllus hodie reperitur commendatione virtutis & doctrinæ vllo honore auctus in Repub. & cui idem verè dici non poſſit, quod Caium Cæſarem Syllæ quondam obieciſſe ferunt; Cùm enim Sylla indignabūdus Cæſari, ſua ſe in illum poteſtate vſurum eſſe, diceret, ridens Cæſar, *Rectè*, inquit, *tuum putas eſſe Magiſtratum, quem tuis pecuniis comparaſti.*

Tholoſ. l. 4. c. 5. De Rep. ordinand.

5 *An*

§ *An discordiæ inferiorum Magistratuum tollendæ?*

Non dubitamus, aliquem inter eos dissensum, & in sententia dicenda, diuersitatem plurimum prodesse Reipub. Verissimum enim est, quod Artabanus apud Xerxem Regem Persarum sentit, nisi diuersæ dicantur sententiæ, meliorem non posse eligi; pluribus autem dictis, tanquam aurum purum licere diligere, quod enim per se discerni nequeat, cum altero comparatum discerni potest, Herod. lib. 7. Ita quoq; existere in eadem Repub. non per omnia, & ingenio & oratione similes, sed faciles & graues, comes & tristes, seueros & leues, Appios & Puplicolas, Catones & Cæsares, vtile est. Vt enim in fidibus, si nerui omnes similem sonum ediderint harmonia nulla, sed ex dissimillimarum vocum moderatione concentus congruens & concors efficitur: Ita ii, qui ad consilia publica adhibentur in rebus deliberandis, moribus ac iudiciis comparati sint, vt in eundem omnes scopum, publicum videlicet bonum collimenτ, longè certior clariorque rerum & causarum veritas ex illa dissimilitudine sententiarum, & veluti concordi discordia emergit, quam si absque vlla varietate omnes idem sentiant, quæ sententiarum discrepantia in Reipub. salutem tendit, sicut Tull. Host. Roman. rex, Metio Suffetio Albanorum dictatori discidia exprobrāti respondisse fertur; vt est apud Antimach. Theor. 30. Et Bodin. lib. 4. cap. 5. Verum quemadmodum cauere Princeps debet, ne vnius ex ore omnes sapere cogantur; ita maximoperè idem curare debet, ne illa consilii publici discordia sit pertinacior & diuturna, sed moderata, & quæ sese intra sententiæ rationisque fines coërceat, vtque omnes simultates ex odio, ambitione & rancore quodam animi ortæ vitentur. Quia enim Magistratus res est non leuis ac vulgaris, sed magna, excellens, χρῆμα ἱερὸν, ideò dabit operam Princeps, vt eũdem omnes vnà qui gerunt religiosè, amentur & colantur, non verò irritentur; neq; enim maior honos est, quo afficitur Magistrat⁹, quā si pax, amicitia, cōcordia cū collegis colatur.

Et certè Reip. dignitas & salus, ex mutua ciuium inter se & cum Principibus beneuolentia existit, sicut idipsū simili ab humano corpore sumpto probat Bodinus, loc. cit. ea autem minimè speranda est, si magistratus ipsi, quos ciuium concordiam & charitatem exemplo suo alere decuit inter se dissideant, à quorum odiis factiones & discordias, ciuiliaq; bella oriri & erumpere nouimus; quæ ingentium cladium, & vltimi exitii prænunciæ sunt, & populos semper mersere potentes, vt canit Lucan. 1. Id quod infinitis exemplis, quæ passim apud Autores extant, comprobari potest. Nihil igitur, vt inquit Patrit. lib. 6. de Rep. melius Reip. quàm vnio, nihil perniciosius, quàm diuisio, quæ ciuitatem euertit, & hostibus delendam exponit; quia infirmum redditur omne quod dissidet. Id quod & S. literæ testantur, vt videre est Matth. 12. 25. Accedit autoritas prudentiss. Politicorum, qui omninò discordias potentium componendas, & è medio tollendas censent. Quod facit Arist. lib. 5. Pol. c. 4. addita nimirum ratione, quia trahant ad se, & in partes vniuersum etiam populum. Plutarchus etiam in Polit. Potentium, inquit, discordias protinus dirimere oportet; nam tum seditiones inualescunt, cùm inter Reipub. Principes agitantur. Sed hîc obiiciat nobis aliquis, illas partium offensiones Regibus non vtiles esse, patefieri hac ratione omnia consilia; nihil esse, quod non efferatur ad Regem, qui discordiarum adminiculo subditis „ commodius etiam vti tempore pacis poterit. Quibus „ respondet Comin. lib. 6. 13. his verbis: Facilè patiar, vt „ Princeps adolescens eiusmodi simultates inter nobiles „ mulieres suscitet; ita enim habiturus est ridendi, & sui „ oblectandi materiam, & omnia earum arcana nudabit: „ Verùm alere discordias inter homines, præsertim Prin- „ cipes & magni animi viros ita periculosum est, vt nihil amplius esse possit. Hæc ille; qui enim à se alienatum Principem putant, nouas incipiunt tentare amicitias, & illis libenter se coniungunt, quos dissidere arbitrantur ab eo, quem sui aduersarii partes tueri vident, atque ita, vt cum Liuio loquar, externo potius se applicant, quam ciui cedant, cuius periculi magnitudinem demōstrare possunt factiones illæ Aurelianæ, & Burgundicæ familiæ

familiæ (ante annos pænè ducentos natæ) ex quibus bellum ortum per ſeptuaginta annos durauit, cui permiſti Angli tertiam propè partem occuparunt, ita vt non poſtremam hæc eſſe Tyranni notam, *ſi factiones inter ſubditos foueat*, rectè Antimachiauellus dicat. Nihil enim Princeps diſſidiis inteſtinis opus habet, ſi prudens ſit, & judicia iuſtè exerceat. Nec obſtat illud Demoſthenis, diffidentiam ciuitates reddere tutiores; concedimus enim, verum id eſſe, ſi non ſit ciuium aduerſus ciues, ſed ciuium aduerſus peregrinos & hoſtes. Domeſtica enim ciuium certamina, vt teſtatur Liuius, fuere eruntq; pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbive. Vnde etiam Politici diligenter monent, tenendos eſſe Principi modos, quibus diſſenſiones & diſcordię tollantur, vt videre eſt apud Iunium part. 1. q. 24. vbi inter alios hunc quoq; addit, vt nimirum odium, ambitio & ira cohibeatur, quæ etiam prudentes perdit, & ſæpè truces inimicitias, ac funebre bellum gignit: deinde vt naſcētia iurgia ab initio ſtatim, & in ſemine cōprimantur; ſicut etiam Ariſtoteles monet 5. Polit. cap. 4. & ſi quæ ſint ex priuatis cauſis orta, publicè deponantur, cuius rei exemplum eſt apud Valer. Maxim. libro 4. cap. 2.

6 *Sintne vni plura officia imponenda, magiſtratus plures committendi?*

Prauum, inquit Ariſtoteles, videri poteſt, plures magiſtratus ab vno homine geri; addit rationem, quia vnicum ab vno optimè perficitur opus. Et lib. 4. præclarè inquit; εἷς πρὸς ἕν, quique vno eoque ſingulari munere ſit contentus. Nam ſi Magiſtratus ſit publicum officium ciuitatis, quo quis ex priuata conditione ad commune procurandum bonum, publica perſona fiat, nemo ſapiens exiſtimet, ſe poſſe ſimul Æneam & Hectotem, Capiens exiſtimet, ſe poſſe ſimul Æneam & Hectorem, Catonem & Scipionem in theatro ciuitatis agere. Nam inter togam & bellum quæ vnquam communicatio fuit? Quoniam ergò omne publicum officium in Rep. integrum & iuſtum requirit virum, iniquè comparatū eſt, ſi pluribus officiis oneretur. Tanta enim eſt humani ingenii imbecillitas, vt vix ac ne vix quidem vni ſoli muneri

c. 11. lib. 2. Pol.

Caſ. lib. 2. c. 9.

omnibus in partibus rectè, atque vt oportet, sufficere possimus, nedum, vt vnus quispiam par esse possit pluribus subeundis; quod si facere quis hoc conatur, in singulis deficiet, ita, vt in nullo egregius euadat: Subscribente etiam Philosopho lib. 2. & 4. Et Plat. de Repub. 2. Duas enim res magnas, vt ait Cicero Philip. 12. non modò agere vno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest. Nec sine pernicie Reipub. fieri potest, vt vnus idemque pluribus magistratibus vtatur, cum omnis functio publica magnis & multis difficultatibus sit implicata. Officia etiam & munera distincta, distinctos habent magistratus, vt ædilitas & prætura. Ergò etiam inquit Casus citato loco, distinctas personas istis officiis præfici par est; nam aliter periculosa magistratuum in ciuitate erit confusio. Aristoteles etiam hanc addit rationem, sumptam à simili naturæ conditione. Natura, inquit, non vni omnia, sed singulis distincta dat officia; Soli, vt luceat; igni, vt ardeat; aquæ, vt humectet, &c. Idem quoque fecisse legitur Rex Salomon, lib. 1. Regum cap. 4. vers. 2. & seqq. Et Augustus Cæsar, eatenus plures ad Rempub. admouendos esse censebat, vt in eius vita scribit Suetonius, ne plura officia vni & eidem committerentur. Inde enim mala & incommoda publica plurima oriuntur; officia negliguntur; corrumpuntur iudicia; introducuntur multi vicarii, qui pestes sunt Rerumpublicarum, vt patet ex Aristotele lib. 2. Polit. cap. 9. Et Simanca lib. 9. de Repub. cap. 30. Via etiam præcluditur conscendendi ad honores idoneis, dum vnus plurium vices vel honores occupat; ac ita Principi depereunt boni & strenui, qui aliò sese conferunt, dum vident, in vnum solum honores conferri; vel etiam simultates & seditiones in regno oriuntur, quibus nulla maior labes est. Itaque & Leges ciuiles multitudinem Magistratuum ac officiorum prohibent, sicut expresse hac de re extat Lex Iust. *lib. 1. cap. tit. 51. de assess. & dom.* &c. Et in *l. 8. lib. 12. Cod. Iust. tit.* 34. prohibetur, ne quis duplicem habeat militiam, id est, (vt quidem Danæus explicat) Magistratum. Ex his igitur, quo iure, quâ lege, quo exemplo maiorum fiat, vt vni plura officia demandentur, iudicandum est. Romani, Macedones,

lib. 2, c. 9.

Cap. 37.

Thol. lib. 4. c. 6.

Macedones, Lacedæmonii hanc legem tulerunt, vt nemo duobus simul fungeretur officiis. Est enim plus oneris in vno, quàm vt quis rectè subire ac sustinere possit. Et licèt πολυπράγμονες, qui simul plura officia arripiunt, initio placeant, & nonnullis admirationi sint propter industriam, tamen oritur post tædium, ac reditus fit ad singulos, nec possunt immunes ac liberi esse à reprehensionibus; sicut accidisse testatur Plutarchus de Repub. gerenda Metiocho cuidam, omnia agere volenti; de quo illud Athenis ciuium sermone circumferebatur: *Metiochus exercitum ducit, Metiochus vias curat, Metiochus farinam tractat, Metiochus cunctis alius praeest, Metiochus itaq; plorabit*; qualis plerumque illorum exitus esse solet, qui temeritate vel ambitione quadam omnia agere volunt. Pulchrè concludit Casus: Hæc, inquit, scripsi, non, quòd non existimem esse quædam miracula ingenii, rationis & experientiæ, quibus fauor Principum ac ciuitatum plures Reipub. claues ac Magistratus iure potest committere, sed quoniam tales inter homines Phœnices sunt, vt illis, qui plurimis defunguntur officiis, inuidere non debeo; ita plures vni dignitates concedi posse definire non audeo. nam vt in altero par est, vt sceuolæ & oracula ciuitatis multis & magnis Reipub. luminibus illustrentur; ita in hoc semper tutum nō est, vt Aquilis & potentioribus viris claui & chartæ multarum nauium committantur; Aquilæ enim, pennis vltra nubes vecti, sæpè in solem volare nitentur. Sed altera hîc oritur quæstio: *Vtrum igitur felicior Respub quò plures habet Magistratus inferiores?* Et respondetur, modum & numerum Magistratuum esse definiendum, pro modo scilicet imperii, neque studendum esse, vt quam plurimi sint in Repub. Magistratus, sed vt quam commodissimè & optimè gerant Remp. ii, qui erunt necessarii.

7 *An itinera & portus patere debeant etiam Turcis & infidelibus?*

Non minus prudenter sensit, quàm scitè dixit Laurentius Medices, Princeps Florentinus; *Mercaturam esse caput, vnde robur & nerui manant in Rempublicam*, vt

refert Brutus lib. 8.hist.Florent. Id quod inter alios latius probat Bodin.lib.3.c.8. Quia enim non omnis fert omnia tellus; Et plerumque accidit, vt, quod alteri superest, alteri deest: sicut dicit *lex 1. lib. 8.ff.de contr.empt.* Ideò commercium veluti generale quoddam, & necessarium humanæ inopiæ subsidium repertum est, vt quæ præstò non habentur, aliis & quidem iis ex regionibus petantur, in quibus abundant; quæ verò superflua sunt, iis communicentur, quæ eis indigent. Hinc fit, vt amicitiæ cum externis Regibus, Principibus & Rebusp. contrahantur, & multarum rerum vsus atque experientia comparetur, vt est apud Plutarchum in vita Solonis. Itaq; mercatores & negotiationes regno vtiles & necessarias esse concludimus, reiicientes eorum omnium sententias, qui pleraque de abusu dicta, de vero commerciorum vsu intelligi volunt. Cæterum quæritur à nonnullis: *An etiam concedendum sit, vt Turcæ, Saraceni, Iudæi & similes in Repub. liberum commercium habeant.* Et responderi potest affirmatiuè ex eo, quòd ius commerciorum inuentum sit propterea, vt essent legitima media, quibus homines etiam ex remotissimis vltrò citroque communicarent necessaria vitæ præsidia, vt apparet ex *l. 5. D. de Iust. & Iure, & l. 1. suprà citata.* Id quod & S. literæ etiam testantur. Nehem. 13. 2. Chron. cap. 1. vers. 16. cap. 8. 9. &c. aut ergò commerciorum vsum tollamus, aut illis liberum aditum præbeamus necesse est. Et quia Principis est curare, vt omnes ditionis partes diuitiis abundent, & sint quàm plurimæ opulentæ domus, quibus ad tuendum & amplificandum regnum nihil est aptius: ideò liberrimam & commodissimam in regno suo mercaturam permittere oportet; ex ea enim omnium rerum copiam prouenire nemini dubium est. Id quod perspicuè etiam Antimach. probat, Theor. 32. Neq; absque causa commerciorum priuatio inter calamitates & pœnas publicas numeratur; quia egestas subditorum inde sequitur, quâ deinceps ipse Princeps inuoluitur, vt necessaria regiminis subsidia habere non possit. Itaque aditum liberum omnibus Princeps permittere potest, si has cautiones adhibuerit: 1, ne leges Politicas mercatoribus à Rep. positas violent. 2, ne impias suas superstitiones ex-

Arist. 6. Pol. c. 4.

nes exerceant, quicquid contra ab Amasi Ægyptio rege, sed profano fuisse constitutum Herod. lib. 2. scribat. 3, ne ea, quæ nobis sunt necessaria, illi auferant, seq; illis contra nos arment. 4, ne regionem explorent, aut etiam bonos ciuium mores corrumpant; ideò certa illis loca esse constituenda monent Politici, & inter hos Aristot. lib. 7. c. 6. Xenophon lib. de prouentibus. Adde Danæum lib. 4. Polit. c. 2.

8 *Vtrum Magistratuum aut Nobilium statui conueniat mercaturam exercere?*

Anxiè id in Politicis semper quæsitum fuit. Dum quidam statui Magnatum & Nobilium immoderatius fauentes sentiunt, permissam iis esse negotiationem hoc argumento: *Quod Magnates non debeant esse deteriori conditione, quàm plebei.* Et adferunt exempla primò Reip. Romanæ, in qua Equitibus mercaturam non fuisse vetitã argumento dicunt esse illud Ciceronis in Verrem; vbi inquit: *L. Pratius splendidissimus Eques Romanus, qui Panormi negotiatur, & Q. Mutius Eques Romanus, qui Syracusis.* quemadmodum etiam ex alio quodam Ciceronis loco Bodinus lib. 3. c. 8. deducit, Senatores à mercatura non abstinuisse. Deinde recentia exempla Hispanorum, Italorum, Ducis Florentini, Anglorum, &c. quibus in more positum est, vt vel ipsi mercaturam exerceant, vel institores etiam habeant. Contra alii non minora argumenta aut testimonia producunt; & inter reliqua quidem hoc est firmissimum; quòd nempè dicant, distinctionem conseruandam esse inter subditos Principis; ita, vt alii sint dignitarii & beneficiarii atque adeò tales, qui cùm singulari honore in Repub. instar publicarum personarum viuant; alii vero sint priuati, qui œconomicum acquirendi genus sectentur, atque adeò ex lucro & quæstu vitam ducant. Ad quod argumentum sapienter quondam respexit Poloniæ Rex Sigismundus, quando nonnullis nobilibus petentibus ius negotiationum respondit: Oportet me in regno habere triplex genus hominum: nempe rusticos, qui agrum colant; Mercatores, qui necessaria importent & exportent: & denique Nobiles, qui me & patriam defendant; quæ

defensio patriæ, cum per se ardua sit, & simul cum aucupio quæstus & lucri vix consistere possit, nolim generosa pectora patriæ defendendæ nata mercatorum negotiis implicari; aut si hoc cupiant, permittant mercatores in suum locum succedere, & patriæ defendendæ curam suscipere; quod quidem, quia nobiles facturi non sint, idcircò mercatoribus suum statum permittant. Extat etiam epistola M. Aurelii ad Cincinnatum Equitem Romanum scripta, in qua eum à mercatura grauissimis adductis argumentis dehortatur. Accedit autoritas & testimonium iuris ciuilis, in quo expresse prohibetur, *ne nobilis mercaturam exerceat*, quòd inter plebeios hæc ars sit exercenda. Sicut dicitur *l. Nobilium* 3. *libro* 4. *capite de commerc. & mercat. tit.* 63. Nobiliores natalibus & honorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores perniciosum vrbibus mercimonium exercere prohibemus, vt inter plebeios & negotiatores facilius sit emendi vendendique commercium. Et *l. milites, qui à Repub. C. lib.* 12. *de re mil.* idem continetur. Apud Romanos Senator nauem onerariam habere prohibitus fuit; quia, vt inquit Liuius, *quæstus omnis patribus indecorus visus est*. Gallorum etiam & Germanorum legibus nobilitati mercaturam exercere non licet, aut si mercator esse volet, inter ærarios ac plebeios censetur, quemadmodum id refert Bodinus libro 6. capite 2. Cæterum pro decisione huius controuersiæ hæ limitationes ordine obseruentur: 1, Quando dicitur, *Nobiles non debere esse mercatores*, non ita accipiendum est, quòd nobilibus interdictus sit contractus emptionis aut venditionis, vtpote qui est iuris gentium. Et sanè licet nobili ea, quæ necesse habet, ab aliis emere, licet etiam eidem vendere ea quæ in prædiis nascuntur. In hoc enim & Imperatoribus & Regibus Israël mercatores & negotiatores proprios velut officiarios fuisse, ex l. 1. *de commer. & merc. libro* 4. *C. tit.* 68. *Et libro* 2. *Paralipom. capite* 1. *vers.* 16. probat Tholosan. libro quarto de Repub. capite septimo. 2, Licet nobili emere, vt vendat per contractum negotiationis (vt sic loquar) emergentis. Exempli causa: Si frumentum suum nobilis

ad emporium deuehat, & in emporio pecuniam à mercatore non accipiat, sed aliam aliquam mercem; exempli gratia: haleces, vtique licet ei istam mercem iterum vendere, vt pecuniam conficere possit. Item, si alius nobilis nolit frumentum suum deuehere, sed cupiat alteri nobili id vendere, vtique licitum est illud emere, vt postea vendat: sic equos generosos, vinum, boues, & alia si nobilis aliquis peregrè emerit pro sua familia, & fortè postea non omnibus, quæ emit indigeat, licet aliis vendere, quæ vt diximus, vocatur *negotiatio emergens* siue *extraordinaria*. 3, Mercaturam ordinariam nobili exercere nõ licet, id est, talem cum aliquid emitur, eo fine vt vendat, & isto quæstu viuat. Eam enim plebeis tantum esse attributam magnifice sensit Theophilus Imperat. Constant. vt citante Tholosan. refert Zonaras. Et quemadmodum distincti subditorum sunt status, ita eorum distincti debent esse acquirendi modi, nec concedendum vt potentiores priuatorum impediant lucra. Sic vt vel ob hanc solam caussam Cæsares lege latâ nobilibus negotiationes interdixerint. 4, Etiam discernendum est inter nobiles tales qui virtute bellica, atque adeò primario dicta nobilitate florent, & inter alios nobiles qui hunc titulum alio quodam modo acquisiuerunt, quales sunt multi in Italia, Hispania, &c. 5, Denique discernendum est inter mercaturam summariam & splendidam, & inter mercaturam sordidam, de qua distinct. monet Bodinus, cap. 8. libro 3. Iurisconsulti, inquit, plerique negotiationem rerum omnium affluentia copiosam nihil nobilitati derogare tradunt, id quidem fortassis in Britannia, Italia, Lusitania, locum habet, non etiam in Gallia nec in Germania. Illud tamen vbique verum est quod Cicero scribit, sordidos iudicari qui mercantur à mercatoribus, & qui eodem loco ac momento quo emerunt, vendunt. Quamobrem prudenter illi quidem, qui non modo nobilitatem, verum etiam Magistratus ac milites negotiari vetant, ne mercaturæ specie sordibus ac rapinis aditus aperiantur; nec ferendum est, vt qui per sese

lib. 4. c. 7.

non poteſt, ſeruorum ope ac miniſterio fraudem legi faciat.

9 *An quoddam monopolium ſit licitum?*

Monopolium non tantum eſt priuatum & ordinarium, quod à mercatoribus, architectis, aliiſq; artificibus exerceri poteſt, cum magno tamen reliquorum ciuium damno, verum etiam extraordinarium & publicum; atque adeò tale, quod principes ciuitatum, ob publicam vtilitatem & Reipublicæ ſalutem tempore neceſſitatis inſtituunt. Et hoc ſolum modo eſſe legitimum & licitum, exemplo Ioſephi vendentis frumentum in Ægypto probatur: cui & ratio addi poteſt non contemnenda, quod principis officium ſit, quã diligentiſſime rem frumentariam curare, ac mature prouidere ne quid earum rerum deſit quæ ſunt neceſſariæ; nam vt olim dixit Aurelianus, *nihil ſaturo populo poteſt eſſe lætius*: vnde Traianus magnis à Plinio laudibus extollitur, quod vrbem in penuria frumenti annonæ affluentia ſubleuaſſet: nec ab hac laude fuit alienus Pertinax, qui annonæ, vt ait Capitolinus cõſultiſſime prouidit. Deinde cum Reſpublicæ & Principes pecuniarum laborant penuria, licèt eis diuitiis legitimis mediis inhiare & ad tempus imperium maris retinere, quo Reſpubl. fiat ditior & rebus neceſſariis non deſtituatur, modo id fiat abſque ſubditorum iniuria & damno: hoc enim eſt quod Bodinus dicit: Ego verò, Si ſtatuendum mihi ſit, principem mercatorem nolo: Sin optio detur, mercatorem malo quam Tyrannum: vbi adfert exemplum Regis Luſitaniæ, qui cum anguſtiſſimis regni finibus coerceretur, nec iura ſuæ Maieſtatis ſatis commodè tueri, ne ſubditos rodere vellet, mercaturam abundantiſſimam & quæſtuoſiſſimam ſine contumelia & maximo Reip. commodo exercuit, & addit ibidem Bodinus, quod in ſinu Perſico & in ipſo regis Perſarum conſpectu arcem munitiſſimam fundauerit; qua nauigantibus nec commeare nec remeare, niſi ſoluto vectigali, non licet. Salomonis etiam exemplum nemini poteſt eſſe obſcurum, qui negotiatione nautica diuitias ſibi peperit amplissimas;

Gen. c. 41.

Cic. Off. lib. 2.

in Paneg.

In vita.

lib. 6. c. 2.

1. Reg. c. 9. 10.

plissimas, & monopolium exercuit non auaritiâ motus, sed vt sumptus necessarios ad regni administrationem compararet, citra tamen onera & iniuriam subditorum, vt probat Pet. Martyr in comment. qui hoc ius monopolii Salomoni, à Pharaone concessum, ac propterea nec Ægyptiis, nec exteris obfuisse eum asserit. Ex his tamen omnibus malè concluditur priuatis monopolium concessum esse. Vnde etiam expressa Lex in Codice extat, vt is, qui monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis spoliatus, exilii perpetuitate damnetur. Nec desunt animaduersionis huius rationes: Nam magna, inquit Iunius, in Republica Tyrannis est rerum ad vitam sustentandam necessariarum vsum à paucorum nutu & arbitrio pendere; deinde nocent Reipublicæ, qui sic monopolia instituunt; nec malè Plato, non cuique concedendum esse, scribit, vt immensas diuitias cumulet, secus qui fecerit huius opes fisco adiudicandas esse. Sunt alii, qui permittendum negant, vt quiuis quouis modo ditescat & opes accumulet, quēadmodum videre est apud Arist. Pol. c. 5. Et Casum eodē loco Sph. ciuitatis.

lib. 4 tit. 59.

part. 3. quæst. 102.

lib. 5. De leg.

10 *Quid de artificibus & agricolis sentiendum?*

Cicero opifices omnes in sordida arte versari, & officinam nihil ingenui habere dicit. Id quod & illi affirmare videntur, qui singularem Rempublicam & ideam spectant. Rusticam etiam rem sordidum esse opus, & nullius præceptoris magisterio egere, apud Columellam legitur: Verùm non ita simpliciter & absolutè hæc intelligenda esse monent Politici, sed in comparatione & respectu quodam, artium videlicet liberalium & virtutis. Nam Mechanicas artes Cassiod. *Decus vrbium* appellare minimè veritus est; nec pauci etiam Reges inuenti sunt, qui artificia & opificia tractarunt. Demetrium enim Regem Asiæ in machinis bellicis conficiendis excellentem fuisse Plutarchus autor est, Neronem in pingendo satis felicem prædicat Sueton. Et Gambriuium Thuisconum Regem primum decoquere

lib. de Offic.

1. de re Rust.

Casus, Danæus.

Cass. lib. 15. var.

In vita.

cereuisiam docuisse Gassar. in Epitome Chronici tradit. Neque turpis agricultura iudicanda, cui operam sanctissimi & nobilissimi viri dederunt. Patriarchæ coluerunt terram, & Saul electus Rex ab agro veniebat. Romæ Cincinnati, Fabricii, Serrani, Catones, Stolones ab aratro ad Magistratus vocabantur. Alexander ab Alex. & Bodin. lib. 3. c. vlt. Non tantum igitur laudabiles & honesti censendi, verùm etiam in omni bene constituta Repub. ferendi, fouendi, & præmiis etiam ornandi sunt, ob artium nimirum, quas exercent, summam necessitatem & vtilitatem. Necessitas quidem ex eo apparet, quòd multis & variis instrumentis vita ciuilis opus habeat: iis autem parandis inseruiunt artes & earum cultores, nec instrumentis tantum, sed & alimentis hæc vita indiget, sine quibus nec esse quidem possit. Igitur & agricolas necessarios esse, qui ciuibus ad vitam necessaria comparent, rectè concludit Plato libro septimo de Repub. Pulcrè Cicero: Quid memorem, inquit, artium multitudinem, sine quibus vita omninò nulla esse potuisset? Quis enim agris subueniret? quæ esset oblectatio valentium? quis victus aut cultus corporis, nisi tàm multæ nobis artes ministrarent? Et est earum artium tàm arcta & tàm necessaria coniunctio, vt nulla absque alterius ope quidquam perficere possit. Quemadmodum pulcro id exemplo ab agricultura desumpto probat Tholo. Et elegans est carmen Cyri Theodori in amicitia exsultante de necessaria artium coniunctione:

Gen 9.
1. Reg. 21.
lib. 3. c. 11.
Arist. lib. 7. c. 8.
lib. 4. c. 9.

Homines sociantur per me artibus suis:
Nam quærit ecce fullo calcearium.
Equitum magistro gratus est freni faber:
Agrum colenti Mechanicus coniungitur.
Breuiter habeto: qualibet ars cuilibet,
Piscator omnis indiget re rustica;
Eget piscatore rura qui colit,
Ille panes dans, ipse pisces accipit:
Sic omnis opifex quærit alterius opem,
Hic deniq; modus ciuitatem promouet.

Vtiles esse rusticos & agricolas nemini dubium est; siquidem

Siquidem agricultura nihil est melius, quæ non tantum animo inseruit, corpori prodest, sed etiam fortunis & facultatibus commodat, quibus si indigemus, curam habeamus pinguis agri; quia agri ferunt copiæ cornu esse, vt monet Phocylides. Ex agris etiam strenuos ac fortes milites prodire, Cato de re rustica testatur. Opificum etiam solertia & copia facit, vt ciuitas aduentitiis institoribus minus egeat, sed sibiipsi omnia administret, quæ in pace ac bello vsui esse possunt, quin etiam exteros ad ciuitatem allicit, eamque ampliorem & ditiorem reddit. Contra vt Eccles. inquit, neglectis artibus nulla vrbs colitur, neque habitatur, neque aduentu hominum frequentatur, quod exemplo Thespiensium probat Tholosan. l.4. cap.9. Vnde Aristoteles inter partes Reipub. non postremas opifices recenset. Nec desunt exempla eorum, qui semper artifices magnifecerunt, eosque priuilegiis & immunitatibus donarunt. Vespasianus, vt refert Suetonius, magno precio architectos Romam vocauit, impense fouit, & amauit artes. De Selimo I. Turcarum Imperatore testatur Boterus, eum mille artifices primum ex vrbe regia Belgrado, deinde ex potentissima vrbe Cairo Constantinopolin accersiuisse. Alexander Seuerus, vt annotat Lampridius in eius vita, artifices omnes amplissimis præmiis ac stipendiis est prosequutus. Apud Indos etiam opifices & agricolas immunes fuisse, & frumentum è regia aula accepisse legimus, apud quos etiam capitale fuit agricolas lædere, Diodorus Siculus lib. secundo. Ex Sacris literis constat, Deum artifices Beselielem & Ooliah singulari priuilegio ad ornandam suam arcam & tabernaculum instruxisse. Et in iure habetur lex Constant. de excusationibus artificum, quam etiam citat Iunius parte 2. quæstio. 60. Sic igitur statuendum est, Magistratum opifices & agricolas singulari cura fouere, & illis sua iura, priuilegia concedere & seruare debere, operamque dare, ne a quoquam potentiori lædantur. Et licèt agricolæ priuilegiis sæpè indigni videantur propter malitiam & fraudes, nihilominus tamen, inquit Tholosan. propter necessitatem alimentorum in Rep. opera rustica sunt fauorabilia, quæ si impediatur,

Cic. 1. Offic.

Patrit. in l. 1. tit. 8. inst. Respub.

Pol. 2. c. 5. & 9.

In vita.

l. 8, c. 5.

cap. 10.

Exod. 31.

in Cod. tit. 64.

c. 8. l. 4.

& caritatem & penuriam annonæ possunt & famem inferre. Sed quæri hoc loco solet, *an illiberales & sordidæ artes in Repub. sint admittendæ?* Sordidas verò hoc loco intelligimus, vbi in opere faciendo multum sordium & fuliginis artifex contrahit. Illiberales ii nominantur, qui illiberali mercede victitat: vt sunt mercenarii, quorum opera, non quorum industria emitur. Et respondemus cum Danæo, Patritio & aliis Politicis, hos, qui parant ea, quæ vsui nobis sunt, & sine quibus minus commodè vliuitur, non modo tolerandos, sed inter honestos ciues censendos esse, & si quod est in illis artificibus vitium, tollendum. Voluptatum autem ministros, & eos, qui artes ludicras atque inanes, quæque nullam hominibus vtilitatem adferant, exercent, penitus tollendos esse. Id quod etiam Castellanus monet libro 3. cap. 28.

lib. 4. c. 2.
lib. 1. tit. 8.

II *Sitne nautis certum tempus constituendum, in quo a nauigatione quiescant?*

2. Chron. 8. v. 20.

Nauticam rem in ciuitatibus & institui & retineri posse, vel ex ipsis S. literis manifestum est; ad parandas enim opes, ditandam Rempub. & alios infinitos vsus est aptissima: Vt autem cum insigni aliquo emolumento exerceri possit, maxima ratio habenda est temporis, quod longa experientia constet, temeritatem nautarũ, intempestiuè nauigantium, sæpe magna damna, non solum ipsis nautis, verùm etiam toti Reipub. attulisse: idcirco & Politici certos menses præfiniunt, quibus nautis permittendum sit nauigare. Sicut inter alios Vegetius lib. 4. Ex die 3. Id. Nou. vsque ad diem 6. Id. Martii maria clauduntur; nam lux minima, nox prolixa, nubium densitas, aëris obscuritas, ventorum, imbrium vel niuium geminata sæuitia, non solum classes a pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat. Et veteres quoque hyeme à nauigatione quieuisse, ex illo Horatii patet:

1. lib. Carm. Oda 4.

Soluitur acris hyems grata vice veris, & Fauoni:
Trahuntq; siccas machinæ carinas.

lib. 4. c. 5.

Tholos. in libello, cui titulus *præludia optimi ICti*, ex iure citat, quòd Gratianus Imperator censuerit tutam nauiga-

nauigationem esse à Calendis Aprilis, vsque ad Calendas Octobris. Quod Imperator. iudicium etiam Hollandi hactenus obseruasse videri volunt, dum soluendi facultatem nautis palam non permittunt ante Calendas Aprilis.

12 *Quis situs vrbis esse debeat?*

Monent Politici omnes, vt ad instituendam communionem vrbanam talis designetur locus, qui perpetuus esse possit, ne necesse sit vrbes de loco in locū transferre. Ad eam autem perpetuitatem tria videntur requirere; salubritatem nimirum, commoditatem & fertilitatem. Salubritas consistit in Elemento aëris & aquæ. Aër enim si purus est & tenuis, spiritus omnes tam vitales quàm animales fouet; contra si crassus, cor ipsum suffocat, vt est apud Galenum in method. med. cap. 14. lib. 9. Vnde istæ laudantur vrbes, quæ in loco excelso sitæ sunt, hunc enim minimè nebulosum aut pruinosum esse testatur Vitruuius de archi. lib. 1. cap. 4. Et Simianca lib. 1. cap. 4. ventis eum patere dicit, qui aërem purgant & subtilem reddunt. Maximè autem obest vrbi, si stagnis & paludib. sit vicina propter scilicet nebulas & spiritus venenatos bestiarum palustrium. Aquarum etiam salubritas maximè hominibus est necessaria: Nam vt Castell. inquit, plurimos quod aquis malis vsi fuerint, vel absumptos, vel malè affectos esse constat. Vnde Casus in Sphæra ciuitatis: Maxima ergo cura aëris & aquæ in situ vrbis ad prudentem Magistratum pertinet: nam vt aer spiritus viuaciores, ita aqua cibos salubriores, & faciliores concoctu reddit. Illa autem à Philosopho aqua commēdatur, quæ motu est velocissima, aspectu limpidissima, pondere leuissima, concoctu facillima. Veteres, vt est apud Patr. non modo oppida vrbesque condituri, sed & dum castra statiua militum eligebant, factis sacrificiis diligentissimè bidentum exta rimabantur. Et si iecinora liuida vitiosave inueniebant (quoniam de aquæ vitio fieri arbitrabantur) locum quamprimum mutabant. Idem quoque ex corporis figura & lineamentis istorum, qui aquas bibunt, salubritatem cognosci posse affirmat; signum

Vitru. cit. loc.

Lib. 7. cap. 9.

lib. 7. cap. 11.

lib. 7. tit 11.

enim malum ſtatuit Thomas lib.7. cap.2. Si mali coloris homines aut deformes, corpora debilia; pauci pueri, pauciores ſenes inueniuntur. Ex aquis etiam & fluminibus maxima & vtilitas & commodum; ita vt illa vrbs ſit commodiſſima, quæ plurimis aquis abundat, & quidem nauigabilibus. Vnde Patritius optimum ſitum vrbis iudicat, qui non procul à mari abſit, aut à flumine nauigabili, per quod euehi poſſunt quæ ſuperſunt, & aduehi quæ deſunt. Cum quo conſentiunt & alii ſcriptores Politici, vt eſt Ariſtoteles lib.1. Politic. 7. & Thomas lib.1. cap.13. Ad hanc enim exportandi & importandi facilitatem, accedit opportunitas expugnandi hoſtes, itemque delectabilis viuendi ratio. Fœcunda etiam & læta ſit terra, & talis, quæ magnum populum alere poſſit; agrum enim ſicuti nec fœcundiſſimi quidem ſoli, cum ſit inſalubris cœli, eſſe colendum: ita nec effœti, ſi vel ſaluberrimi ſit, Columella dicebat. Num verò ſemper locus fertilis ſterili eſt præferendus, Machiauellus diſputat *in Diſcurſu lib.* 1. *cap.*1. Concluditur autem vitandam eſſe loci ſterilitatem, & fertiliſſimus ager in vrbibus conſtruendis (addimus præſertim mediterraneis) deligendus: vt in eo ciuibus numero auctis, alimenta ſuppetant, potentiaque auctæ huiuſmodi nouæ vrbes omnem externam vim propulſare, atque etiam opprimere queant: pericula autem quæ ex fertilitate oriri poſſunt legibus præcaueri debent. Cæterum quod ad mundi plagas attinet, certum eſt, eas ſalubriter ſitas eſſe, quæ Orientem & Septentrionem ſpectant, ſicut docet Ariſtoteles libro 7. cap.9. Et caſus multis argumentis probat; Primò, ab influentia cœli, quam benignam orientales regiones & vrbes habere, firmis argumentis demonſtrat. Secundò, à ſubtilitate aëris, qui in illis regionibus eſt puriſſimus, quod iter ſtadiumque Solis ſequatur, & eiuſdem radiis optimè temperetur, & craſſis ac fæculentis vaporibus purgetur. Tertiò, à ventorum ſalubritate; venti enim ab ortu Solis ſpirantes ventilant aerem, vapores diſſipant, temperant æſtum præcordiorum, ſpiritus vitales fouent quibus aſſimilantur, calorem impellunt; concoctionem

Marginal notes: tit.12. lib.7. — Pat. l.7. tit. 4.

ctionem iuuant. Quam vtramque rationem verissimam Bodinus comprobare videtur lib.5. de Repub. vbi inquit: " Ventus Orientalis & aëris suauitas effecit, vt, " qui ab Oriente originem traxerunt, oris dignitate ac " forma cæteris præstent. Postremò ab vsu aquæ; quæ, quia Solis viam & radios sequitur, purior facta est, & vrbes per quas fluit, salubriores efficit. Id quod in lib. Meteor. docet Aristoteles. Proximæ igitur his & secundæ sunt vrbes, quæ Septentrionem spectant, à qua plaga mundi Boreas spirat. Rationem etiam addit Casus: Quia Boreales venti aërem purissimum intusque repulso naturali calore concoctionem faciliorem ac celeriorem efficiunt. Australes verò & Occidentales alia his contraria effecta pariunt.

citato loco.

14 *An Princeps ciues notatos ac distinctos habere debeat?*

Principis est virtus maxima nosse suos, inquit Poëta. Et Aristoteles Pol.3. cap.2. & alibi probat, eum qui imperat necesse habere, vt ciues cognoscat, quod pro eorum qualitate & quantitate ciuitas constituenda, & dignitates ac honores tribuendi sint. Deinde ne serui & peregrini in maxima corona, & turba, tanquam ciues latere possint. Accedit exemplum Ægyptiorum, qui, vt scribit Herodotus, in templo Pacis omnium ciuium nomina in tabulis publicis conscripta ac suspensa habuerunt. Vnde præstandum esse, monet Boterus, vt si non omnes, plurimos tamen Princeps cognoscat, sciatque quod nullus mercator in capiendis soluendisq; numis ignorat, quanti quisque sit expendendus. In negantem tamen sententiam multi hoc argumentum adducunt, quod fieri non possit, vt ab vno infinitior ciuium numerus cognosci & distingui possit, ideò nec à Principe requirendum. Sed respondemus; etsi numero ita simpliciter ciues cognosci non possint, non obstare tamen quo minus ordine aliquo cognoscantur, quia enim difficile est, vt rectè Hippodamus Milesius, referente Patricio existimauit, colluuionem quandam hominum vnis mœnibus collectam quietè degere, nisi diuisione aliquâ secernatur; ideò certos ciuium

Cap.4. lib.2.

de Repub. l.8. tit.1.

ordines constituere, eosque distinctos & notatos Princeps habere debet. Id quod Bodinus etiam monet de Repub. lib. 2. cap. 8. Hinc apud varias gentes varios fuisse ciuium ordines testatur Iunius part. 2. quæst. 59. Ad illud autem quod quæritur, *vtrum certus sit definiendus numerus ciuium*, breuiter sic cum Aristotele, Caso, & aliis Politicis respondemus, nec certum debere esse, nec infinitum, sed talem, qui ad benè beateque viuendum sufficiat; certum enim definire variæ mutationes casusque rerum non sinunt: Infinitus autem si sit, non facilè in ordinem redigi poterit.

lib. 2. cap. 4.

15 *Cur ciuitates Princeps amare debeat?*

Aristoteles lib. 1. Politic. cap. 2. hominem naturâ ciuitatem amare probat, tanquam nimirum eam societatem, in qua finis magis est sufficiens ad benè viuendum, quam in pago vel vico: In vrbe enim non tantum quomodocunque homines inter se viuere, verùm & commodissimè & splendidissimè viuere possunt. Ad hanc igitur societatem complectendam sequentes rationes Principem mouere & possunt & debent; 1, quòd ciuitas neruus sit ac fundamentum totius Principatus, quem mirificè excolit & adauget, vt quò frequentiores in regno sint ciuitates, eò ab omnibus prædicetur excultius. 2, Ad iustitiam exercendam ciuitas aptissima est, vtpote quæ mœnibus, vallo & fossis munita, flagitiosos facilius compescere possit: neque vllibi magis & commodius pecuniæ diuitiæque comparentur, quàm in ciuitatibus. Huc accedit, quod tempore bellorum asyla & tutum subsistendi locum præbeant iis, qui metu hostium agros deserere coguntur. Quas causas sane grauissimas ex historiis non foret difficile confirmare, sed sufficiat nobis manifesta illa experientia, quod ea regna Europæ sint florentia & exculta maximè, in quibus vrbes & ciuitates à Regibus & Principibus amantur, & ad florem & incrementum promouentur. Contra verò ea regna, in quibus ciuitates premuntur, ad plenariam culturam peruenire non possint. Hinc sapientissimi quique Principes vrbes semper amarunt, easque securitate, libertatibus & priuilegiis donarunt, vt florentiores & ampliores red-

res redderentur. Sardanapalus Mediæ rex mira celeritate duas vrbes, Anchialum & Tharsum condidisse apud Strabonē legitur. Alexādrum innumeras ædificasse; eam autem, quam suo nomine *Alexandriam* appellari voluit, priuilegiis amplissimam reddidisse, Iosephus autor est. Et citat exemplum Roboami Tholo. lib. 2. cap. 9. qui integras ciuitates quatuordecim munitissimas ædificari curauit. Libet etiam allegare Sigismundum I. Poloniæ Regem, qui eo ipse maximè regno Poloniæ excolendo præclaram operam nauauit, dum vrbes in eo regno auxit & ornauit, prout Herburtus memorabiliter annotat lib. 20. Chron. cap. 9.

15 *Cur continuas habere prouincias Princeps debeat?*

Discontinuatio dominiorum & magnas parit confusiones ac difficultates, & periculosa est tempore belli, propterea quod ea, quæ contrariorum aut diuersorum sunt generum, non facilè ad ordinem aliquem regiminis redigi possint. Contra ea, quæ vnius sunt generis, longè facilius reguntur, & in ordine continentur. Id quod Politici exemplo potentissimorum duorum Regum, Galliæ videlicet & Hispaniarum demonstrant. Galliæ Regis potentiam idcirco magnam & formidabilem esse dicunt; quia regnum Galliæ non ita externis dominiis est discontinuatum, sed omnes eius partes arctè sunt continuatę, & quidem continuatę in circulum, ita vt ab omnibus partibus extremis Galliæ subditi Lutetias tanquam ad regiam facilè confluere necessitatis tempore possint, veluti lineæ à circumferentia ad centrum. Hispaniarum verò Rex, etsi immensis opibus & thesauris cumulatus esse videatur, tamen potentia vix superat Regem Galliæ; & parum feliciter bella gerit etiam aduersus angustas & paruas prouincias, vt est Hollandia, &c. quia nempè eius dominia & prouinciæ sunt nimis discontinuatæ & interruptæ; ita vt ad mutua auxilia ferenda non ita promptè, sicut res postulabat, concurrere possint, præsertim cū mole etiam suâ videantur laborare, vt quidem non nemo Politicorum de his rebus iudicat.

16 *An subditis venatio permitti debeat?*

Tholosanus lib.39. Syntagm. iuris vni. cap.10. triplicem dicit esse venationem, auium nimirum, quæ *aucupium*; pisciũ, quæ propriè *piscatio*; & quadrupedum, quæ speciali nomine *venatio* dicitur, & quæ præcipuè hoc loco in quæstionem venit, *an subditis à Magistratu sit concedenda?* Rationes pro parte negante hæ videntur adferri posse; ne prætextu venationis subditi arma ferant, rixæ excitentur, & homicidia committantur. 2, ne agricolæ, artifices, operarii & reliqui venandi studio dediti agriculturam & cætera officia, quibus ciuitates conseruantur, deserant. 3, vt euitentur latrocinia, quæ magnam cum venationibus habent affinitatem, vnde est quod summi illi Philosophi Aristoteles & Plato latrocinium inter venationis genera posuerint, & venatores Hebræi *latrones* appellarint, quemadmodum refert Bodinus lib.3. cap. 7. 4. In Iure etiam prohibetur tendere retia & laqueos ad capiendas venationes. Et sunt exempla multorum Imperatorum, Regum, qui nullam omninò venationem subditis permiserunt, vt videre licet apud Tholos. citato loco, & alios quoque Politicos. Contra verò nonnulli sic inferunt: Venatoria, quia pars est artis bellicæ, ideò subditis permittenda. hinc enim maximæ proueniunt vtilitates & commoda, subditi ad bellum indurantur, assuescunt laboribus, & ad pericula inferenda & vitanda cautiores redduntur, vt latius ex Xenophonte probat Patritius. Accedit hoc quod venandi potestas non tantum iure diuino, sed & naturali ac ciuili, homini sit concessa, vt ex *l.1. ff. de acquirendo rerum dominio, l.13. ff. de iniuriis*, liquet. Expresśè enim in illa lege hæc verba habentur: *Sæpissimè rescriptum est, non posse quem prohibere venari, piscari*, &c. cui sententiæ & multi IC. clarissimi subscribunt. Vt autem melius decidi hæc controuersia possit, notanda sunt ea quæ sequuntur: 1, Animalia seu feras esse vel noxias, vel vtiles. noxias expedit & necessarium est venari & capi, ideo earum causa tendere retia & laqueos licet. Vt Honorius Cæsar occidendorum Leonum cunctis facit potestatem, *l. vnica, de venat. ferarum, lib.11. C. tit.44.*

lib. 3. feud. tit.27.

lib.3. tit.6. Gen. 2.

lib 1. feud. tit. 17.

tit. 44. Eas autem, quæ aliquando Reipub. vtiles esse possunt, venari non debent, sicut legimus apud Ægyptios capitale fuisse, si quis Ibin cepisset vel occidisset, eô quod illud animal serpentes noxios deuoret. 2. notandum est discrimen modi venationis; nam foueas facere in itineribus frequentatis, & tendiculas ibi ponere ad capiendas feras non conceditur, vt maximè aliis in locis, & alio modo, nimirum canibus, auibus, &c. liceat: Denique distinguendum est inter subditos. Agricolis, artificibus & aliis operariis venationem Magistratus, permittere non debet, ne ab opere reuocentur, vagandique detur occasio & incultæ ac steriles terræ relinquantur; cum potissimum ab earum cultura nec momento abesse debeant. Neque personis Ecclesiasticis qui studiis S. literarum & pietati intenti esse, non venationis studio delectari debent, vt habetur *in c.* 1. *&* 2. *de cler. venat.* militibus autem & nobilibus eatenus concedi potest, quatenus vtilitatis aliquid ex ea Respublica capit. de qua vt & præcedentibus distinctionibus inter alios monet Tholos. in sæpe citato loco.

Colonos, l. 11. C. tit. 47. de agricult.

17 *Deriuationes fluminum num tentandæ?*

Scite quidam Aulicus politicus, apud Camer. in op. sub. part. 1. cap. 81. monet. In omni re magna sedulo omnes cogitare debere, *An quod aggrediuntur opus Reipub. sit vtile, Deo gratum, gerentibus gloriosum, promptum effectu vel certè non arduum.* Hoc aulici monitum, si Princeps diligenter perpendet, tantam rem tamque arduam perficere minimè aggredietur. Id quod Pausanias lib. 2. sapienter monet, cum de Isthmi perfossione loquens, ita inquit: "Tam scilicet est difficile diuinitus attributam certis rebus naturam humana arte superare; & addit: Quicunque Peloponnesum insulam facere conatus est, morte oppressus, opus imperfectum reliquit. Hoc ipsum experti sunt Demetrius Rex, Caius Cæsar, Caligula, Domitius Nero, & alii, qui repugnante natura infausto exitu Isthmum Corinthiacum perfodere conati sunt, quorum semper irriti labores fuerunt. Neronis tempore sanguineos riuos conspectos, multaque spectra eiulatus atroces edidisse,

atque ita territos operarios cessisse, Dion. testis est; quod si verò Romani, (apud quos infinitus mancipiorum erat numerus, ita vt longè minori difficultate, & exiguis sumptibus opus illud instituere potuerint) nihil effecerunt: quid nos, qui & potentiâ & opibus illis multò sumus inferiores? Herodotus quoque memoriæ tradidit Gnidios Isthmum, quâ angustissimo spatio, nempe quinque stadiorum, spectabat continentem, perfodere molitos, vt insulam facerent; cæterùm istos scopulos in fodientium oculos resiliisse: cum autem oraculum Delphicum hanc ob rem consuluissent, ita respondisse Pythian:

> Ἰσθμὸν γὰρ μὴ πυργοῦτε, μηδ᾽ ὀρύσσετε,
> Ζεὺς γὰρ ἦ ἔθηκε νῆσον, εἴ κ᾽ ἐβούλετο.
> *Neque cingite Isthmum mœnibus, neque fodite;*
> *Nam si Ioui id visum, locasset in salo.*

Nicanor quoque Seleucus aggressus est Isthmum (qui dirimit Euxinum & Caspium mare) perfodere, nec perfecit, à Ptolomæo Ceraunо interfectus, vt Erasmus notauit. Vnde prouerbium: *Isthmum perfodere*, veluti de laboribus & conatibus ingentibus, sed vanis & irritis ortum suum habere cœpit. Plura huius rei exempla collegit Richterus in Axiom. Pol. Axiom. 306. Et Camerarius Cent. 1. oper. subc. cap. 81. vbi ex Auentino citat illud de Carolo Magno, qui Danubium & Rhenum circa Weissenburgium pagum coniungere voluit: sed inuidit fortuna labori, qui inuito cælo cœptus erat; prodigiis portentisque iram suam natura rerum ostendit. Immensi acerui frumentorum, & omnis generis granorum reperti in campis, quæ si pecus gustaret, è vestigio peribat; farina inde facta, sub manibus euanescebat. Noctibus auditæ sunt voces mugientium & lasciuientium, confusi strepitus circa superiorem fossam. Accedebant continui imbres in loco alioqui palustri; ideò quidquid terræ interdiu egerebatur, noctu humo relabante subsidebat. Idem grauiter postea concludit: Quid multis? eiusmodi conatus, si non omnes, plerique tamē infausti reperiuntur. Statuit enim Deus, vt regius „ Propheta ait, mari & fluminibus suos terminos, quos „ non transgredientur, & in iis manendum consistendumque

[Marginal notes: In Adag. — Lib. 4. annal. Boior.]

dumque illis est, quam diu ipsi placuerit; & ipso refragante, frustrà eos homines viribus suis transferre conantur.

18 *Cur amorem ædificandi Princeps subditis implantare debeat?*

Suadent Politici, vt, si velit regnum suum populosum & excultum Princeps reddere, subditos suos ad ædificia construenda in omnibus regni partibus alliciat. Est enim mira efficacia proprii foci, pro quo homo pugnat, tanquam pro vita, sic quidem vt mirificè etiam amet istum locum, magis ac magis in eo se multiplicet & augeat, eumque pro viribus excolat, in quo commodus focus & habitatio contingit. Quæ ratio est, quod ditiones Turcæ plurimæ maneant vastæ & incultæ; quia Turcarum ingenia sunt aliena ab ædificiis, eaq; nec libenter construunt, nec, si ab aliis bene constructa inueniant, sarta tecta cupiunt seruare. Id quod Busbeq. passim in epistolis Turcicis testatur. In 1. expresè hæc verba extant: Non facilè in tota Turcia, quamuis magni, " quamuis diuitis viri paulò elegantius ædificium repe- " ries, vulgo tuguria & casæ habitantur, &c. Quin & " experientia testatur, omnia alia regna, in quibus incolarum ingenia sunt aliena ab ædificiis commodis construendis, multis in partibus inculta manere ad Principis attritionem. Contra verò videmus, Italiam, Galliam, Germaniam superiorem & inferiorem cultissimam esse, propterea, quod harum gentium ingenia delectantur structuris, & per naturam sunt architectonica: Sed & decus regni augetur per ædificia, præsertim si sunt pulcra, & non tantum ad commoditatem & necessitatem, verùm etiam ad splendorem & magnificentiam comparata; in qua tamen modus teneri debet, & vitari luxus, ne ad paupertatem ædificando subditi perueniant. Sicut inter alios fideliter monent Patritius lib. 8. tit. 11. Et Iunius part. 2. quæst. 66. Vbi ex Plutarcho citat illud de Megarensibus, de quibus dictum fuit, *eos ædificare, quasi semper victuri; comedere, quasi altero die morituri.*

de diuit. cupidit.

19 *Cur bibliothecas Princeps adornare debeat, cur item rerum antiquarum & mirarum Gazophylacium?*

lib.3.cap.15.

Regium est, inquit Castellanus, maximum librorum numerum comparare, si non ad publicam omnium vtilitatem, saltem ad suam & amicorũ: quia verò vt idem testatur, bona illa excellentiora sunt, maiorique laude digna, quibus omnibus communia sunt, quam quę non omnes participant, ideò operam dabit Princeps, vt bibliothecæ instituantur, quæ multitudine ac varietate in publicum prodesse possint: subditi enim tanto munere minimè sunt fraudandi, vt monet Patritius lib.8. tit. 15. vbi argumentum adfert desumptum à simili; Si Palæstra, inquit, quæ corpus adiuuat tanto studio, tantaque impensa in plerisq; vrbibus statuitur; quantò magis bibliotheca ornanda erit? quæ pabulum mentis est benè institutæ, & exercitatio animi ingenui. Certum enim est, maximam bibliothecis inesse tum iucunditatem, tum vtilitatem. In iis miscentur colloquia cum Deo, cum Prophetis, Apostolis, Patribus, cum saniori-bus Ethnicis, Platone, Aristotele, qui omnes ad depellendam sollicitudinem, & sanandum animum liberaliter & iucundè conferunt; auget delectationem varietas non tantum librorum, sed aliarum rerum, vt tabularum Geographicarum, Globorum cœlestium & terrestrium, Astrolabiorum, Armillarum, Imaginum, σκελέτων, & quę sunt alia huius generis. Ita vt verissima sit vetus illa inscriptio à Ptolomæo Philadelpho vsurpata: βιβλιοθήκη ψυχῆς ἰατρεῖον: *Bibliotheca est pharmacopolium & medicina animæ.* Vtilitas cum summa necessitate coniuncta, inde manifesta est, quod Ecclesias & Scholas propagare aut conseruare, sine Bibliothecarum institutione Magistratus commodè non possit. Hinc sanctè sunt illarum curæ, Deo gratæ, Reipublicæ verò salutares, quod ad rem literariam prouehendam conferantur. Libri sanè proxima sunt instrumenta diuinitus concessa ad sapientiam & prudentiam in genere humano conseruandã, per quam regna stare & consistere notum est. Ita rogatus Alphonsus, *libris ne plus debere se fateretur an armis?*

Ex

Ex libris, inquit, *& arma & armorum iura didici.* Hinc nimirum est, quod præstantissimi quique viri, Imperatores, Reges, Principes maximo studio bibliothecas adornarint, ex quibus sempiternam nominis gloriam sunt consequuti. Laudantur Attalus & Eumenes, qui nobilem bibliothecam, conquisitis vndique exemplaribus hædinis chartis construxerunt. Persarum quoque Regibus bibliothecas fuisse, ex 3. Esd. c. 6. ℣. 23. constare potest. Ægyptiorum Reges Bibliothecã habuerunt, in qua primo ducenta, postea verò septies centena librorũ millia numerata fuisse, de Marcellino & Gel. discim⁹. Quod regiæ sanè opulentiæ monimẽtum ad primum Alexandrinum durasse bellum Alex. ab Alex. testatur, in quo omnes illi libri fortuito incendio perierunt cum miseranda omnium bonarum artium & disciplinarum iactura, vt ex Gellio meminit Patrit. loco suprà citato. Celebrantur & alii in scriptis Historicorum & Politic. vt Pisistratus, qui Athenis, Theodosius, qui Constantinopoli, Matthias Coruinus, qui Budæ selectissimorum librorum bibliothecam erexit. Augustus quoque referente Suetonio, bibliothecam Græcis, Latinisque, voluminibus refertam Romæ instituit, vbi vndetriginta bibliothecas publicas fuisse, Castellanus affirmat, quod si earum (vt Patricii verbis vtar) aliqua vestigia extarent, magnis nos laboribus liberarent, & obscuriores literarum tenebras lumine vetustatis illustrarent. Cæterùm de loco bibliothecæ inter alios tractat Franciscus Patritius lib. 8. tit. 15. vbi suadet vt talis eligatur, qui ad Orientem spectet, ob aciem nimirum oculorum & venti flatum: nam si ad meridiem, inquit, vel occidentem spectaret, venti qui locum perflant, humido pallore librorum volumina corrumperent, tineasque procrearent, quibus libri exeduntur corrumpunturque. Verum vt bibliothecam optimis quibusque libris refertam; Ita quoque rerum antiquarum & mirarum gazophylacium adornabit Princeps. Valdè enim hoc ornat Principem, si studiosus sit rerum in natura mirabilium, & curet sibi ex Indiis, aut aliis locis remotissimis eiusmodi naturæ miracula aduehi. Quin & opera & artificia mira, inter quæ inprimis eminent picturæ,

Alex. ab Alex. gen. dier. li. 2. cap. 3.

lib. 22.

lib. 6. c. vlt.

lib. 1. cap. 2.

cap. 27. & 29.

lib. 3. c. 15.

tabulæ Geographicæ, ſculpturæ, & machinæ ſingulares mirificè eum oblectare, & artifices in eius regno ad exemplaria capienda allicere poſſunt. Itaque peculiari domicilio ea omnia diſponenda, quod *Exoticotameion* ſeu *Archiuum antiquitatum*, vel etiam *Antiquariũ* appellatur, non quaſi tantum antiqua ibi aſſeruantur, ſed omnis generis exotica. Iohannes Boterus lib.1. „ de origine vrbium cap. 6. inquit: Romæ eſt ædificium „ rotundum teſtudineum, quod *Antiquarium* appellant, „ à diuerſis ſignis & imaginibus marmoreis, quæ in eo „ continentur. Ac talia quidem antiquaria & Exoticotameia in his oris noſtris Septentrionalibus non multa reperias; ita vt meritò patria noſtra ſibi gratuletur de eo κειμηλιαρχείῳ, cuius honorificam mentionem inducit *Georgius* ille *Douſa*, longiori vitâ digniſſimus iuuenis, in ſuis de itinere Conſtantinopolitano Epiſtolis, „ pag.88. Venio, inquit, Dantiſcum, vrbem ampliſſimam, „ quæque principem locum in Septentrione merito ob„ tinere creditur. Eius ſane proceres non minus erudi„ tione, quàm rerum Politicarum experientiâ inſtructi „ ſunt; inter quos clariſſimus Vir BARTHOLOMÆVS „ SCHACHMANNVS, cum virtutibus, tum etiam πολυ„ τεχνίᾳ cumulatiſſimè ornatus, facilè eminet; cuius no„ mine plurimum me debere huic vrbi fateor, quod tan„ tum hic virum conuenire, notitiamque pariter & ami„ citiam cum eodem iungere licuerit. Peragrauit is præ„ ter Germaniam, Galliam, Italiam & Ægyptum, vniuer„ ſum pene Orientem, vnde ſibi non exiguam exotica„ rum rerum ſupellectilem reportauit. Vix credo cui„ quam rei alicuius in mentem venire poſſe, cuius ille „ ſpecimen in ſuo κειμηλιαρχείῳ nõ habet. Numorum tam „ veterum quàm recentium tanta inſtructus eſt copia, vt „ non alibi locorum facile ſimile quid inueniri poſſe exiſtimem. *Hæc Douſa.*

20 *Cur magna monetæ ratio habenda in Republica?*

Bodinus & alii omnes Politici inter iura Maieſtatis numerant ius cudendæ monetæ. Ita enim lib.1.cap.10. „ inquit: Numi percutiendi ius maieſtatis æquè propriũ eſt,

est, ac legis ipsius potestas; cuius enim est leges iubere, eiusdem est numorum pretium, pondus, figuram præscribere, nam Græca vox νόμ☉, numo videtur originem dedisse. Et quemadmodum stante Repub. Romana non nisi apud Principem & Senatum facultas monetæ fuit; ita in Germano quoque Imperio inter ea habita, quæ *Regalia* vocantur, quæ quia Principi, non verò subditis competant; ideo & ius quoque cudendæ monetæ Principis erit proprium, quod subditis minimè concedendum est, ob multa & maxima incommoda, quę inde ad totam Rempublicam redundant. Quod experientia abundè testatur his temporibus. quibus applicari potest id, quod olim prædixit magnus ille Melanchthon: **Es wird noch der Welt an dreyen dingen sehr mangeln: an Holtz/an guter Müntz/vnd guten Freunden.** Ipse igitur Princeps rationem monetæ habere debet, & quidem magnam, propterea quod, vt Bodinus ait, nihil post Legem magis in Republica necessarium sit, quam nummorum pretium, pondus & imago. Id quod etiam Philosophus docet in 5. Eth. c. 5. vbi numum dicit esse mensuram, ad quam commensuratur omnia. Et lib. 1. Polit. cap. 6. quatuor argumentis probat, numum primum esse & vltimum in commutatione, adeoq; ad eam ita necessarium, vt eo deficiente commercia pleraque pessum iri necesse sit, ob quorũ causam ab initio statim numum institutum fuisse S. literæ testantur. Abrahamum enim legimus sepulcrum mercatum esse, & appendisse peculiniam probatæ monetæ. Iosephus quoque Caino inuentionem pecuniæ & ponderum, & mensurarum tribuit. Quamuis hoc quoque fatendum est, vsum eius ad aliquas nationes tardius peruenisse, quas aliis rebus naturalibus permutasse, *ex l. 1. ff de contrah. empt. & ex Hom. Iliad. 7.* constat; potissimum autem pecoribus, vnde postea pecuniam dictam nonnulli volunt. Hinc nimirum est, quod monetæ regimine neglecto, magnas rerum conuersiones oriri, sapientissimi quique viri iudicent. Populi Romani certè nulla in re tanta aut solertia extitit, aut in propaganda ad omnem posteritatem memoria, quanta in sola re numaria, vt eruditissimè obseruauit Clarissimus *Marq. Freher* lib. 1. de re monetaria.

lib. 2. feud. tit. 65.

loco citato.

Gen. 23.

lib. 1. antiq. cap. 4.

Tria verò in omni moneta consideranda esse monent Politici, quorum primum est materia publice electa cũ certo pondere. 2, Character, quo insignitur seu notatur forma publica. 3, Valor seu functio decreta, quæ omnia à Principe legem accipere, Tholos. affirmat. Materia monetæ qualis esse debeat, disputat Nicol. Oresmius, cap. 2. vbi aurum & argentum probat metalla ad monetam esse aptissima, quia pretiosa sunt, & facilius portari, atque adeo ad mercaturam maiorem habiles esse possunt; vnde monet, non debere permitti, vt tantum ex eis in alios vsus applicetur, quod residuum non sufficiat pro moneta. Quod Theodoricus Rex Italiæ animaduertens, aurum & argentum, quod more gentium in sepulcris mortuorum erat reconditum, iussit depromi, & vsui monetæ ad vtilitatem publicam fecit adferri, dicens: Culpæ genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, vnde se vita potest sustentare viuentium. Quod si autem duo hæc metalla non sufficerent, vel non haberentur, debet fieri mixtio, aut simplex moneta de alio puro metallo. Romanos æneo quoque genere numi vsos fuisse, abunde notum est, quamuis difficilimis bellorum, obsidionum, calamitatum temporibus, non tantum æneos aut stanneos, sed etiam scorteos, ligneos, chartaceos numos ad tempus facere compulit necessitas. An verò misceri debeant metalla, Bodin. eleganter peculiari quodam libello disputat, vbi negatiuam sententiam tuetur, hac ratione motus, quod si non miscerentur, multò integriorem certioremque rem numariam, & a fraudatoribus tutiorẽ haberemus. Sed contrarium probat Tholos. loco dicto, vbi variam habet rationem miscendi, in qua tamen re constitutiones Imper. Rom. alii populi imitantur. Figura, quia signum est veritatis materiæ & ponderis, vt antiquarum monetarum nomina ostendunt, cuiusmodi sunt libra, solidus, denarius, obolus & similia; ideo certis characteribus, inscriptione ac imagine propria Principis, tanquam personæ publicæ, signanda est: hæc enim maximum habent momentum in detegendis fraudibus monetarum. Sic argentum primum omnium signasse Phædonem scribit Strabo, Athenis primum numum bouis

Marginalia: lib. 36. Synt. iuris, cap. 2. — Cassiod. lib 4 cap. 34. — lib. 1. — Alex ab Alex. lib 4. ge dier. cap. 15. — VVolph. Lazius lib 1. de Repub. Rom. — Oresmius c. 3. 4. — 8 lib. in Theseo.

bouis figura Thes[illegible] instituisse, Plutarchus refert, a quo numo & nomen *Hecatomboon*, & Prouerbium illud, *Bos in lingua*, factum, Tholos. asserit. Apud Romanos priscæ æris notæ fuit Ianus geminus ex altera parte, ex altera autem rostrum nauis, in triente & quadrante rates. Postea verò quando in Principes omnis potestas translata fuit, vultum Principis cum inscriptione numus habuit, vt refert *Freherus lib. 1. ex Iuuenal Satyr.* 14. Concisum argentum in titulos faciesq; minutas. Constantinus Magnus ad veram fidem conuersus, crucis signum numis insculpsit, Eusebio & Sozomeno autoribus. tandem reliquos etiam Dominum apposuisse cum inscriptione: IESVS CHRISTVS, REX REGNANTIVM, ex Frehero lib. 2. apparet. Impressionem autem Oresmius iubet esse subtilem, & ad effigiandum seu contrafaciendum difficilem, ne similem monetam in figura minoris valoris alter fabricare possit. Valor etiam in vnius monetæ proportione ad aliam certus à Principe constitui debet, vt commerciorum vsus retineri possit; incertũ enim publicæ monetæ pretium omnia perturbat, difficilemque cum aliis communicationem reddit. Certam debet æstimationem habere id, quo omnes aliæ res taxantur, inquit Vlpianus *l. 3. ff. de in litem iuran.* cuius valoris mutatio, imminutio, auctio, etsi à Principe pendeat, non tamen ad priuatum aliquod lucrum, sed ad salutem Reipub. referri debet, quemadmodum pulcrè Oresmius monet, cap. 8. 9. 10. & sequentibus. Gabriel etiam Biel in libro de monetis proponit hoc dubium, *an Princeps possit habere lucrum ex moneta*, constituendo maiorem valorem monetæ, quàm reuera valeat eius materia. Et respond. quod in vno tantum casu Princeps possit quærere lucrum ex moneta, nempe, quando indiget subsidio pro Republica. Extra verò hunc casum valor mutari non debet, quod numus sit instar legis, quam sæpius mutare periculosissimum est. Sed nec falsificare monetam Princeps debet, quod nimis turpe & detestabile Principi sit fraudem committere, & in eo reperiri quod in alio turpissima morte deberet punire. Maxima cum etiam incommoda & mala inde sequuntur, quæ tam ipsum

loco citato, Plin. 33. c. 3. Tholos.

Cap. 5.

Tholos. lib. de Rep. c. 2.

Principem, quam totam tangunt communitatem; de qua re inter alios testatur Dubra. lib.21. qui de Iohanne „ Bohemiæ Rege sic scribẽs inquit: Aduocauit Rex quos„ dam de Florentia Lombardos, in scientia lucrandi val„ de gnaros: ad horum consilium prauos denarios Rex „ permisit in moneta publica monetari: Cœpit ex hoc „ clamor in vulgo non modicus eleuari: quoniam cuprea „ materia & corrupta eorum forma impediunt omnium „ venalium rerum fora. Hinc est quod priuatis monetæ falsariis & adulteratoribus grauissimæ pœnæ in iure constituantur, vt apparet ex *l. Corn. de fals. l. 1. & 2. de fals. mon. C.* Et in hodiernis Rom. Imp. constitutionibus extat, corruptores & adulteratores pro grauitate admissi, mulctis, confiscatione, proscriptione, corporali pœna, ignis denique supplicio acerrimè puniri. Apud Ægyptios manus fuit amputatio, quemadmodum etiam apud Græcos. Horum exemplum imitatus Princeps grauissimis pœnis falsarios omnes coerceat, quorum quàm variè & multiplices sint artes, explicat Freherus libro 1. cap. 3. Porro quanta in hoc, sub quo sumus, Poloniæ regno monetariæ rei difficultas sit ac confusio, à multis iam annis testari præter experientiam grauissimè possit Andreas Fricius Modreuius Polonus libro primo „ de Republica emend. cap.15. In re monetaria, inquit, „ consideranda videntur & materia, & pondus, & forma „ publica. Priora duo vulgo non satis agnoscuntur, ac ne „ discreantur quidem in numis paruis; tertium conspe„ ctu facilè noscitur. Verum quia nonnulli externi po„ puli figuram nostrorum numorum imitati sunt, atque „ hac ratione suos ad nos inuexerunt, videndum est, „ num sit è Republ. formam nostræ mutari; aliter enim „ externa vix exigi potest. Qui falsam & adulterinam „ olim cudebant, ad bestias condemnabantur; si libe„ ri erant, si serui, vltimo supplicio afficiebantur. Ra„ tionem etiam inuenire, ne pecunia extra fines expor„ tetur, perutile fuerit; quod vix aliter fieri posset, „ quàm si pluris, quàm æquum sit, æstimaretur, quod ta„ men nescio an conduceret Reipublicæ. Qui vel Romæ, „ vel in aliis prouinciis res agunt, magnam vim auri à no„ bis efferunt. Hoc si in totum interdici non potest, ta-

Comit. 59. ff. 72.]

Diod. Sicul. lib. 2.

men

men modum his rebus constitui, optimum fuerit. Tanta licentia apud nos grassatur nummis peregrinis, tum aureis, tum argenteis æstimandis, vt nusquam maiori singulis quadrantibus anni precium eorum crescit, cũ bonitati eorum nihil accrescat. Causas eius rei multi afferunt multas; sed nos, si non mouet vel publicæ, vel priuatæ rei iactura, quæ hanc nummorum iactationem sequitur; quid aliud mouere nos magis possit ad licentiam illam coërcendam, & certam æstimandi rationem ineundam haud sanè dictu facile est. Hactenus Fricius.

Iam verò, quàm ominosa sit ista monetariæ rei licentia ac corruptela, sapientes Politici ac Historici annotant, & inter hos inprimis Sigismundus Baro ab Herberstain in commentariis rerum Moscouiticarũ, pag. 146. vbi digressione quadam in querelam de regni Hungariæ statu post Ludouici tempora fatali inclinatione, dilapsus inter alia sic inquit: Quo plus potentiæ quisque obtinebat, hoc plus iuris habere credebatur. Itaque laborabat iustitia, & premebantur infirmiores, ac omni bono ordine sublato atq; euerso, subinde inueniebatur aliquid quod Reip. labem aliquam cum vulgi detrimento afferret: cuiusmodi fuit illa innouandæ monetæ licentia, per quam prioribus bonis nummis conflatis, alii deteriores passim addebantur, ex his rursum sublatis, alii fiebant meliores, qui tamen iustum pretium tenere non poterant, sed nunc pluris, nunc minoris habiti sunt, prout locupletiorum cupiditati libuit; quin etiam à quibusdã priuatis pene palàm impunè sunt adulterati, &c. Hæc Herberstainius.

21 *Cura viarum publicarum cur peculiaribus ædilibus demandanda?*

Philippum Hassiæ Landgrauiũ dicere solitum fuisse scribunt; **einen Fürsten sol mann an dreyen dingen erkennen/ an gutem wege/ an guter müntz/ vnd an wahren worten.** Et sanè illud, quod de viis publicis magnus Princeps monuit, tale est, vt omnibus Magistratibus diligenter sit animaduertendum. Necessarium enim omninò est, vt peculiares curatores & Ædiles cõstituantur, qui anxiam viarum & platearum curam gerant,

quod experientia testetur, maximum ciuitatibus esse nō solum dedecus, sed etiam detrimentum si viæ publicæ integræ non seruentur; hac enim ratione difficiles redduntur viæ, homines ciuitates non libenter frequentāt, nec merces asportant, atq; ita negotiatio iacet, nec probè exerceri potest, quæ caussa multos & magnos viros mouit, vt magnis sumptibus vias strauerint; sicut de Appio notum est, qui celeberrimam illam viam è Roma Brundusium strauit durissimis lapidibus; cuius refectioni dum Iulius Cæsar vacasset, magnas opes effudisse legitur. Hinc etiam est, quod antiquis Romanis Ædilibus Curulibus demandata fuerit viarum cura, vt ex *l. pen. de via publ.* Et Tolos. lib. 2. c. 10. apparet.

22 *Cur temporum exactam rationem Princeps habere debeat, atq; adeò horologiorum publicorum?*

Inter eas quæ fuerunt Iul. Cæs. virtutes etiam illa celebratur, quòd primum ac Princeps factus est Reipub. Rom. temporis distinguendi curam susceperit, & ad calendarium reformandum summos ex Ægypto Astronomos Romam magno sumptu aduocauerit: Quia enim, vt Menander ait, *omnia fiunt tempore & iudicantur*; ideò eius distinguendi cura exacta est habenda, ne actionum omnium & iudiciorum summa in Rep. oriatur confusio. Itaq; non solum anni & menses, sed etiam dies & horæ secundum motum Solis, Lunæ, & aliorum corporum cœlestium rectè distribuendi, & horologia etiam publica ordinanda, & sedulò curanda sunt. Ex recta enim horologiorum gubernatione etiam Reipub. gubernatio æstimari solet: sicut fertur de Carolo V. Imperatore, quod dixerit, duo esse indicia Reip. & ciuitatis benè cōstitutæ. Primò *Scholam rectè institutam*, &, *Horologium iustè directum.* Sed idem Imperator, cum valdè delectaretur automatis horologiis, magnos sumptus impendit in id, vt consequeretur duo automata horologia, quæ per omnia concordarent in horis iudicandis. Sed id frustrà fuit, nec repertus vllus tàm artificiosus magister, qui talia duo planè consona ac concordantia automata horologia Imperatori fabricare posset. Porrò quam Reipublicæ

publicæ & damnosa & ignominiosa sint horologia irregularia, vel ex eo æstimari potest, quòd per horologia eiusmodi non tantum perturbentur actiones publicæ in Ecclesiis, in curia, in iudiciis, in scholis, in foro, sed & valde defraudentur subinde operarii ac mercenarii, qui in horas & dies suos labores locarunt: peregrini etiam qui per vrbem aut pagum iter faciunt, mirificè subinde ludantur, imò & in pericula coniiciantur, dum horologio decepti viæ aut itineris rationem non bene dimetiuntur. Vnde meritò inter opera censoria non in postremis curam temporis fuisse testatur Alex. ab Alex. l. 3. c. 3. Et maximum Dei donum esse horologia nostra inde liquet, quod illi, apud quos eorum nullus est vsus, nihil ferè hac in parte à feris animalibus differant, & multis erroribus sint obnoxii. Sicut de Turcis refert Busbequius, iis nullas esse horas, quibus temporum spatia distinguant, ac proinde eos sæpissime splendore Lunæ deceptos errare. Romani, vt scribit Varro, trecentis ferè post conditam vrbem annis horologiis caruerunt, & vel vmbrâ vel clepsydris tempus notarunt. Id quod & Græci & Ægyptii fecerunt, loco nimirū arenæ, quâ nos vtimur, aquis vtentes; quibus & Turcas pro mensura vti Busbequius Epist. 1. affirmat. Ita vt nostrorum temporum felicitas etiam in hac parte magna sit, quib. automata horaria conficiuntur ita artificiosa, ita etiam ad vsum peregrinandi commoda, vt maioris nucis putamini includi possint, magna sanè ingenii ac industriæ humanæ admiratione.

FINIS.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXXII.

Quæ est Politica quarta.

DE IVDICIIS, DEQVE CVRA PRINCIPIS ORTA IN DEFENDENDO, EXORnando, & amplificando principatu.

INSTITVTA PVBLICE IN GYMNASIO DANTISCANO, ad diem 9. Iunii.

Respondente

PETRO PETRI *Dantiscano.*

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS AC PRUDENTISSIMIS VIRIS,

Dn. *IOHANNI LINDANO*, *Procos.*

Dn. *GERHARDO BRANDESIO*,

Dn. *IOHANNI TORBECIO*, *Coss.*

Dn. *ANDREÆ BORCKMANNO*,

Dn. *IOHANNI SPEMANNO*, *Senatoribus Reip. patriæ*,

Dominis ac Patronis suis honorandis,

Hoc obseruantiæ suæ qualecunque Symbolum submisse exhibet

PETRUS PETRI *Dantiscanus*.

THESES DE IVDICIIS DEQVE CVRA PRINCIPIS ORTA IN DEFENDENDO, exornando & amplificando principatu.

De iudicio in genere, vide cap. 16. pag. 276. 277. *&c.* Syſtem. Politici, *itē de iudicio forenſi* c. 17. p. 285. 286. *&c. quorum* Theſes *huc ſpectant.*

1 Fuit Iudicium *forenſe*; reſtat *Cenſorium*, quod eſt iudicium de moribus externis, qui legibus expreſſis non arcentur, quique in litem forenſem non cadunt.

2 Circa iudicium Cenſorium notetur 1. obiectum; 2, cauſſæ, & denique partes ſiue proceſſus.

3 Obiectum cenſuræ eſt tum perſona & perſonæ peccatum. Perſona, inquam, tam eminens Illuſtriſſima, Illuſtris, Nobilis, Patritia, (ſicut Romæ ipſi Senatores, qui minus dignè iſto ſtatu viuebant, per cenſores remouebantur) quàm ignobilis & plebeia. Peccatum autem, quod ſub cenſuram cadit, eſt vel Ethicum, vt intemperantia & luxus in conuiuiis, in veſtitu, in ædificiis, &c. vel Oeconomicum, vt lites & diſſidia inter coniuges, mala educatio liberorum, profuſio rei familiaris, &c. Vel denique Politicum; idque vel in publica perſona, vt mala adminiſtratio muneris publici; vel in priuata, vt ſi quid peccatur contra has vel illas conſtitutiones in Republica, quod non ita ſub forenſe iudicium vocari queat.

4 Cauſæ adminiſtrantes iudicium cenſorium ſunt vel principales, vel minus principales.

5 Prin-

5 Principales causæ sunt ipsi censores, qui *quæsitores & custodes legum* olim dicebantur: Hi distinguuntur in præsidem & assessores.

6 Causæ minus principales sunt vel digniores, vel indigniores. Digniores, vt Scribæ, instigares, vel indigniores. Digniores, vt Scribæ, instigatores censorii: indigniores, vt ministri & apparitores censorii: indigniores, vt ministri & apparitores; qui vel manifesti, vel occulti & exploratores, quorum vsus ad iudicium censorium necessarius est.

7 Restat processus, seu partes iudicii censorii, quæ duæ sunt: Inquisitio & Notatio. Inquisitio quomodo & qualibus cautelis instituenda sit, in Systemate Politico certi canones explicant. Notatio censoria est vel pudefactio, vel mulcta, de qua vtraque etiam latius in Systemate Politico.

8 Sic de iudicio primario: Secundarium est, quod priuato partium dissidentium consensu & pacto per arbitros aut compromissarios instituitur.

9 Atq; hæc est cura principis prima: sequitur cura orta, quæ vel primaria est, vel secundaria.

10 Primaria cura est defensionis, quæ est vel vniuersalior, vel particularior.

11 Vniuersalior est, quæ spectat vniuersum principatum, id est, tàm homines quàm res in Regno.

12 Estque vel contra res inanimatas, vel animatas.

13 Defensio contra res inanimatas est vel contra substantiales, vel contra accidentales.

14 Substantiæ inanimatæ, cõtra quas cura humana defensionẽ aliqualem præstare potest, duæ

sunt præcipuè: Aqua & Ignis. Hic ergo de cura auertendarum & reprimendarum inundationum, post de cura præcauendorum incendiorũ; aut si orta sint, maturè restinguendorum, deque constitutionibus & administris, atq; instrumentis ad eam administrationem in Rep. pertinentibus, von fewrordnung / deque incendiariis & eorum pœna in Politicis præceptis tractatur plenius.

15 Defensio & custodia contra res inanimatas accidentales, est contra famem, pestem, & omnis generis morbos, quatenus id in principis potestate positum est; quæ defensio, cum pertineat ad valetudinem subditorum, ideo suprà de ea actum fuit.

16 Sequitur defensio & custodia ab animalibus, quæ est vel à bestiis, vel ab hominibus.

17 Et à bestiis quidem vel perfectis, vt sunt vrsi, lupi, cerui, lepores, auium item certa genera agris, vineis hortis infensa, vbi venationibus, aucupiis, & id genus aliis mediis custodia aliqua præstatur; vel imperfectis, vt sunt insecta, bruchi, & id genus; contra quæ, etsi remedia humana propè nulla, tamen quæ esse possint, principis eius est cogitare, qui subditis suis per omnia vult benè.

18 Sequitur defensio contra homines; quæ vel interna est, vel externa.

19 Interna est contra turbulentos, prædones, piratas intra ipsam ditionem Principis.

20 Externa est contra hostes, qui ditionem Principis inuadunt; vbi de castellis, propugnaculis,

lis, arcibus, ciuitatibus munitis, item de milite præsidiario ad limites, & ad portum.

21 Sic de defensione in vniuersum, quæ est tú hominum, tum rerum: sequitur defensio in particulari, quæ ad solos homines præcipuè pertinet. Et hæc consideratur vel absolutè, vel respectu certarum circumstantiarum.

22 Defensio absolutè spectata, est vel vitæ, vel libertatis, vel famæ, vel fortunarum.

23 Defensio vitæ est vel contra prouisa pericula, vel contra improuisa. Contra prouisa vitæ pericula, vt sunt ea, quæ à monomachiis & prouocationibus ad arma, à spectaculis gladiatoriis & similibus prouenire possunt: in quibus quomodo subditis defensio præstanda, in Politicis aliquot præceptis egimus. Improuisa vitæ pericula sunt, quæ oriuntur à percussoribus, sicariis, latronibus, grassatoribus; de quib. itidem in Systemate Politico.

24 Sequitur defensio libertatis, quæ est assertio subditorum contra plagiarios, contraq; eos, qui in captiuitatem aut seruitutem alios abripiunt.

25 Defensio famæ est, quæ subditis à Principe præstatur contra diffamationes & iniurias; vbi de diffamatoribus tam apertis, quàm clandestinis, atque adeò de sycophantiis, delationibus falsis, & de carminibus ac libellis famosis actum est.

26 Defensio bonorum fortunæ est vel directa, eaque vel contra apertam vim & grassationé, ac rapinas atq; inuasiones; vel contra occulta, vt fures, impostores, stelliones, & decoctores ac fori

desertores, aliosq; pecuniarum fraudulentos aucupes, vt sunt sortiarii nõnulli, Lotterbuben/ & nõ pauci ex iis, qui metallurgiam siue Alchimisticam exercent. De quibus omnibus in Systemate Politico latius. Indirecta defensio est, quæ præstatur contra ipsos bonorum possessores, vt si qui sint suarum rerum nimis prodigi, quibus curatores publica autoritate constituendi.

27 Sic fuit defensio hominum absolutè: sequitur defensio considerata respectu certarum circumstantiarum; & primo quidem certarum personarum, vt præfectorum & officiariorum publicorum, item apparitorum & aliorum; quib. officia periculosa esse possunt, quorum peculiarem rationem Princeps habere debet. Post defensio etiam consideratur respectu certorum locorum, vbi de præstanda securitate viarum publicarum, & de saluo conductu actum à nobis est. Denique defensio præstanda respectu certi temporis; vbi de portis ciuitatum, arciũ, &c. vesperi claudendis, de vigilib. nocturnis, eorumque ordinationibus ac constitutionibus.

28 Hucusq; de cura orta primaria, nempe defensione: sequitur cura orta secundaria, quæ est tum exornationis & splendoris, tum amplificationis. Quomodo autem & quando, & quatenus tum splendori, tum amplificationi & dilatationi ditionis suæ Princeps studere debeat, vberius in ipso Systemate declaratum est.

PROBLE-

PROBLEMATA.

1 *An sine respectu personarum pœna exercenda?*

CVm personam nominamus, eam simpliciter intelligi volumus, quæ in iudicium, litemq; forensem, quâ iure, quâ cõsuetudine cadere possit. Ipsa est vel Mas, vel Fœmina. De hac *l.b.9 Cod. T.8. ad L. I. M.* mitior sententia lata est. Rationem reddit Arist. 1. Pol. cap. 8. Quia " fœminæ habent quidem consultandi facultatem, sed " imbecillem. Virtutem, sed languidam & imperfectam. " Vtraq; potest esse, vel adultior vel iunior. In quo Cæsar omninò voluit respectum seruare; cum Ptolomæum Ægypti Regem noluerit eodem modo punire, quo eius Consiliarios; propterea quod rex esset adolescens, Consiliarii autem senes. Norat enim prudentissimus heros ex Platone 3. de Repub. Adolescentes non tam esse quam fieri malos ex aliorum instinctu & conuersatione. Hæ autem omnes aut sunt nobiles, splendoreque generis claræ; aut ignobiles, nullo vel honoris vel gradus titulo conspicuæ. Atq; in hoc totius negotii cardo vertitur, quæriturque *an plebeius æqualiter cum illo qui summo loco natus, puniendus*? Præsupponimus autem idem facinus, idem tempus, vnum eundemq; locum, adeoq; omne id quod extra hanc qualitatem in comparationem venire potest. Aliàs enim qui ex insidiis occidit, grauius peccat, quam qui iracũdiæ impetu, & qui clam aut noctu, quàm qui palam aut interdiu; qui veneno, quam qui gladio; qui loco sacro, quam qui profano; qui coram principe, quam qui procul; qui Magistratum ius dicentem, quam qui priuatum; qui parentem, quam qui Magistratũ; qui principem, quam qui parentem. Quia verò secundum Tholos. ac reliquos ICtos, & polit. pœnæ multifariã diuisione scindũtur, mitigatio in leuioribus eò tutiùs adhiberi potest, quo à periculo vitę remotior. Quæ tamẽ si harmonicã rationẽ quę in Geomet. proportione cõsistit

Plut. in vita Cæsaris.

Bod. l. 6 de Rep. c 6.

lib. 13 Synt. Iur. Vniu. c. 3.

respiciamus;non plus tribuit personis illustribus quàm obscuris:tametsi plerisq; qui Arithmeticam proportionem spectant,contra videatur. Argumento est quod locuples eiusdem peccati reus, ac tenuis grauius mulctatur;quãquam non grauius hic quam ille,sed vterque æquabiliter pro facultatib.ac fortunis.In capitalibus autem res ad maiorem difficultatem dilabitur, quam tamen facilè poterimus exorbere,modo persuasum habeamus;iudici ea saltem examinanda venire, quæ ad rem propriè pertinent, quæ eam ingrediuntur, atq; adeò ex quibus causa quodammodo elici potest, cur hoc vel illud scelus sit patratum.Sin igitur quispiam aliquid horũ in personæ qualitatem cadere posse existimabit, eum in magno errore versari necesse est. Quid enim magis ridiculosum quam reum aliquem contendere; *feci ex nobilitate,feci ex splendore generis*:cum contra rectè dicatur: *factum ex Iracundia, Furore, Ebrietate, Imbecillitate sexus, imperitiâ ætatis.* Quin & ipsi nobilitati nulla per hoc infamia importatur, vtpote quæ iam antea iis ipsis sceleribus,quæ propter nobilis ille reus est damnatus, obscurata est atq; deleta. His accedit quod nemo puniatur quatenus ex magna familia ortus, sed quatenus facinorosus,pœnæque capitalis reus. Hac ratione etiam plebeus non quâ plebeus,sed quâ vel homicidio, vel parricidio,vel etiam aliis sceleribus est contaminatus.Quod tamen hac volumus cautione ac moderatione terminari:Parcat iudex generis splendori; sed ita vt & iustitiam administret,& non temere de genere supplicii in genus transeat.Etsi enim nobilis misericordiã iudiciis quadãtenus potest euocare,non tamen ipsum supplicii genus inuertere.Sic *ff.34.T.9.* Incendiarii si sint de fece plebis, bestiis obiiciuntur,sin summo loco nati,ad insulam deportantur. Deportatio autem ad Insulas erat capitaliũ criminum,quam non licebat præsidibus prouinciarum inconsulto principe, aut sine eius consensu imponere, etsi præfecto vrbis licuerit. Ob id non laudamus quod de Scauro Valerius Maximus refert, qui repetundarum reus,&quidem comploratus,propter vetustissimam nobilitatem,& recentem memoriam patris penitus est absolutus. Multominus quod Bodin.de Polonis affirmat;

Bodin.l.1.

Tol.d l.c.6.

lib.8.c.1.

Patro-

Patronum qui clientem (quem ipsi *Kmetonem* vocant) occiderit, ne accusari quidem seu publico seu priuato iudicio leges pati. Laudamus autem si moderatio ista, quæ ex personarum qualitate proficiscitur ita instituatur, vt quidem graduum ratio interdum aliqua habeatur, non autem ipsum genus temerario quodam ausu, necessitate nulla vrgenti commutetur. Etenim magnorum & nobilium delicta (teste Plutarcho) à pluribus cõspiciuntur, & sic exemplo nocent, non secus ac verrucæ in facie corpus deformant.

In præceptis gerendę Reip.

2 *An pœna furti capitalis?*

Apud Spartanos furta non tantum fuerunt licita, sed & laudi ducebatur, si quis cautè, astutè, clam & inscientibus aliis aliquid surripere potuerat; propterea quod hoc acuere ingenium & animum solertem reddere putabatur. Qui verò deprehensus fuit, ei flagro multa verbera ingerebantur, quod negligenter & imperitè fuerit furatus. Hoc ipsum de Ægyptiis testatur Diodor. Siculus lib. 2. cap. 3. & de Alemanis Iulius Cæsar, qui hoc modo iuuentutem exerceri, atq; à desidia auocari pronunciat. Sed Draco Atheniensium legislator, qui vt Demades Orator de eo dicere solebat, non atramento, sed sanguine leges scripsit, sanxit, vt omnis qui furatus quippiam fuerit, etiamsi valdè exigua res sit, olera videlicet aut fructus leuiores, morte puniatur. Eodem sanguine legem suam scripsit Plato lib. 12. De legibus: Si quis publicum fuerit furatus, siue paruum, siue magnũ extiterit eodem supplicio plectatur, quod æqua cupiditate furatur, & qui paruum & qui magnum sustulit. Hodie etiam apud Tartaros & Moscouitas leuissima furta morte puniuntur; Mors autem pro diuersa Rerumpublicarum constitutione diuersimodè fuit deputata. Apud Indos, qui sunt ad occasum, teste eodem Bodin. loc. cit. verubus ac varris transfigi mos erat. Locrensibus (vt refert Heraclides) oculorum priuatione puniebantur. Britonum verò lex fures in crucem agi iubebat, ne scilicet eorum augeatur multitudo. At Zepperus totã hanc controuersiam accuratissimis furtorum distinctionibus dirimit. Aut enim furtum (inquit) est hominis quod

Iun. part. 3. Q. 99.

Plut. in Lycur.

Fran. Patrit. lib. 1. de Rep. Tit. 5.

Bod. lib. 6. de Rep. c. 6.

„ *plagium* dicitur; aut externorum bonorum. Hoc iterum
„ aut ſacrilegum, aut profanum. Profanum aut pecorum,
„ quod *abigeatum* dicunt, aut aliarum rerum priuatarum.
„ Hoc rurſus aut occultum eſt, aut manifeſtum. Manife-
„ ſtum denique aut eſt Simplex aut Compoſitum, vel vio-
„ lentum. Ex his omnibus plagium tantùm Sacrile-
„ gium & furtum cum violentia coniunctum lege diuinâ
„ eſt capitale. Fures autem ſimplices, ne ipſi quidem Im-
„ peratores laqueo rigidè ſuffocari voluerunt. Vnde Iu-
ſtiniano placuit, vt eiuſmodi fures ne membri quidem abſciſſione puniatur, qui autem cum armis & violentia furantur, pœnis legalibus ſubdantur. Quod autem attinet ad conſtitutionem FRIDERICI Imperatoris, quæ eſt de furum ſuſpendio, illa minimè contra hos, ſed priores lata eſt. Rubrica enim ibi de graſſatoribus & violatoribus pacis publicæ. Rubrum autem declarat ſuum nigrum. Romanorum etiam lex *l. Capit.* § *in ſeruorum de pœnis*, fures nocturnos & latrones internecioni tradidit. Diurnos verò telo occidere non permiſit, niſi ſe telo defenderent. Per latrones autem non fures quoſvis, pugnante Accurſio, ſed ſicarios intelligebant; ex quo errore (vt quidem ratiocinatur Bodinus) ſecuta ſunt in fures ſupplicia quàm decuit acerbiora. Cæterum ipſa iuſtitia conſiſtit in proportione inter delictum & pœnam, vt ſi in trutina appendatur, vtrumque in æquilibrio verſetur, ſin autem à re ad corpus procedatur in furto ſimplici & profano, proportio hæc prorſus exſpirat. Et mirum profectò, cur homicidia aut parricidia nō atrocius coërceantur, quam furta (cum tamen contrariis, penè ac diſſimilibus inuicem paſſibus ambulent.) Aut itaque illi exiſtimant tutius eſſe hominem occidere quam furari; aut fatendum ipſis vltrò propius ſe à crudelitate quam à S. ſancta iuſtitia abeſſe. *Toloſanus libro 31. cap. 34. in ſynt. iuris vniu.* dicit; Romanos olim facinoroſos in metallum damnare ſolitos, vel ad certum aliquod tempus, vel in perpetuum: Hi vbi per decennium ſeruierint, & valetudine, vel ætatis infirmitate inutiles operi eſſe cœperint, dimitti poſſunt à præſide, vel à Principe, ſi ex proximis ipſorum quidam pro illis impetrent. Ad

opus

opus autem metalli pertinebat etiam, damnari ad calcariam & sulphurariam, teste Vlpiano *l. 8. aut damnum, §. in calcariam, de pœnis.* Hanc pœnam ad fures simplices coërcendos apprimè dicimus esse accommodatam, atque adeo etiam exercendam in iis locis vbi ad opus aliquod publicum damnari possunt; sicuti laudabili instituto in Repub. nostra fures eiusmodi aliosque sceleratos carris & vallo adiudicari nouimus.

3 *Asyla sintne constituenda?*

Ἄσυλον inquit Tholosanus lib. 33. cap. 22. in Syntag. Iur. Vniu. locus est à prædatione immunis, cui periculum non est vt præda fiat, quem spoliare nefas est, à violentia tutus & sacrosanctus. Hoc initio veteres ita sunt abusi, vt Suetonius in Tiberio dicat, *Regem aboleuisse omne ius moremque Asylorum qui vsquam erat.* Increbuerat enim referente Cornelio Tacito libro 3. Annal. Græcas per vrbes licentia & impunitas Asyla statuendi, vt templa pessimis seruitiorum complerentur, eodemque subsidio obærati aduersus creditores, suspectique capitalium criminum receptarentur; neque vllum esset satis validum imperium coërcendis seditionibus populi, flagitia hominum, vt Ceremonias Deûm protegentis. Alexander ab Alexand. libro 3. c. 20. Augustum etiam Cæsarem affirmat Asyla à veteribus constituta abrogasse, ne proposita immunitatis spes causā facinoribus daret. Verum non hæc est medicina, quæ sanæ parti corporis scalpellum adhibet; Carnificina est ista atq; crudelitas. Illi enim (quod salua tantorum Heroum autoritate dictum esto) non tantum vitiosas asylorum partes sanare, sed & sanam eorum constitutionem exsecare, i. est, vsum propter abusum tollere conati sunt. Et posset profecto eodem argumento ipsum ius, ipsa iudicia, vrbs ex vrbe, mundus è mundo eiici; cum nihil tam religiosum, tam sanctúm atque excellens, quod non deterrimi alicuius abusus indicia redoleat. Præcepit ergo Iehoua Moisi Num. 35. vt loquatur ad filios Israël, simul ac Iordanem transierint ac terram Chanaan intrauerint, ordinent sibi ciuitates quæ sint *ciuit. refugii.* Et Deut. 10. inquit, *Separabis tibi tres ciuitates,*

in medio terræ tuæ, quam Dominus Deus tibi possidendam dat, vt scilicet illuc confugere possit omnis homicida. Proinde fuit Romæ constitutum Asylum vt habet Dion. Halicar. lib. 2. Et Liuius lib. 1. Romulum inter duos lucos Asylum posuisse confirmat. Sic postea quam Hercules migrauit è vita, nepotes eius, timentes insidias eorum quos auus afflixerat, Athenis sibi primi Asylum, quod *templum misericordiæ* nuncupatum, constituerunt, à quo vt docet Suetonius & Plutarchus in vita Thesei, nullus posset abduci. Fuerunt autem res variæ quæ Asylorum immunitatem exprimebant. Ac 1. quidem Cæsarum statuæ vt est *lib. 1 ff. T. 6. §. Dominorum*, qualem Tiberii fuisse scribit Philostratus. 2. In Castris apud signa tanquam apud Asyla quis tueri olim se poterat, & a captiuitate vindicare; id quod Tacitus exemplo Planci demonstrat. 3. Ius Asyli erat apud ipsum principem; quare Æsopus, Crœsũ Regem Lydiorum eum absq; causa occidere volentem sic alloquitur: Ego itaq; Rex tuos pedes attingo, ne me sine causa occidas. 4. Si quis olim ad pedes flaminis Dialis supplex procubuisset, eo die verberari piaculum erat. 5. Deniq; Regum domus pro Asylis antiquis habitæ. Sic Chilpericus quartus Rex Franciæ fugit ad Ludouicum Regem Lotharingiæ; Themistocles ad Regem Persarũ, &c. Hic verò notandum non ad omnes promiscuè Asylorum immunitatem redundare; sed ad eos tantum qui ignoranter & absq; scientia quempiam interimunt. Ideò Lex diuina Exod. 21. in hunc modum distinguit: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum vt moriatur.* Petrus Martyr non nisi 5. positis cautionibus Asyla retinenda esse definit, quas Tom. 1. class. 4. pag. 1712. docet. Porro non gaudent immunitate Ecclesiarum, sacrilegi; non effractores carcerum, non damnati iam à iudice, nec ii qui iam comprehensi, vel ab administris iudicii, vel ab aliis insequentibus; de quibus *Boerius decis. 110. num. 9. & 10.* Idem etiã obtinet in reo diuinæ Maiestatis & humanæ; ob id iussit Salomon Ioabum euelli à cornu altaris & interfici, quia proditor Maiestatis fuisset. Iuxta quod etiã repelluntur ab Asylo latrones qui vias obsident, depopulatores nocturni agrorũ, quia p insidias delinquũt. Iustin. deniq; in

Nouell.

Nouell. c.7. §. neque enim homicid. excipit homicidas, virginum raptores & adulteros; De homicidis verò digna sentẽtia est Philonis Iudæi, quę dissertationem nostram concludat: Homicidæ (inquit) censendi sunt, non solum qui interimunt, sed etiam qui nihil non conantur, clamque palamque vt interficiant, etiam si non perpetrauerint facinus. Quod si præ metu vel audacia vitiis contrariis in templum irrumpere tentauerint impunitatis inueniendæ gratia, prohibẽdi sunt; Sin autem iam surrepserunt, dedendi sunt ad supplicium, cum hoc præconio; *hominibus nefariis in fano ius Asyli non deberi*. Nam quisquis malum dat incurabile, inimicus est Deo. Homicida autem lædit immedicabiliter, quia occisus non potest in integrum restitui. Pollutos verò ineluibili scelere abolendo, nulla mora temporis dignabimur aditu sacrarum ædium, quos nec priuata quidem domus honesti viri & sanctitatem amantis admitteret.

4. *An tortura pugnet cum principiis Theologicis & Politicis?*

Quando omnium creaturarum quæ sub cœlo sunt, homo est dignissimus, tã ratione creationis, quam redemptionis; & verò is solus tam horrendis torturæ cruciatib. subiiciatur, merito quæstio hæc ardua & magni præiudicii reputatur. Nec desunt qui multis argumentis eã impugnare, & cum radicibus suis euellere conantur, inter quos imprimis clarissimus *Zepperus*, libro 5. legum Mosaicarum, cap. 10. Et sanè non lubens in tam periculoso negotio interposuerim sententiam meam, ne qua conscientiam offendam; quod in rebus & quæstionibus eiuscemodi fieri facillimè potest, siue in hanc, siue illam partem pronuncies. Interim quia in Politicis mentio aliqua huius rei facienda fuit, & quia tales controuersiæ etiam in scholis considerari atque expendi debent, idcircò breuiter id quod maximè consentaneum videbitur, exponam. Sunt duæ sententiæ extremæ in hac controuersia. Vna est eorum, qui existimant, exquisitissimum quodque genus tormentorum excogitandum & adhibendum esse ad scelerum præsertim grauium confessionem extorquendam, & quidem quam

fieri poteſt citiſſimè extorquendum, ne iudices moleſtia afficiantur ex iſto diuturno accuſatorum examine, & ne Reſpub. ſumtu grauetur in captiuos faciendo. Hæc ſententia nō tàm piorum hominum eſſe videtur, quam crudelium carnificum ac tyrannorum. Eſt deinde alia ſententia planè contraria, nempe nullis penitus Quæſtionibus per torturas eſſe vtendum, & repugnare omninò torturas omnes verbo DEI, atque adeo etiam charitati proximi. Quam ſententiam multi boni & pii tuentur præſtantesque Theologi defendunt; inter quos *Wilhelmus Zepperus*, in Legum Moſaicarum explanatione, libri 5. capite 10. vbi quidem, cum profeſſus eſſet in hac tota diſputatione, hunc ſibi ſcopum propoſitum eſſe, vt tantum efficiat quantum hortulani, qui cum curuas arbores rectas facere volunt, in contrariam prorſus partem inflectunt & detorquent; tandem argumenta addit præcipua ſeptem, eaque non omnino quidem contemnenda, ſed interim tamen eiuſmodi, quæ magis ad vetuſtam illam ingenuitatem & ſimplicitatem, & Rempublicam Iudaicam, iniqua homines vnius naturæ ac gentis, vniuſque religionis conformiter viuebant, atque adeo, in qua minor rerum confuſio erat, accommodata ſint, quam ad Reſpublicas horum temporum, quibus & malitia & in omne ſcelus libido decuplò maior, & vbi in vna non dico regione vel vrbe, ſed oppido, vico & pago cohabitant homines diuerſiſſimarum gentium, atque adeò etiam ingeniorum & morum, vtplurimum etiam diuerſarum ac diſcrepantium religionum: Ita vt omninò iuſtitiæ adminiſtrandæ & flagitiorum deprehendendorum in tanta rerum, quæ nunc in mundo eſt, confuſione, decuplo difficilior ſit ratio, quam erat in Iudaica Republicâ; in qua cum DEVS ſæpe per ſortes, vt in furto Achan, & per alias vias extraordinarias occulta ſcelera retegeret, homines magis ſibi timebant & flagitia vel vitabant, vel ſi commiſiſſent, promptius fatebantur. Nunc alius planè ſtatus eſt; ita vt acerbiora remedia magiſtratui fuerint neceſſariò inuenienda; Et ſane ſi nullo planè dolore aut cruciatu veritas extorquenda eſſet, ſed iis ſolis, quæ

Zepperus

Zepperus ibidem præſcribit, indiciis & examinibus perpetuò vtendum, neceſſariò ſequeretur, aut ſceleratos ad ſupplicium eſſe trahendos, etiamſi nulla eorum propria confeſſio accedat, aut ex centum flagitioſis, vix vnum eſſe puniendum; ſiquidem & rectè qualificati & iurati teſtes rarò admodum haberi poſſunt, cum adulteria & grauiſſima alia ſcelera ſine teſtibus committantur, & omnes homines ita ſint comparati, vt ſua ſponte ſcelus nullum confiteantur, quod morte piandum eſſe ſciant. Quæ autem futura eſſet vita hominum, & quales Reipublicæ, ſi ex centum flagitioſis, vnus ſaltem aut alter ad debitam pœnam raperetur; reliqui, quorum ſcelera vel iuratis teſtibus, vel ipſorum propria confeſſione non poſſent probari indicibus, dimitterentur impunè ad flagitia iteranda, & ad graſſandum in alios pro ſua nefaria libidine? Quomodo ſatisfieret ſeueriſſimis mandatis diuinis Exodi capite viceſimo ſecundo: MALEFICOS NE SINAS VIVERE; & Deuteron. capite decimo nono; NON MISEREBERIS EIVS, ET AVFERES NOXIVM SANGVINEM DE ISRAEL, VT BENE SIT TIBI. Quapropter vt in aliis grauibus controuerſiis, ita hîc quoque mediam viam tutiſſimam eſſe arbitror; nempè, nec ita inſtituendas quæſtiones per torturam, vt hodie in plurimis locis, proh dolor, crudeliter fit, nec planè etiam intermittendas aut abolendas. Quæ quidem media ſententia etiam fuit Imperatorum Seueri & Adriani, *l. prima, §. decimo ſeptimo. Digeſt. de Quæſtionibus.* Confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportet, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat. Et Adriani reſcriptum ibidem; Quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam conſtitutionibus declaratur; Etenim res ipſa fragilis; & periculoſa & quæ veritatem fallat. Nam plerique patientiâ ſiue duritiâ tormentorum, ita tormenta contemnunt vt exprimi iis veritas nullo modo poſſit. Alii tantâ ſunt impatientiâ, vt quiduis mentiri, quam pati tormenta velint. Ita fit vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum ſe, ſed etiam alios criminentur.

Porrò vt mediũ iſtud ſeruari ac teneri poſſit, ſequẽtes limitationes ac cautelæ notandæ fuerint. 1, Diſcrimen habendum perſonarum, non tãtum quoad certas quaſdam executiones & priuilegia, ſed etiam quoad robur & conſtitutionem corporis. 2, Non promiſcuè in omnibus delictis eodem modo eſſe procedendum: e.g. in examine ſagarum & veneficarum, non tantum ſexus, ſed etiam ipſius delicti ratio habenda, quod tale eſt vt dubium adhuc ſit, an & quomodo tortura in tali caſu vſurpanda. 3, Torturæ crudeles planè non vſurpandæ, ſed cum homine humaniter, **Menſchlicher weiſe**, vt piè definiunt Scabini Magdeburgenſes, agendum. 4, Si carceris ſqualore extorqueri confeſſio poſſit & malâ manſione, non eſſe procedendum ad acerbiora. 5, Si autem carceris ſqualor non ſufficiat, ad diei vnius vel alterius inediam progrediendum; ſi hæc nihil extorqueat, ad vigilias veniendum, prout fit in Hollandia, vbi adhibito ad reum cuſtode, qui dormire volentem ſemper exciteт, maximorum ſcelerum confeſſiones feliciter extorquentur. In nonnullis locis plantas pedum aquâ ſalſa abluunt, & poſtea capram adhibent, quæ plantam lingat. Hæc ſæpè præſertim repetita exquiſitos cruciatus faciunt, ita vt ad numellas, taxillos, pondera progredi non ſit neceſſe. 6, Non quemuis, aut quouis tempore, loco & modo quæſtionibus ſubiiciẽdum, ſed facinoroſos in caſu neceſſitatis, quando ſcilicet veritas aliter haberi non poteſt, & quos tales eſſe non obſtante eorum negatione, certum eſt, aut ſi non omninò certum eſt; ex concurſu indiciorum veriſimilium reos eſſe, non obſcurè patet, 7, Imò non debere iudicem procedere ad torturam, quamuis in caſu neceſſitatis, & vbi veritas aliter haberi nõ poteſt, niſi certa & indubitata adſint indicia, quæ proferuntur. 8, Summa, circa Quæſtiones & Torturas potius peccandum in defectu, quam in exceſſu. 9, Carnificum crudelitatem ſtrictè cohercendam, nec ſæpè iterandam torturam; ordinariè etiam in tortura neminem interrogandum de ſuaſoribus, aut ſociis delicti, nec pro illis detegendis torquendum. 10, Iudicem qui in has regulas peccauerit, ipſum eo quo alios torſit, modo torquendum, vel alia grauiori pœna adficiendum.

dum. 12, Propriam confessionem rei, vel metu torturæ vel eius perpessione extortam ad cōdemnationem neutiquam sufficere, nisi alia adsint certa indicia. Hæ nimirum sunt cautelæ & regulæ ac limitationes, quibus admissis, torturæ principiis Theologicis aut Politicis non ita repugnabunt; sicut quidem a veris Iurisconsultis etiam vltrò admittuntur ac præscribuntur: vt diserte patet ex Rescripto Seueri atque Adriani, item ex Constitutionibus criminalibus Caroli Quinti, articulo 25. & seqq. ex tractatu item Guidonis de Suzaria, quem de hoc argumento scripsit; & denique ex breui ac perspicua tractatione quam de iudicio inquisitorio, Quæstionibus item & Torturis, ante paucos annos in lucem edidit *Laurentius Arnoldus*. quò Lectorem remittimus.

5 *Præbitio veneni sitne vsu recipienda?*

Massiliæ olim, referente Valerio, cicutæ venenum publicè custodiebatur, quod daretur ei qui causas sexcentis (id enim Senatus eius nomen erat) exhibuisset, propter quas mors esset illi expetenda. Antiquis Græcis valdè fuit frequens: veluti & apud Athenienses Socrates hac pœna affectus, ebibito cum cicuta infecto poculo. Et D. Iohannes Euangelista eadem à Domitiano est damnatus, priusquam in insulam Pathmum relegaretur. Verum hæc supplicii ratio vt Ethnica & impietatis plena consuetudine est antiquata. Quid enim? nonne reus simul carnificis munus obiret, ac sibimet manus violentas inferret, si sumpto poculo venenum exhauriret? Iure ciuili Romano T.19. *L. aut damnum.* §. *proinde in ff.* his verbis interdicitur. Proinde nec liberam mortis facultatem concedendi ius præsides habent, multo magis vel veneno necandi. Apud Iappones quidem hodie vsitari aiunt, vt Rex infensus nobilium alicui mandet: *Abi, ventrem tibi scinde.* Sed Seneca Epist.30. inquit: „Aliquando etiamsi certa mors instabit, & destinatum „sibi supplicium sciet, non commodabit sapiens pœnæ „suæ manum. Stultitia est timore mortis mori, veniet qui „occidat, exspecta, quid occupas alienam negotium? Nec obstat id, quod nonnulli volunt, tum imprimis eo genere supplicii vtēdum, cum persona scelerata est ex illustri

1. cap. 6.

Tholosanus lib.31. cap.27.

Lipsius lib.3. Manuduct. ad Philos.

familia, ne scilicet apertè turpitudinis ac infamiæ notam accipiat. Hoc enim vno veluti flatu dissipari videtur publica illa & vetustate iam corroborata iudiciorũ omnium ac pœnarum administratio; quæ si intra priuatos parietes perageretur, non posset non amplam suspicionis segetem ac materiẽ populo suppeditare. Vnde sub dio Æthere cœloque aperto actæ causæ apud plerosque fuerunt; Quemadmodum id L. Pisonis, A. Claudii & aliorum exemplis innotescit.

Politicus in hist. fori Romani l. 2. c. 2.

6 *Quid de Carnificum infamia statuendum?*

Sunt exosi vel naturâ ipsâ humanâ huiusmodi homines qui exequũtur mortis etiam meritæ supplicium, inquit Tholosanus; vtpote communis sanguinis natura condolente humano interitui alterius. Et Cic. in Oratione pro Rabirio funestari dicit cõcionem lictoris vel carnificis interuentu. Bodinus item lib. 3. de Rep. cap. 8. affirmat, Carnificis munus vbiuis fere gentium sordidissimum iudicari, & per leges censorias illi domicilium in vrbe non licuisse, nec hac quidem ætate apud Tholosates licere. E regione Hebræorum legibus nobilissimos quosq; si testes capitalium scelerum fuissent, eosdem carnifices habere non modo fuit honestum, sed & necessarium. Sic Saul iussit emissarios suos interficere Sacerdotes Reg. 1. c. 22. Dauid pueros suos vt occiderent Rachab & Banaa principes latronum. In Anglia proximi cuiusque parentum, fratrum, propinquorum qui modo in crucem aguntur, extremum pietatis officium est agere carnificem, iisq; de trabe humili pendentibus gulam frangere, id quod testatur idem Bodinus, d. l. memorabilem hanc historiam annectẽs. Quondam Gandaui contigisse accepimus; vbi iudex patrem ac filium eiusdem sceleris conuictos ac damnatos, sortem ducere iussit, vter vtrius carnifex esset: Patri sors obtigit; sed cum ætas ingrauesceret iam sua, precibus eblandita gratia obtinuit, vt filius ætate robustior, eo munere fungeretur. Ergo filius intrepidè parentis iugulum hausit. Cuius impietatis ac sceleris sempiterna vestigia (quæ inuiti spectauimus) Gandauenses æneis statuis in vrbe media, & quidem publico ac patenti loco etiamnum

Bodinus l. 5. de Rep. c. 8.

lamnum extare patiuntur. Guilhelmus Zepperus duas dicit esse causas quod carnifices male apud nos audiant; quarum prima est, Papistica irregularitas; quæ secundum ipsos ex quouis contrahitur homicidio; adeo vt tam iustè nemo alterum occidere queat, quin aliquid labis & noxæ inde contrahat, quo minus ad S. ministerium possit promoueri. 2, Quod lictores & carnifices initio delecti fuerint homines facinorosi & scelerati, quemadmodum adhuc hodie plerique horum turpiter & scelerate viuunt, atque hoc pacto maiorem suo officio ignominiam inurant. Vnde officium non ipsos, sed ipsi potius suo vitio polluunt officium. Accedit etiam 3, quod illis hominibus sordidissima quædam à Magistratu opera demandentur, quibus eô audaciæ ac proteruiæ progrediuntur vt omnem simul modestiam & honestatem, cum pietate exuant. Sed quia hæ omnes causæ fluunt ex accidente; carnifices per se non possunt esse nec haberi infames. Et sane si honestum est, iudicem in sceleratos sententiam capitalem ferre, quomodo illius exsequutio est turpis atque ignominiosa? Non igitur, dixerim valde bonam illam consuetudinem, quæ antea in Saxonia, multisque insuper aliis locis Germaniæ adhuc hodie obtinet, vt si carnifex primo ictu aberret, repente promiscua in illũ multitudo irruat. Hac enim proposita licentia, multa enormia existere necesse est. Et refert ex Lubeci historia Iustinus Goblerus vno die 5. lictores in carnificina à populo esse obrutos. Huic sanctioni sapientissimè obuiam iuit Carol. V. in *const. de capital. iud. Art.* 97. præcipiens: Fracto post sententiam definitiuã bacillo iudicis, cumque lictor reum ad locum supplicii trahit, prætor palam ac publice exclamari, denunciarique, adeoque Magistratus atque potestatis nomine sub capitali pœna iuberi faciat, lictorem nulla ex parte remorari, aut impediri, etiamsi casus in euentu fuerit, nullas illi violentas manus iniici.

lib 5. c. 7.

7 *An sit ex vsu Reipubl. multas exstruere arces, & vrbes propugnaculis ac mœnibus communire?*

Muros circumducere parum ciuium ad salubritatem prodest, inquit Plato, existimans quod ita ciuib. mollis quidam & languidus animus ingeneretur, vt non de hoste propulsando, sed de suis propugnaculis ciues cogitent; salutemque suam contineri arbitrentur in munitionibus & propugnaculis. Vnde Cleomenes fortissimus Imperator oppidum arte & naturâ munitissimum intuens exclamauit, *O muliebres latebras!* Lycurgus Lacedæmoniorũ legislator interroganti cuidam cur Sparta inexpugnabilis esset? respondit, *quod non lateribus, sed viris cincta sit.* Et fuit apud Lacedæmonios Lex expressa; *Sparta muros ne habeat*, de qua lege vide Nicol. Cragium lib.3. de Repub. Lacedæmoniorum, pag.320. Hæc igitur teste Bodino, inter se pugnant, vrbes valdè munitas & fortes habere ciues; cum nec strenui videri possunt, qui murorum præsidia quærunt, nec hostium impetus metuant, nec militaribus disciplinis egeant, qui munitissimis oppidis cinguntur. Negus Maximus (autore Iouio) antea Indorum, nunc etiam Æthiopum Imperator, semper in tentoriis versatus, nec arcem vllam tam latè patentibus regnis habuit, præter eam, quæ (referente Francesco Aluares) à maioribus in Anga monte excelsissimo exstructa est; in qua Principes seueriori disciplina educantur, ne plebem seditiosis factionibus à Regis obsequio diuellant. Machiauellus arces dicit exstrui solere vel ad arcendos hostes, vel ad subditos cõpescendos & in officio continendos. Ad priorem vsum eas non necessarias; ad posteriorem, inutiles & noxias existere sic probat. 1, Rebellionis periculum inde oritur, cum iis plus quam conueniat confidentes Principes subditos male tractandi plectendique occasionẽ arripiant, eoque odium illorum aduersus sese concilient; ex quo rebelliones, cædes, & infinita mala dependent. 2, Duo saltem sunt modi subditos per vim in officio continẽdi; alter vt in promptu habeas exercitũ egregium; alter vt rebelles planè deleas extirpesque, ne amplius deficere; aut arma aduersus te capere queant. 3, Hoc potissimũ tempore non tantum sunt inutiles, sed & pernitiosæ propter bellicarum machinarum vsum, quarum impetum neque arces, neque alia loca sustinere possunt.

Bodinus lib.5. c.5. de Repub.

Plutarch. in vita Lycurgi.

lib.2. dis.c.24.

Arces

4, Arces facile amittuntur; & vbi hostis illas occupauit, aduersus te iis vtetur. 5, Quæcunque ædificantur arces ac propugnacula nimiis sumptibus, aggrauāt cum principes, tum subditos. 6. Summi quique Imperatores & duces arces diruendas putarunt, quod ibidem demonstrat exemplo Octauiani Fregosii & Guidonis Vbaldi rei militaris peritissimi. At contra Asa lib. 2. Chron. c.14. ℣. 7. dicit Iudæis; *Ædificemus ciuitates has, & circumdemus muro & turribus, valuis & vectibus, tantisper dum hæc terra nobis exposita est.* Et constat hinc primam sociandorum hominum occasionem natam esse, vt non modo singulorum, sed & vniuersorum fortunæ, bona, vxores, liberi, pecuniæ, possessiones ab hostium incursionibus tutiores essent, quæ sine mœnibus salua esse non possunt. Simile est enim ciuitatem non circumdandam mœnibus censere, ac si quis regionem quærat hostium incursionibus expositam. Faciunt etiam muri ad ciuitatis ornatum & magnificentiam, vt monet Aristoteles 7. Pol. c.11. Nimis igitur simpliciter & antiquè iudicāt, qui ciuitatem munitam esse debere negant, propterea quod suæ inuadendæ ac diripiendæ illecebra quædam sit, inquit P. Greg. lib. 2. cap. 1. Qui idem salutare monitum suppeditat, lib. 2. de Repub. cap. 1. quod maior sæpius hostium copia irruat, quam vt paucorum oppidanorum virtute reprimi possit. Quin & natura munitiones probat ac fundat, vtpote quæ montibus, fluminibus, paludibus, ciuitates & arces muniuit, vt argumentatur rectè Vegetius lib. 4. de re militari, cap. 1. Sed & feræ ac animalia ferociora habent sua lustra, electionem syluarum, & in illis certorum locorum adhuc tutiora eligunt, & ad vitam facilius parandam magis commoda; imo & innocentiora animalia subeunt foueas peruias; aues in aptis & securioribus locis nidos construunt, tanquam à natura ipsa edoctæ essent, se vitamque quibus poterint modis conseruandam esse. Proinde antiquissimæ vrbes cinctę muris fuerunt, quod de Hierosolyma testatur Iosephus lib. 6. cap. 6. & de Babylon. (Cœlius lib. 8. cap. 12. antiq. lect.) quæ ciuitas muris ambitum habuit 385. stadiorum, viamque super mœnibus tam latam, vt quadrigæ occurrentes facilè pertransire possent. Quoties

Bodin. l. c.

Tholos. l. c.

Bodin l. c.

oppidum vnum aut arx vna ingentes exercitus repulit? quoties ii qui obsidione vrbem cinxerant fame, peste, frigore, morbis omnibus obsessi fuerunt? Constantinopolis Turcarũ obsidionem annos 8. pertulit. Nec ita pridem Fessarum arx obsidionem exercitus Marochi regis annos 7. passa est, ac hostium se circumsidentium interitum summa securitate spectauit. Nec multò post Mecna vrbs Africæ cum diutius esset circumsessa hostibus ipsis exitium attulit ac dedecus sempiternum. Denique ne hoc quidem latere oportet; quod qui mœnibus circumdantur, eis licet in vtramque partem vti vrbibus & tanquam muros habentibus & tanquam non habentibus, sed iis qui mœnia non habent, non licet, sicuti acutè ratiocinatur Aristot. l. c. verum cum dissidentes inter se Rerumpub. status discrepantibus institutis ac legibus moderari oporteat, accuratiori aliqua distinctione opus est, quam idem autor sæpè citato loco suppeditat. Loca munita non pariter cunctis ciuitatibus vtilia sunt; vtputa arx ad dominationem vnius vel paucorum; in populari videndi modo æqualitas loci; in optimatum vero gubernatione, neutrum istorum, sed magis loci plures ardui. Bodinus eandem sententiam amplecti videtur, cum lib. 5. de Repub. c. 5. in hunc modum „ disserit: Arces pręsidiis obfirmatas habere periculosum „ est, libertatem popularem amantibus præter vrbem i„ psam, in qua sedes & domicilium popularis imperii col„ locatum sit; ne quis hostium vel etiam ciuium ac dome„ sticorũ imperandi cupiditate inflammatus arces occu„ pare, easque præsidiis obfirmare possit, vnde popularis „ status conuersio, aut etiam Reip. euersio sequitur. Idem „ quoque in puriori optimatum statu, quod in Democra„ tia; quantum ad arces attinet, relinquitur iudicandum, „ quia non minus, & certe maius periculum optimatibus „ impendet, ne vnius imperandi cupiditas arce capta do„ minatum arripiat, aut suas opes ad potentiorũ exitium cum plebe coniungat. Franciscus Patricius lib. 8. de Rep. T. 9. similiter concludit arcẽ in vrbe liberæ ciuitatis inutilem esse, in subiecta autem necessariam admodum. Nobilissimus Henricus Ranzouius, egregio quem scripsit commentario bellico, addit plenam prudẽtiæ politicæ dispu-

ticæ disputationem de arcibus ac munitionibus, in qua sic sentit: Paucas solummodò munitiones & arces easque validas, ad limites potissimum regni collocandas; Sed ita vt præsidiariis fortibus, fidis ac rei militaris peritis sint refertæ: alias enim florentissimas ac munitissimas ciuitates, cum annonæ caritate, tum etiam militum præsidiariorum inopia compulsas deditionem fecisse infinitis exemplis declarat: vbi simul in patriæ nostræ mentionem incidet, quæ ibidem videri potest.

8 *An Princeps Monomachias permittere debeat?*

Cent. 2. c. 19.

Duellum secundum Tolosanum lib.48. c.16. in Synt. Iur. vniu. est singulare certamen duorum hominum & solius cũ solo pugna. Quod teste Philippo Camerario, fuit olim tam inter Ethnicos quam Christianos, atque adeò inter omnes gentes, sicuti est hodie adhuc Christianis cum Turcis, in finibus Hungariæ & Dalmatiæ ad ostentationem fortitudinis vsitatissimum; adhibitum quoque ad eruendam rei occultæ & dubiæ veritatem. Quippe ii qui de generis nobilitate gloriantur, dignitatem putant violari suam ni satisfiat ei qui iuratus iniuriam se accepisse affirmat: Vnde etiam initium traxisse apud eos populos qui ad Aquilones positi sunt, Bodinus autumat lib.4. de Repub.c.7. Fronto Rex Daniæ affirmante Saxone historico legem tulit, vt omnes controuersię, qualescunque eæ essent, duello definirentur. Et Melphitanus princeps, nullum ad seditiones militum coercẽdas & cædes occultas remedium tam salutare esse duxit, quam monomachiam Imperatoris autoritate & concessu decerni; eâ lege tamen, vt victus à victore necaretur, & in profluẽtem sine sepultura mergeretur, constituto ad certamina subeunda loco publico, quem flumen vndique cingebat. Sic Fridericus quoque Imperator I. de pace petenda in vsu Feudorum, duellum inter legitimos modos probationem referre videtur: Et habemus innumera exempla ipsorum Regum & Ducum qui singulari certamine vel ante, vel in prælio cõflixerunt. Imprimis vero apud Q. Curtium lib.7. Erigij Ducis Alexan. & Satibarzanis transfugæ, qui detractis

galeis concurrerunt. Pyrrhi item qui iam vulneratus in prælio cum Mamertinis, hostem magna corporis statura, à quo fuerat prouocatus, prostrauit. Georgius insuper Castriotus, à Turcis dictus *Scanderbeg*, singulari certamine deuicit Feribassam, vt Barletus lib. 5. de eius gestis recenset. Memorabilis autem fuit Monomachia, quæ Parisiis, regnante Carolo sexto, inter duos proceres Iaquetum Guisum, & Iohannem Carongium accidit. Is enim stuprata Carongii vxore, ab illo prouocatus est atque occisus. Antequam vero duellum fuit inchoatum, variis vtebantur ceremoniis, quas Tholosanus lib. 48. cap. 16. in Syntag. Iur. vniuers. plenariè pertractat, vbi inter alia iurandi formulam, auditu terribilem atque horrendam enarrat, quam Claudius de la Sale, vir in aulicis negotiis expertissimus præscripsit. Quando autem hæc probatio quæ vulgaris purgatio IC. dicitur, fallax est, & Deus sæpenumero permittit innocentes ab eo quo crimine accusantur succumbere, Monomachia iure ac legibus fuit interdicta, sicuti vidimus in *Tit. Cod. de gladiatoribus*; vbi inserta est Constantini lex, cui in otio ciuili, & pace domestica cruenta spectacula non placent. Et Hispanorum legibus nulla duelli causa probatur, teste Petro Belluga *in Speculo. tit. 26. § Iesu*. Christophorus de Capite fontium sic contra Monomachos exclamat: Ostolidè feroces, qui dum in vindictam ruitis vitæ huius, & æternæ discrimen incurritis! Nonne videtis vos specioso honoris titulo deceptos, a Diabolo ad carnificinam duci? nonne pudet vos singularis dementiæ? nonne pœnitet periculosi certaminis aleæ? vbi vigor ille animæ & præstantia ingenii? &, pag. 98. Primum peto, an affirmarint summum honoris fundamentũ esse virtutẽ & honestatem, quod si affirmarint, vicimus. At eorum honoris summa non virtute, sed scelere fulcitur, & quasi verbis opus foret in re perspicua. Aliud tamen de duellis iudicium esto, cum tempore belli ad sopiendas clades imminentes & ad controuersias dirimendas à ducibus permittuntur. Sic enim singulari certamine Curiatiorum & Horatiorum diremptũ bellum inter Romanos & Albanos, victis Curiatiis, qui nomine Albanorum causam defendebant, ab Horatio, qui

Robert. Gaguinus lib. 9. hist. Franc.

pag. 96.

pro Romanis vicit, lege prius positâ, vt victis istis aut vincentibus, commilitonibus, victores & victi habe-rentur illi, quorum causam defenderent. Multi præter-ea alii Heroës, vt suo & suorum sanguini parcerent, sin-gulari certamine de summa rerum decernebant, & vicit Monomachia Roëm Danorum Regem Hundigus Rex Saxonum; Carolus item Rex Neapolis Petrum Arago-niæ Regem vt de Regno decernerent, prouocauit. Ad-hæc necessitas aliquando ferendæ Monomachiæ impo-nitur, vt videre est in Bellisario de singulari certamine, & constitutione Philippi Regis Gallorum, Bodinus l. c. Duellum ad grauiora declinanda incommoda feren-dum esse, non autem propterea id lege sanciendum; id quod Rotarius Longobardorum Rex, *lib. 1. L. Longobard. tit. de Monomachiis*, lachrimans quadamtenus deplora-uit. Incerti sumus de iudicio Dei, & multos audiuimus per pugnam sine iusta causa, suam causam perdere. Sed propter consuetudinem gentis nostrę Longobardorum legem impiam vetare non possumus.

Bodinus lib. 4. c. vlt.

Anno 1306.

9 *An & quatenus Metallurgias & Alchymiam Princeps concedere debeat?*

Ad defensionem quam Princeps subditorum bonis præstare debet, referendæ fuerint constitutiones de Al-chymia & huius professoribus atque artificibus, quos certum est, bonis priuatorum plus hactenus, quod ad metallurgica attinet, nocuisse, quam dici possit. Quare cum intersit Reipub. vt re quisque sua bene vtatur, id-circò Principum erat publicis interdictis ista priuatis hominibus prohibere. Possit Princeps ipse & Respub. in talibus quæ opera omnia humana difficultate supe-rant aliquid experiri & tentare. At priuatorum ista res & cura esse non debebat. Non facilè reperitur in venis metallicis argentum viuum, quod voto respondeat, & verum argentum non facile in sulphur & Mercurium viuum auro producendo opportunum resoluitur, ea-demque difficilè purgantur, difficilimè autem seruan-tur & corroborantur, naturali etiam gremio seu ma-trice destituuntur; ita vt ad eorum generationē efficax cœli & planetarum virtus cōcurrere nequeat, vnde non

rarò per crebras aëris mutationes totum opus impediri necesse est. Adde Diabolum circa metalla & eorum tractationẽ variè ludere, & varias formas & colores Metallurgis ostentare; quod sibi accidisse affirmat magnus quidam Chymistarum defensor & assertor. Quis deniq; specialia multorum Alchymistarum cum Dæmone pacta? quis periculosos tam animi quam corporis morbos? quis ingentes sumptus, quos ne ipsorum quidem Comitum, Baronum, ac priuatorum hominum opes sustinere diutius possunt ignorare potest? Asserendum igitur cum Caietano & Cardano, artem chymicam vel nullorum esse hominum, vel principum duntaxat. In Angliæ regno sapiens lex est, quæ promulgata dicitur; *ne quis priuatus sine consensu Regis Alchymiam exerceat*; Quam legem ipsa necessitas aliquando sanciri iubebit in Germania & alibi, vbi Alchymistarum numerus prodigiosè indies crescit. De Diocletiano Imperatore legimus, conquisiuisse diligenter Alchymistarum libros, & conquisitos cremari iussisse, ne amplius Ægyptii per huiusmodi artificium rebus innouandis studerent. Vide Cœlium lib.8.cap.3.

10 *Quid in Decoctores statuendum, & eos qui Foro cedunt?*

Bodinus lib. 5. de Rep. c. 2.

Respublicæ nullum habent firmius aut stabilius fundamentum, quàm iustitiam: Iustitia verò esse nulla potest, nisi conuentionum fuerit ac promissorum certa fides, ac necessaria solutio rerum creditarum. Hinc lex 12. Tabularum de immanitate secandi, partiendique corporis humani; si viuus debitor ob pecuniam adiudicatus addictusque fuisset pluribus, per quam artus inopis debitoris breuissimo laniatu distrahebantur. Hanc pœnam fidei sanciendæ gratia fuisse impositam, scribit Gellius lib.20. c.1. neque peius facinus habitum, quàm contra fidem egisse: nunquam tamen aliquem eâ pœnâ punitum, eò quòd horror illius effecit, ne crimen quis committeret. Inter Iudæos, debitores creditorum seruituti mancipatos fuisse constat. Id quod liquet ex viduæ cuiusdam exemplo dicentis; *Creditor venit vt tollat & vendat filios meos.* Matth. Wesenbecius in Com. super Pand.

Tholosan. lib. 22. in Syntag. Iur. vniu. c. 7.

Pand.lib.4.inquit: *Decoctores alibi carceribus includuntur, alibi excommunicantur, alibi aliter puniuntur.* Cautum tamen à Constantino vt nemo carceres, plũbaturarumq; pondera aut verbera, aliaque supplicia, in debitorum solutionibus vel ab iratis vel à peruersis iudicibus expauescat; quia referente Tholosano l. c. "Nulla res est rerum corporearum externarum, quæ in debitum venit, quæ possit ad pretium corporis humani conferri, vt æquum videri possit, corpora pro rebus minus nobilibus torqueri." Quod sanè de iis saltẽ accipiendum statuimus qui se ad inopiam casu vel alio infortunio redactos profitentur. Ideoque Theodoricus Gothorum Rex Sipontinis negotiatoribus, qui se dicebant hostium populatione vastatos, concessit priuilegium, *ne per annos duos continuò à creditoribus possent fatigari*: quatenus his induciis, & datã possunt reparare pecuniam, & aliquatenus debitorũ valeat respirare substantia. "Quid enim (inquit) proficit debitorẽ vrgere, quando in cassum nudatos nititur exigere? quibus magis prospicimus si ad mutuata sustinendo peruenire faciamus." Et Vlpianus Christianè tradit creditorem debere se præbere exactorẽ non acerbum, vel cõtumeliosum, sed moderatum & cum efficacia benignũ, cum instantia humanũ. At cõtra negotiatores dolosos, qui cõsulto, sine infortunio, magno Reip. detrimẽto, & creditores fraudãt & cõfugiunt in alteras nationes, contraq; adeo Bãcharios qui cũ fraude & periculo multorum sedes vertunt, extat Constit. Caroli V. Imper. in comitiis Augustæ Vindelic. An. 1548. edita, quâ statutũ est, vt comprehendantur, carcereque castigẽtur vt fures, & respondeant creditorib. nulla habita ratione salui cõductus, vel fidei pub. datæ itineris nõ impediẽdi.

Cassiod. lib. 2 var. lect. Epist. 38.

in l. si bene collatæ 33. de vsur. lib. 22. T. 1. ff.

II *Quatenus Princeps dilatando & amplificando Principatui studere debeat?*

Rectissimè Philippus lib. 3. Chron. *Nulla magna potentia contenta est eo quod habet in præsenti.* Habendi enim cupiditas modum nescit, & seruus vinctus id tãtum postulat vt vincula dissoluantur; solutus libertatem petit, liber factus, ciuitatem: ciuitatem adeptus, Magistratum: hinc ad summos honorum gradus cõtendere quousque

Bodiuus l. 5. de Repub. c. 5.

regnum consequatur: nec eo contentus, solum se Monarcham fore confidit: postremo humanæ conditionis oblitus, diuinos cultus & honores ambit. Hinc vehementes naturæ quæ incēdia animorum dissimilima habent, mouent iniustas res cœco & ingenti impetu, parũ cogitantes quo iure quave de causa in alienas possessiones excurrant. Sic Antonius minimè suâ parte contentus bellum infert Augusto. Perdiccas primus inter successores Alexandri conatur Ptolomæo eripere Ægyptum, vt commodius in se Monarchiam, excussis reliquis, transferre posset; sed victus ab eo in bello & à suis interfectus est. Prima igitur principis cura est regnum regere ac defendere; secunda illud dilatare & amplum reddere; quia acquisitio quandoque vno ictu fit; conseruatio verò medio virtutum, atque assiduo eget studio & custodia, teste Xenophonte lib. 7. Pædiæ Cyri. num. 26. Idem sentit Lælius Zecchius lib. 2. c. 1. de principe, inquiens: „ Princeps non curet dilatare imperium, sed „ bene regere & conseruare; cum si amplum sit, difficile „ sit illud regere; si angustum, periculo refertum, velle id „ dilatare, ne simul omnia amittat, & ne subditi ab eo „ prius desciscant, quam bellum adoriatur. Si tamen prin- „ cipatus mediocris sit, illum dilatare, si iuste & absque „ alicuius iniuria id fieri potest, expediens magis erit; sic „ enim officia multis committuntur, quibus beneuolen- „ tia eorum acquiritur, & delinquentes expelli valebunt: „ magis tamen curet illum cōseruare quam noua acqui- „ rere. Omnium seculorum ac regnorum historiæ testantur, studium amplificandorum Principatuum ac Regnorum cum ingenti effusione humani sanguinis & horribilibus damnis ac vastationibus fuisse coniunctum. Quò respiciens Diuus Augustinus inquit lib. 4. de ciuitate DEI, c. 4. *Remota Iustitia quid sunt Regna, nisi magna latrocinia?*

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXXIII.

Quæ est Politica quinta.

DE CVRA PRINCIPIS EXTERNA,

Atq; adeo

DE

PEREGRINIS,
LEGATIONIBVS & LEGATIS,
DEQVE FOEDERIBVS.

INSTITVTA AD DIEM
1. Septemb. Anni 1607.

Respondente

DAVIDE SCHVMANNO
Dantiscano.

VIRIS

MAGNIFICIS, AMPLISSIMIS, SPECTATISSIMIS,

Dn. IOHANNI TORBECIO, *Cos.*

Dn. ANDREÆ BORCKMANNO, *Senatori*

REIP. PATRIÆ.

Dn. ANDREÆ IASCKIO, *Patritio eiusdem florentissimo, in Serenissimi Regis aula iam agenti,*

Dominis Patronis, ac Affinibus suis summissè honorandis,

Primam hanc debiti pensionem obseruanter exhibet

DAVID SCHUMANNUS Resp.

THESES DE CVRA PRINCIPIS EXTERNA, ATQVE ADEO DE PEREGRINIS, DE LEGATIONIBUS, DE FŒDERIBUS.

1 VIdimus officium siue curã Principis internam, superest cura externa, id est, ea, quæ refertur ad homines extraneos.

2 Cura autem extraneorum est vel eorum, qui sunt in regno aut ditione Principis, vel eorũ, qui sunt extra regnum.

3 Cura exterorum in regno iterum est vel peregrinantium per regnum; vel habitantium in eodem: vbi de itinerum & viarum securitate, de exceptione peregrinorum, de hospitiis peregrinantium, de exploratoribus, de transfugis, de erronibus, vt sunt *Nubiani, Zigari*, & similes; denique de iis, qui è peregrina ditione vel exulant in ditione Principis, vel sedes & habitationem suam eò vel ad tempus, vel perpetuò transferre cupiũt; atque adeò quâ cautione ius ditionis & ciuitatis peregrinis sit concedendum; simul etiam de Iudæis, vtrum illis locus ac mansio in Repub. sit indulgenda.

4 Cura Principis ea, quæ refertur ad homines extra ditionem, iterum concernit vel subditos Principis peregrè abeuntes & versantes; vel

eos, qui non sunt subditi, qui iterum sunt vel superioris, vel inferioris status.

5 Tractatio cum hominib. superioris status, siue cum exteris Principibus & Magistratibus, est vel generalior, vel specialior.

6 Tractatio generalior vel simpliciter consideratur, vel vt reciproca.

7 Simpliciter considerata tractatio est vel per literas; vel per certas personas; vbi in Politicis agitur de literis ad exteros, tam manifestarum, quàm occultarum notarum; de nunciis ac tabellionibus, de *veredariis* siue *Postis*, vt vocant; Deinceps de personis, quæ emittuntur; quę quidem sunt tum manifestæ; vbi primò de simplicibus *Agendariis*, vt appellantur; pòst de Legatis ac Legationibus; de instructione Legatorum, de apparatu, de reditu ac relatione eorundem: tum occultæ; vbi de explorationibus & exploratoribus, quatenus & qualiter princeps exterorum principum res indagare atque explorare debeat.

8 Tractatio considerata reciprocè, complectitur materiam de exterorum principum literis acceptandis, deq; responso ad eas; item de Agendariis & Legatis admittendis, excipiendis, audiẽdis, dimittendis.

9 Sic de tractatione cum exteris generaliori; Specialior tractatio consideratur vel respectu vicinitatis; vel respectu certorum pactorum; vbi de modo agendi cum vicinis principibus, atque adeò etiam iis, quorum ditiones sunt interiacentes ac mixtæ: item de pactis ac fœderibus, quatenus &

nus & qualiter ſancienda cũ exteris. Quæ omnia in Syſtemate plenius tractantur.

10 Reſtat tractatio cum hominibus exteris inferioris ſtatus; vbi oſtenditur, qualiter cum ſubditis aliorum principum ſit procedendum, ſi quid fortè negotii cum iis princeps habeat, vel immediatè ratione perſonæ ſuæ, vel mediatè ratione ſubditorum ſuorum. [*Quæ quidem breuis adumbratio eſt, & ſumma materiarum politicarum pertinentium ad curam principis externam.*]

PROBLEMATA.

1 *Peregrini an & quomodo ſint ferendi in Republica?*

ADmittendos eſſe peregrinos, ſi modò boni ſint, ſi præter meritum miſeri, ſi ob religionem exules, ipſa naturalis ratio & humanitas dictitat. Sanè ciuitas non ex vno hominum genere, aut homogeneâ ſocietate ſemper coaluit, ſed ex varia multitudine diuerſimodè collecta eſt; cum pauci nec benè nec ad bene viuendum tutò viuere poſſint. Compoſitum quid eſt ciuitas, inquit Philoſophus, quæ non fit ex ſimilibus. Qualis quidem fuit vicus quondam in Hiſpania penè 100. domorum ex ſimilibus collectus, cuius incolæ erant à ſene quodam, teſte Ludouico Viue, qui adhuc viuebat, omnes progeniti. Eiuſmodi non eſt ciuitas, quæ vt ex diuerſis hominibus fundata & conſtituta eſt, ſic iiſdem etiam optimè adaugetur & conſeruatur; nec fieri poteſt, vt indigenæ ſoli ac ſolitarii abſq; peregrinorum commercio in vrbe viuant, niſi & gentis cum gente & commerciorum omnis tollatur ſocietas, ac ipſa tandem ciuitas lubrico in ſolo nutans graui proſtrata lapſu corruat. Accedit de-

l.2.Pol. c.7.

ſuper. c. 8.l.5. Aug. de ciu. Dei.

inde, quòd suspicionem malæ mentis haud dubiam pariat peregrinorum exclusio, cùm & in subditos desæuiendi maior Principi facultas, & subditis impensius resistendi minor detur licentia. Vnde Lycurgus Spartanorum Legislator nullâ re facilius Leges suas roborari posse existimauit, quàm peregrinorum exclusione: quare & matrimonia cum peregrinis, & omne commercium interdixit, adeoque monetâ ex corio vti iussit, ne peregrinis merces suas eò portandi esset vel lubentia, vel occasio. Quibus de causis, inquit Machiauel. nunquam ciuium Spartanorum numerus potuit augeri, sed ex leui aliquo motu facilè sunt dissipati; ita vt deficientibus Thebis, reliquę ciuitates simul omnes defecerint, amissoque vniuerso imperio perinde affectæ fuerint, vt planta sine ramis. Romanorum contrà imperium nullo alio modo ad tantam creuit amplitudinem, quàm quòd aditum peregrinis facilè patefecerint, quo factum, vt sexto illorum Rege imperante, octoginta millia ciuium illinc habitarent, qui ad bella ferenda apti essent. Quin ipsius Dei vox ac mandatum est, *aduenam apud nos debere esse quasi indigenam, & à nobis diligi vt nosmetipsos* Fera enim feram non expellit, inquit D. Ambrosius, cur homo hominem? Præsertim cum & virtus ipsa ac honestas, cuique animo insita, idipsum velit, vt peregrinos ex hospitalitatis iure recipiamus, ac iis amicè conuiuamus. Malè enim, inquit Cicero, vrbibus prohibentur & exterminantur: nam esse pro ciue, qui ciuis non sit, rectum est non licere; vsu autem vrbis prohibere peregrinos, sanè inhumanum est. Admittendi ergo peregrini: non tamen omnes promiscuè, nec omni modo. *Non omnes*, dico; certè non ii, quos aliæ Respub. ob iustas causas extorres reddiderunt; nec ii, qui ad otium & animi libidines illic viuunt, ac morum corruptelam clanculum & variismodè introducunt. Veneti ad peregrinos accuratè attendunt, eosq; in numerato semper & consignato habent, quò facilior possit esse inquisitio, ne ciuibus aut Reipub. seditiosè officere possint. Altera cautio est, ne promiscuè & indifferenter omnibus ius ciuitatis detur, quæ quidem iterum suis limitibus definienda, ne longius à iudicio hîc animus diuagetur. Spartani

lib. 2. Discurs. c. 5.

Exod. 22. Leuit. 19. Deut. 10.

l. 3. de off. c. 7.

3. de Offic.

nulli

nulli omnino peregrino, teste Xenoph. iura ciuitatis communicarunt, & Athenis etiam fuit Lex promulgata, *ne peregrinus quisquam in numerum ciuium reciperetur.* Imperator Augustus ab omnibus ob id fuit collaudatus, quòd sincerum absque omni peregrini sanguinis colluuie seruans Popul. Romanam ciuitatem parcissimè dederit, vt ex quâ colluuie & corruptela morum oritur, & seditiones concitantur, & ipsis etiam ciuibus de natura-li eo in loco acquisitione quàm multum decederet. Acre in hoc casu Bodini est iudicium, dum inquit: Ciuitatibus graue periculum imminet, cùm peregrinis omnibus patet aditus in vrbem, in quâ sensim opes & incrementa capiunt, ac ipsos dein optimates de imperio deiiciunt. Certè, inquit, Lindauii, Argentinenses ac Tigurini eo quo dixi modo, optimatibus cæsis ac exilio pulsis, populare imperium stabiliuerunt. Sed & Aristoteles monet, omnes ferè seditionibus iactatos fuisse, qui peregrinos & aduenas susceperunt, sicut exemplis idipsum probat, infusam copiosius in vrbem peregrinitatem, eam ipsam sæpius planè inundasse. Quod intelligendum de promiscuâ peregrinorum colluuie, & tali, quam Magistratus prudentia non restringat ac moderetur. Sicut quidem disertè sese Aristoteles declarat 7. Polit. cap. 6. vbi inquit: Si quid boni ex peregrinorum commixtione proueniat, ciuitatem id omnino & amplecti debere, & percipere vbertim posse; sin aliquid mali, facilè id per leges caueri posse, iubentes quos oporteat, aut non oporteat admiscere. Sanè sine peregrinorum consortio & admissione, nullum vnquam emporium vel creuit vel floruit. Mediterraneæ ciuitates, & eæ quæ vel ex agris, vel opificiis tantùm viuunt, peregrinos excludere possunt; hæ verò, quarum vires vniuersæ in mercatura sitæ sunt, peregrinos sine suo damno non excluserint. Sic vt probare non ita possim sententiam Casi paulò duriorem, qui dicit, peregrinos cum ciuibus, tanquam oues cum lupis in vno loco cohabitare non posse, quod locustæ, inquit, sint segeti, id aduenæ ciuitati, qui vt illæ grana, sic ipsi fructum ciuitatis vorant ac consumunt. Neque enim

Suet. in vita Aug.

lib. 1. c. 1. de Rep.

l. 5. c. 3. Pol.

lib. 5. c. 3. Sphæ. ciuit.

contraria protinus sunt; quæ diuersa sunt, nec quod fit ex particulari accidenti & circumstantiâ, in vniuersalitatis regulam continuò trahendum; siquidem nec omnes tales sunt; nec si sunt, vllo modo iis patrocinamur. Quod verò ad ius ciuitatis attinet, *an id peregrinis dandum sit*, ea iam alia quæstio est; pro quâ decidendâ has velut hypotheses constituimus: Ius ciuitatis nullis peregrinis dandum, nisi talibus, qui euidenter possint promouere salutem Reip. atque adeò talibus, qui singulari quadam industriâ præditi aut agrum & hortos colendo, aut ædificando, aut opificia singulariter vtilia exercendo, aut negotiationem augendo queant Remp. ditare, excolere, ornare & amplificare. Secundò, peregrinis illis ita ius ciuitatis dandum, ne quam sibi peculiarem regiminis formam aut Iurisdictionem in Repub. sumant, sed receptis ciuium legibus viuant per omnia. Tertiò, agricolis, hortulanis, & opificibus facilius ius ciuitatis dandum, mercatoribus cum maiori cautione & circumspectione. Quartò, gradus quosdam Iuris istius constituendos esse, nec omnibus statim dandum ius primariũ ac summum. Quintò videndum, quomodo illa gens, è quâ peregrini ad nos veniunt, tractet nostræ gentis homines; sin ea nostros vel planè non admittat, vel admittat quidem, sed ciuitate non donet, ius talionis postulat, ne & illis ius ciuitatis demus. Sextò, sociorum ac confœderatorum etiam ratio habenda, & videndum, quosnam ratione initi fœderis ad ius ciuitatis admittere possimus, nec ne. Septimò, ad vicinas Respublicas respiciendum. Deniq; octauò, nullâ ratione permittendũ peregrinis, vt quando libet, cumulatis in nostrâ Repub. opibus, aliò migrent, eamq; vel belli, vel aliarum necessitatum tempore deserant. Iniquum est, cuius perceperis commoda, eius nolle ferre incommoda, nec iuuare, cum necesse est, Remp. eam, cui bona tua omnia debeas, & quæ te instar matris benignè receptârit, sustentârit, defenderit. Cæterùm de peregrinis & eorum receptione vide Tolos. lib. 4. de Rep. c. 4. Machiau. lib. 1. de Rep. c. 26.

2 *Quid de Zigaris siue Attinganis statuendum, &, an sint tolerandi in Rep.*

De ho-

De horum erronum origine diuersi diuersa sentiunt. Quidam enim volunt eos *Assyrios* esse & *Cilices*; alii eos ab Vxiis & Persiâ oriundos esse asseuerant; inter quos est Volaterranus. Multi putãt eos à Chuso originem ducere, quem ferunt filium fuisse Chami, atq; ex Ægypto & Æthiopiâ deducunt, illosque adhuc vsque progenitoris maledictionem luere per vniuersum orbem hinc inde vagantes. Quæ opinio falsa est, & ex istorum erronum mendaciis orta. Etenim non est probabile, ait Bodinus, Ægyptios hos esse, cùm moribus & linguâ Ægyptiorum sint dissimillimi. Nec ex vberrimâ fertilissimaque regione ad extremas Hispaniȩ infertilis oras emenso magno mari mediterraneo traiicerent. Sed ista sortilegarum colluuies ex Alpium & Pyrenæorum præruptis saxis & latebris appetente æstate quasi fucorum examina in regiones vberiores erumpit. Clariss. Camerarius viuis eos nobis coloribus depingit, dum inquit: Nihil sunt aliud quàm manipulus furum, & colluuies otiosorum ac fraudulentorum hominum, ex variis nationibus non ita remotis, sed vicinis collecta. Ipsâ certè experientiâ palam est, quamcunque tandem illi migrationis causam prætendant, esse hoc hominum genus omni vitiorum labe inquinatum, furti & rapinarum mancipia, quibus non facilè sine vitæ periculo fias obuiam. Sicuti quidem videmus in agris locisque desertis miseram rusticorum plebem multum ab hac peste quasi contagio infici, si præsentes sunt, variis incantationibus & futurorum præsagiis circumducuntur, ac pecuniis speciosè emunguntur; sin absentes, & in agris fortè suis laborantes, hi spoliis casellarum incubant, prædantur, rapiunt, & omnem quam possunt vim & iniuriam irrogant. In Germaniâ hos primum Anno 1417. apparuisse scribit Crancius. Homines, inquit, nusquam in Rep. tolerandi. Et meritò, cum nihil tam pernitiosum sit in Repub. teste Bodino, quam otiosorum & tenuium hominum huc illuc errantium multitudo, qui & priuatorum bona diripiunt, & in euersione Reipub. spem omnem fortunarum suarum posuerunt. Hinc illi ipsi, quò magis fucum & fraudem hominibus facere possint, linguâ vtuntur fictitiâ, ne fortè ab aliis intelligantur, & è remotissi-

lib. 5. c. 2. de Rep.

Cent. 1. med. hist. c. 17.

In Saxoniâ l. 11. c. 2.

Cent. 2. med. hist, c. 75.

mis gentibus orti iudicentur. Non solum, inquit Camerarius, morem maiorum & furtorum licentiam, sed etiam linguam retinent. Nimirum nulla est imposturarũ certior administra, quàm illius idiomatis vsus, quo non intelligaris. Ita vt prudenter Tolosanus dicat, Rerump. quarundam moderatores in hoc elaborasse, ne alienæ & peregrinæ linguæ, vt merces extraneæ inferrentur, idque præsertim propterea, quia suspecta esset eorum fides, qui linguas peregrinas, potissimum hostium addiscebant, tanquam quæ ad proditiones concitandas est accõmoda. Sicut nec falsũ teneret, qui dixerit, Zigaros hos siue Attinganos hostium tantum & Turcarum esse exploratores in has terras ab eo emissos, vt omnia benè speculati de omnibus referre possent. Inprimis verò dum æstiuo tempore maiori apparent copiâ, propter aëris magis natiuam temperiem, quâ felicius in hæc loca permeant, hyberno tempore ad suos, à quibus delegati sunt, dominos redeuntes. Quam ob causam in nulla benè constituta Repub. eos tolerandos esse, constitutio Comitiorum Imperialium grauiter docet, quæ talis est: Zigari, quos compertum est proditores esse & exploratores hostium, id est, Turcarum, nusquam in Imperio locum inueniunto, in deprehensos vis & iniuria sine fraude esto, fides publica nec dator, nec data seruator. Contra hos, inquit Bodinus, Lex Aurelia Magistratus armari iubet, quæ pestis quòd in Hispaniâ quoque latissimè grassaretur, edicto Ferdinandi Regis coerceri cœpit. Et mirum, inquit Auentinus, cum hos exploratores tantum esse, tum alii, tum inprimis Maximil. Cæsar Augustus & Albertus parens Principum nostrorum edictis publicis testentur; qui tamen mentes hominum velut lethargus inuaserit, vt eos impunè grassari, furari, sibique imponere sinant. Porrò de Chiromantiâ, quam *Zigari* siue *Zigeuni*, aut, vt alii scribunt, *Cingari*, exercent, & variis eorum fraudibus, videri inter alios poterit Zepperus libro 4. Legis Mosaic. cap. 4. Fuit antehac peculiare quoddam genus eiusmodi erronum, eorum nempe, qui *Nubiani* dicebantur, & ortum habebant ex partibus

l. 15. c. 3. de Rep.

Anno 1492. lib. 7.

inferioribus Ægypti; de quibus vide Camerarium citato loco cent.2.c.75.

3 *An Iudæi in Rep. sint tolerandi?*

Vsque à destructione Hierosolymæ grauis ista à Theologis simul & Politicis agitata fuit quæstio, ita vt ponderosa ab vtraque parte argumenta esse videantur. Sanè nec facilè hi in Rempublicam admittendi, multò minus studio aduocandi, quod est temeritatis; nec si sunt, omnino exturbandi. Obligatur Christianus Iudæo, vt homo homini. Interim certa cautione sunt tolerandi, & Legibus tum generalioribus, tum specialibus ita constringendi, ne quaquam nocere possint. Generalis lex sit, vt secundum ius in ea Repub. vsitatum tranquillè & sine scandalo Christianorum viuant, nihil moliantur, quod in Reipub. præiudicium cedere possit. Specialiter verò id ipsis interdicatur: 1, Ne cum Christianis matrimonium contrahant; sicut quidem expressa Impp. lege rescripserunt, quæ talis est: Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudææ Christianus coniugium sortiatur, nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vicem commissi huiusmodi crimen obtinebit. 2, Ne immodicas vsuras exigant, & aliorum sanguinem exugant; in quo quidem vt magis excedunt, sic magis magisque sunt coërcendi, ne priuatam Christianorum naufragio lacunam sine modo expleant. 3, Vt causæ eorum coram Magistratu istius loci disceptentur, nec peculiarem aut regiminis, aut saltem iudiciorum formam sibi fingant summo aliorum præiudicio, id quod iidem Impp. summâ cautione sanciuerunt. 4, Ne ad publica officia admittantur, aut vllum ciuitatis gradum obtineant, ne forte quicquam præcipites in Christianam reuerentiam vltionis admittant. 5, Vt certo in vestib. signo constituto à Christianis discernantur. 7, Ne Synagogas absq; Magistratus mandato exædificent, ex eadem Legis, quam citauimus, authoritate, nec assurgat in nouam ea, quæ ruinam minatur. 8, Ne Christo Redemptori nostro blasphema verborum licentiâ insultēt.

l.6. de Iud. & Cęlio.

l.8 c. eod.
l.15 c eod.
Tol.l.4.c.5.

Et deniq; ne Iudæum ad nos transire cupientem, variè & dolosè retineant. Quibus quidem cautelis & limitationibus si deuinciantur, hospitium iis præbendum, & præstantes Theologi & Politici existimant. Videri possit Petrus Martyr super primum caput Iudicum, vbi Iudæos in conuersatione & consortio Christianorum tolerandos esse probat tum rationibus, tum autoritatibus petitis ex cap. 11. ad Roman. v. 16. 17. & seqq. & ex August. lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 18. & super Psalm. 53. item ex Bernhardo epist. 322. Videri etiam possit *Cuiacius l. 7. Obseru. c. 30. & Recessus Imperii Comit. August. Anno* 1530. 38. & 53. *Clariss. Camerarius* hanc inter alias rationem allegat, quod Iudæi, si nullum apud Christianos hospitium reperiant, cateruatim ad Turcas confluant: sicut quidẽ, inquit, fama est, olim ad centum millia Iudæorum ad Turcas migrasse, & tum varia alia artificia, tum perfectiorem machinarum bellicarum vsum eos docuisse incredibili Christianæ Reip. damno, huius non exiguo incremento. Et addit, Turcicum Imperatorem dicere solitum, se mirari Christianorum Regum stoliditatem, quòd tantam multitudinem potius in propriam perniciem expellere, quàm ad suum emolumentum retinere maluerint; quos si interficere noluissent, mancipiorum loco retinere poterant. Vt igitur in Iudæos non inhumaniter desæuiendum, sic nec eorum probanda consuetudo, qui eos studio lucri & quæstus causâ in Remp. allectant, & talib. iurib. & priuilegiis donant, quæ ipsis ciuibus possint esse præiudicio, sicut multis in locis fieri compertum est. De Iudæorum immunitatibus in hoc regno Poloniæ vide statuta tum aliorum, tum inprimis Iacobi Prilusii lib. 1. cap. 11. & Ianussouii lib. 10. titulo 1. & sequentibus.

Cent 1. med. hist. c. 89.

4 *Quis mittere possit legatum?*

Non commemorabimus hoc loco ea, quæ de Legatorum qualitatibus & requisitis corporis, animi, morũ prolixè ab aliis sunt tractata, sed ita tractata, vt pleraq; sint communia, & talia, quæ ad Consiliarios aut alios digniores Principis officiarios possint & debeant accommodari. Sicut apparet ex libello ante annos circiter

sexagin-

sexaginta edito, & ex Conradi Bruni ICti scriptis contracto, de Legatorum nempe iustitia, fortitudine, constantiâ & continentia. Nimirum Legatus à legendo. Varrone auctore, deducitur, quod nonnisi lectos, hoc est, vt Virgilius ait, *delectos ordine ab omni*, huic tam arduo muneri antiquitas præficiebat. Distinguenda autem nobis inprimis est vocabuli huius ambiguitas, quæ tum ex diuersis legationum obiectis, tum ex causâ efficiente diuersâ proficiscitur. Ratione obiecti legatus est vel belli, qui propriè *Fecialis* dicitur; vel pacis, qui iterũ vel officii & honoris causâ, vel ad publicam negotii alicuius expeditionem ad alium mittitur. Quales quidem officiosæ legationes apud Romanos fuerunt frequentissimæ, quibus Prouinciales Principibus suis vel congaudere vel condolere fuerunt soliti. Alii & hanc habent distinctionem, quòd Legati alii sint temporarii, alii perpetui, qui & residentes sunt: quamuis prudenter Politici, & inter hos Kirchnerus, lib. 2. cap. 2. de Legatis, annotent, *Residentes* esse eos qui de anno in annum non ad expediti negotii tẽpus, sed ad voluntatem mittentis, ad omnium rerum quæ in alieno principatu & Repub. curiositatem; & idcirco Residentes in legatorum classe propriè censeri non posse, cum non tam negotii, quam *Relationis*, vt vocant, gratia missi, & speculatores magis sint quam legati. Distinguunt porrò Legationem, quod legatio alia sit libera, alia restrictior; & libera dicatur ea, quæ non propter aliquod certum negotium publicum, sed saltem ob gratiam & commendationem personæ, quæ mittitur, instituta sit; liberaque dicta, quasi libera a negotiis publicis & immunis. Ratione verò causæ efficientis legatus est vel Principis absolutè, vel inferioris Magistratus, qui tum, si præsertim ad superiorem Magistratum mittantur, non legati, sed *internuncii* propriè appellantur, & vt dignitate ac ordine inferiores sunt, sic eodem legationis iure ac libertatibus certâ proportione perfruuntur. Vnde nempe quæstionis huius orta est dubitatio, quòd nonnulli fucosè implicent, *legationem non posse mitti nisi à solo Principe aut Magistratu superiori, vt nullus sit, qui eam præpedire possit.* Romani olim hoc ius sibi solis vsurparunt, neque vlli ciuitati aut

Tac. lib. 15. Annal.

populo suâ manu debellato concesserunt. Quod idem Achæorum Rempub. factitasse, testis est Pausanias, qui Lacedæmoniis deuictis, omne iis legationis ius denegarunt. Quæ quidem Imperatoria Romanorum Maiestas, in nostra hæc vsque sæcula transfusa, soli Imper. Romano ac Monarchis conceditur, vt ii sibi propriè ac perfectè dictæ legationis ius possint vsurpare. Interea tamen Illustriss. Germaniæ Principes & ciuitates alias, quas *liberas* vocant, hisce regalibus minimè exuimus, licèt in amplissimo regno Daniæ Proceribus hæc eadem iuris libertas sit denegata, vtpote cum solius Regis omnium regalium vsurpatio sit, & mittendæ etiam legationis potestas. Principes quidem Germaniæ omnium, qui sub Imperiis aut regnis viuunt, meritò sunt liberrimi, & quisque in suo Principatu eandem plenitudinem potestatis habet, quam Imperator in suo Imperio. Secus ac apud Romanos olim Præfecti Prouinciales ac Præsides, qui immediatè ex ipso Magistratu dependebant. Vnde „ vox illa Caroli V. qui dicere solitus est, se in aliis suis re- „ gnis seruis, in Germaniâ verò Regibus imperitare, cum „ Principes, quoad ius suum, à Regibus parum aut nihil „ distent. Contra verò in inclyto Poloniæ regno Palatinorum longè diuersa est ratio, cum ita absolutâ illâ regalium vsurpatione non gaudeant. Magni autem refert, vt inquit Kirchnerus, vtrum Legati, an Deputati personam habeas, cum legare solius publicæ sit potestatis; istud etiam mandati priuati. Concludimus ergò, solum Principem sibi hoc legationis ius assumere, & eos, qui peculiari illâ regalium potestate fruuntur, & nec priuato cuiquam, nec etiam subditis concessum esse. Ius Legationis est ius Maiestatis; Quare is tantum Legatos mittere poterit, qui ius habet maiestatis; siue is sit Princeps vnus, siue tota aliqua liberior Respublica; vt Resp. Veneta, & similes.

l. 1. c. 3. de Leg.

5 *An iis sit ius Legationis, qui sese magistratui suo opponunt?*

Subditis, quâ tales, non esse ius Legationis, ante ostendimus.

stendimus. Quod si subditi Magistratui suo se opponant, ius Legationis multo minus habituri sunt. Interim discernendi sunt subditi; & aliud est subditum esse, aliud fuisse. Et discernendi etiam sunt internuncii à legatis; Sanè loqui, vt opinor, licebit subdito cum Magistratu offenso; quod loqui licet etiam internuncium mittere licebit, & hunc internuncium oportebit iure aliquo & immunitate gaudere, prout videmus fieri in bellis inter hostes etiam infensissimos. Sic vt laudari per omnia non possit factum Dionysii, qui Legatos Syracusanos coniecit in carceres, quum ea ciuitas pulso Tyranno, se in libertatem assereret. Multò minus exemplum Regis Hispaniarum, qui Ordinum Belgicorum, quos *liberos homines* nuper Albertus & Isabella pronunciarunt, Legatos trucidauit. Prudenter & moderatè iudicat Hotomannus in quæstionibus Illust. quæst. 7. Iuris gentium communionem cum defectoribus intercedere posse propterea, quòd hostium loco censendi sint. Etsi contra disputet in hac materia subdurior Albericus Gent. lib. 2. de Legat. c. 7.

Plut. in vita Dionys.

6 *An excusare sese & nuntium oblatæ legationi mittere quisquam possit?*

Inter alios cursus, quibus stadium immortalis gloriæ emetimur, etiam est honorifica legationis defunctio, quæ nos ad spem quandam immortalitatis rapit, & indiuiduum illum virtutis comitem adiungit, præsertim cum nihil etiam præclarius sit, vt inquit Cicero, quàm bene de Republ. mereri: adeo vt quisque sponte sua meritò legationibus operam locare debeat. In oculis sit, omnium optime de Repub. Roman. meritus Seru. Sulpitius, qui in ipsâ valetudinis aduersitate, vacillanti tamen Reip. periculosissima illa ad Antonium perduellem profectione opitulari voluit, sic vt in ipso etiam laudabilis conatus cursu expiraret & animã quasi in Reipub. gremium deponeret. Sed & cogi quemlibet ad legationis munia, nisi iusta sit excusatio, scripsit *Marcianus L. 4. §. 5 ff. de Legat.* Etenim si in minorib. Reip. officiis patriæ munera subterfugientem, dignum pœnâ

leges iudicant; quid in maioribus fieri dubitamus, cum longè maior eorum sit copia, qui inferiora, quàm qui grauissima legationum munia dignè obeant. Vnde etiam Veneti, quorum Respub. omnium virtutum fulcris firmiter innixa, vltra mille annos felicissimè floruit, pœnam constituerunt in eos, qui legationis onus, si à Senatu idonei iudicentur, detrectant, teste Octauiano ciue Veneto. Sed adhibenda hîc tamen est cautio, & excipiendi ii, quibus vel ob valetudinis grauitatem, vel senectutis morbum, vel ob nimias rei familiaris difficultates, immunitatem, iura ac leges concesserunt. Quod & in Venetorum Repub. fieri, idem autor ibidem asserit; ita tamen, vt ob difficultates domesticas rarissimè quis dimittatur, præsertim si felicis successus opinionem subierit. Quod verò ad trium liberorum excusationem attinet, quam leges videntur concessisse, vt rescripsit Valerianus & Galba, pater trium liberorum incolumiũ legationibus publicis liberatur, ea non tàm in legationibus propriè dictis, quæ ob publica rerum negotia instituuntur, quàm in Prouincialibus & officiosis legationibus locum habet, quæ officii & honoris debiti gratiâ ex Prouinciis & ciuitatibus subiectis Romæ olim ad Imperatorem mittebantur, & ordine per classem decurionum iniungebantur, fiebantque sæpius gratuitò, ita vt legatiua seu viatica non restituerentur. Secus ac in nostra hac fieri conuenit, vbi ex mittentis sumptibus legatiua legatis decernuntur, & plus iis dignitatis inde ac honoris, quàm difficultatum emergit. Vnde patet, nec vicarium in legatione hâc licere constituere, vt in altera illa prouinciali licuit, vbi patri filium vicarium dare vltrò fuit concessum, hic contra in industriâ personæ electæ plurimum est positum, vt electioni electus difficulter possit refragari.

l.1.C. de Leg.

l.8. ff. de Leg.

l.7. §.13, ff. de Legat.

8 *An legatis sit dandum commonitorium & instructio; an verò ipsorum iudicio ac discretioni res permittenda?*

Nihil, inquit Tullius, *turpius habetur, quàm sine procuratore Senatorem, & sine mandato legatum existere.* Quod adeò verum, vt neq; summi Principis Legato, cuiuscũq;

l.1. de Leg.

ordinis

ordinis & dignitatis ipse sit, fides ante exhibitas mandatorum suorum literas habeatur; nec iniuriâ. Ingens enim in eo legatorum periculum vertitur, si ipsi summam rerum pro libitu sine mandatis versare, & Reipub. salutem intra malleum & incudem constituere sibi præsumpserint, cum certum sit, mãdatum ipsam animam & formam esse legationis, quo sine legatio tanquam cadauer fœtidum repudiabitur. Etsi enim reliqua, quæ communi iure suscipiuntur, non solum instrumentis, sed & testium confirmationibus probari possint; longe tamen alia in legatorum mandatis est ratio, quæ solis literarum probationibus innituntur, non secus ac in omnibus aliis officialibus Principum, vt & in causis fiscalibus id iuris habetur. Vnde prudenter Romanorum Consules, cum Phaneas Ætholorum legatus, vt gratiam eorum ac fauorem aucuparetur, Ætholos sese, suaque omnia Pop. Romano commisisse, dixisset, de fide eius oblationis nonnihil subdubitantes: Videte, inquiunt, Ætholi, vt ita cõcedatis, Phaneas illicò mandatum, quod expressè de ea re conceptum erat, protulit, fidemque legationis suæ asseruit. Laudandâ sanè circumspectione, quâ neglectâ, in præsens se vitæ periculum demisisset. Et hæc nostra assertio de literis mandati in rem accipienda. Ad instructionem quod attinet, quam *commonitorium* antiqui nuncuparunt; ea vinculum quoddam est, quo Legatus Principi obstringitur, vt ea, quæ mandati vi & verbo continentur, Principis nomine ac voce proferat, nec vel quicquam detrahat, vel quicquam iis affricet, sed intra iustos cancellos ac limites pedem sistat. Verùm de hac multi Politici disputant, & certis eam limitationibus probãt, vel improbant. Nam si definitum sit negotium Legato demandandum, sanè in eo instructio verbotenus retinenda, nec vllo modo varianda, cum nihil sit, quod ad salutem publicam insuper addi possit: Vt in illo Virgiliano;

lib. 1. C. de mand. Pr. l. 5. C. de iure Fisc. Liu. lib. 6.

Centum Oratores augusta ad mœnia Regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.

Apud hos nulla, præter hanc, cura excubauit, quam vt pacem petant Teucris, & Regem muneribus hono-

rent. Secius multò de abſolutis & indefinitis Legati negotiis ſtatuẽdum, vbi libera expediendi poteſtas iis permittitur, vt conſilium ex re nata & tempore capiant, cum, vt Cicero loquitur, multum in temporum inclinationib. ſæpe paruis ſit poſitũ, adeo vt omne quicquid illi agant, Princeps gratũ & ratũ omnino habeat. In his igitur liberam legationis poteſtatem iis permittimus, vbi ſub manu, quod dicitur, & in arena cõſilium rapiendum magis, quàm capiendum; ita tamen, vt Principis etiam expreſſa extet inſtructio, licèt ad eam non ita verbotenus obligetur, & eò potiſſimum legatus reſpiciat, quò ex optato Principis voto & mente omnia ſuccedãt. Deinde, id quod Clariſſ. Gentilis habet, vt ſi quid præter opinionem accidat, authoritati non indulgeat ſuæ, ſed rei peractæ nomen Principi reſeruet. Hinc videmus, liberis eiuſmodi legatorum mandatis nonnunquam hãc clauſulam annecti: *Si quid amplius fieri oporteat, pro locorum, temporum, ac perſonarum varietate curabit Legatus*: vel eam, quæ eſt apud Æſchin. *Vt legati pro ſua prudentia, quæ è Repub. eſſe iudicabunt, exſequantur.* Quæ tamen, inquit Bodinus, non pertinet ad ea, quæ non aliter quam ſingulari mandato debent explicari, hoc eſt, ad fœdera ſancienda vel conuellenda, ſed ad ea tantum, quæ his leuiora videbuntur. Et appoſitè omninò Alber. Gentilis ratiocinatur, dum inquit: Poſtulat aliquando res, ne quid certi Legato præſcribatur, ſed vt ei ampliſſima poteſtas tribuatur agendi, quod è re eſſe crediderit. Verba enim & tempora legatis tradi, inquit Demoſthenes, vtpote cum præſens rerum tractatio certiora nonnunquam conſilia ſubiicere valeat.

In epiſt. ad Famil.

c. 17. lib. 3. de Legat.

l. 3. c. 7. de Repub.

dicto loco.

9 *An legato liceat agere vltra præſcriptum Principis, & quid de occultis mandatis ſtatuendum?*

Ex ſuperiori problematis determinatione vltrò hoc πόρισμα conſequitur, nimirum Legato & verba, & alia non pauca in mandatis mutare licere, videlicet indefinitis, vt Taſſus vult, & nonnunquam extra præſcriptum agere, ſi præſens rerum tractatio id exigat, & ſi moræ nimis ſint præcipitandæ. Nam vt Gentilis ait, *Supremum manda-*

mandatorum est, vt ex arbitrio agat Legatus. Itaque sicut se abstinere debet à multis, quæ permissa sunt, ita ex aduerso multa agere potest rectissimè, de quibus ne verbum quidem factum est. Alexander ab Alexandro lib. 6. cap. 3. Legati, inquit, munus est, omnia ad præscriptum imperiumque eius, qui mandauit, agere; Imperatoris verò summæ rei consulere, & liberum tenere imperium. Cum Princeps certam formam legationis præscripserit, certè omnem huiusmodi licentiam Legato ademit Alber. Gentilis lib. 3. de Legationibus c.16. Si spes falleret culpa inobedientiæ, & pœna indeprecabilis obeunda foret; si res fortè melius vertisset, diis quidem gratia habenda, sed exemplum tamen intromissum videretur, quo bene consulta consilia religione mandati soluta corrumperentur, inquit Gellius libro 1. cap. 13. Athenienses Legatos, quoniam aliâ, quàm imperatum erat, profecti essent viâ, morte mulctarunt, teste Æliano lib. 5. Legati à Senatu Romano Tarentum missi, cum grauissimas iniurias accepissent, de iis questi non sunt, sed legationem quibus acceperunt verbis peregerunt. Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. Sed distinguendum est, vt ante diximus inter eum, qui certam mandati formam accepit; & inter eum, cuius prudentiæ ac circumspectioni res permissa: vbi id inprimis prouidendum, ne quid agatur, quod sit minus honorificum ei qui legauit. Respiciendum etiam cum primum ingenium eius qui legauit, vt monet Gellius dicto loco. Bodinus loco ante citato inquit: In grauioribus negotiis, quæ Legati ex arbitrio egerunt, rata quidem haberi posse, sed non iure fieri, adeo vt à Principe acta eorum si volet, possint retractari. Quod verò in problemate de occultis mandatis quæritur, sciendum est, apud Romanos sæpenumero ea vigorem suũ obtinuisse, vt sub prætextu legationis publicæ, alia occulta in mandatis darent, vel ad exploranda hostium consilia, aut adhibenda eorum molimina, aut alio quocunque modo licito eos deludendos. Et hæc licita esse, modò ne talia sint, quæ cõscientię religionẽ ac honestatẽ prostituant, cũ pietate, prudentia confirmat, vtpote quæ in eo ẽt consistit, vt & præsentia omni circũ-

ſpectione mitigemus, & ea quæ impendent, cautè effugiamus, ac felicitati noſtræ prudenter conſulamus. Etenim Romani, prudentiâ hac, quam Plato *obliquam*, hodierni cum Lipſio *mixtam* appellant, adminiſtrâ, imperii ſui ditiones, longè lateque amplificarunt. Et Cicero etiam in ſua legatione hinc gloriatur, dicens: *Impoſuimus populo, & Oratores viſi ſumus.* Interim tamen eorum improbitati non patrocinamur, qui omnis virtutis ſpecie repudiata, ea pro mandatis ſuſceperunt, & aſſumpto actu executi ſunt, quæ in publicam rei pernitiem, aut priuatorum etiam internecionem exundarunt. Quale quidẽ fuit illud Hannibalis, qui, cum apud Antiochum Regem propter publica negotia verſaretur, occultè id egit, vt ciuium animos ad rebellionẽ & ſeditionem pretio & prece ſollicitaret. Et deteſtandum illud Seueri Imperat. qui amicitiam cum Albino ſimulans, ſuis occultè mandando præceperat, vt ſi qua poſſent occaſione, eum clanculum è medio tollerent.

Appian. l. de bello Pun.

Cic. in Offic.

Liu. lib. 4.

10 *Quomodo legationis ius inuiolabile?*

Cum nulla res ſit, quâ aut ſocietas humana arctius inter ſe coaleſcere, aut vicinitatis confœderatio firmius conſeruari, aut amicitiæ & pacis iura diutius ſarta tectaque eſſe poſſint, quàm vltrò citroque miſſa legatione, vtique ſanctiſſimum eſt omnium gentium inſtitutum, quo Legatis quibuſvis, etiam hoſtium & non fœderatorum ſecuritatem viæ & vitæ præſtant, & cautione quemlibet, ne quid contra eos, quod iniuriæ aut offenſæ ſit, faciat, deuinciunt. Etenim niſi peculiaris hæc gentium obligatio omnibus belli denunciationibus & conuentibus tacitè quodantenus ineſſet, nulla vel cum exteris poſſet eſſe negotiatio, vel cum hoſte etiã de tractandâ pace deliberatio, quia & facilè ab aliis interciperentur, & vt hoſtes ſine reſpectu hoſtiliter trucidarẽtur. Hinc nimirum ſancti ſemper Legati vbiuis gentiũ ſunt habiti. Sanctum enim, vt Marianus reſcripſit, eſt, quod ab iniuria defenſum atque munitum eſt, dictumque à ſagminibus, quæ ſunt herbæ quædam, quas Legati Pop. Roman. ferre ſolebant, ne quis eos violaret; ſicut Legati Græcorum ea, quæ vocantur *Cerycia*. Vnde conſequitur,

l. 8. ff. de diu. rer.

ſequitur, Legatum etiam apud eos, ad quos miſſus non eſt, legationis ſecuritate vti frui ob ſolam nominis & tituli religionẽ. Alb. quidem Gent. in ea videtur eſſe ſententia, Legatum cũ iis, ad quos miſſus nõ eſt, legationis ius non obtinere, dum inquit: Legati ex ipſo nomine ad alios non ſunt, niſi ad quos legantur, cum aliis ergò iura legationis non obtinent. Et Romanorum factum allegat, qui Macedonum legatos per ſuas prouincias tranſeuntes, primò quidem felici mendacio euadentes, mox cognitos capi Romamque deduci iuſſerunt. Rectè, inquit. Legati enim Romam non erant, ſed ad hoſtes, itaque hoſtilia molientes ſi paſſi paria ſunt, non habent quod iuſtè doleant. Quæ quidem & alia complura Albericus ſic refert, vt tamen ipſemet ſtatim ſeſe explicet, dum addit: ‘‘Et hæc de ſtricto, vt aiunt, iure certiſſima ſunt. ‘‘Nam Legatis ad ſe non venientibus multa omninò præſtare Principem debere, notum magis eſt, quam vt à me confirmetur. Cui quidem ſententiæ & nos ſubſcribimus; multorum ex antiqua virtute exemplis comprobatæ. Alexandri moderationem hiſtoriæ prædicant, quod Legatis Carthaginenſibus, qui ad Tyrios in eum animandos venerant, pepercerit, & ſanctum nihilominus legationis nomen habuerit. Sane non immeritò; Legati enim vt ſacri delecti nuncii quaſi inter Deum & homines æſtimantur, quibus viæ neutiquam obſtrui, aut liber tranſitus vllâ ratione denegari debet. Neutiquam probandi Athenienſes, qui non ſolum ipſi Perſicos ad Spartanum populum Legatos interceperunt; ſed etiam apud Sitalcen Regem perfidè obtinuerunt, vt ille Laconum Legatos ad Perſarum Regem miſſos, in ſuo regno, per quod iter faciebant, interceptos traderet, quos poſtea nacti indictâ cauſâ actutum ſuſtulerunt. Sed neque id ſanè iuſtâ vindicatione; variis enim bellis poſt variè commoti, ſceleris debitam pœnam dederunt. Sicut & cuilibet facile, rerum hiſtorias verſanti, manifeſtum eſt, quod ciuitates & populos violandorum Legatorum temeritas perdiderit, & quanta ob id aliis bella fuerint mota. Quod & diuinæ nobis literæ in Dauide demonſtrarũt; qui, cum ab Ammonitarum Tyranno Hannone violatos ſuos, & omni

Lib. 2. c. 3. de Legat.

Ibidem.

Hom. Iliad. 7.

Thucyd. l. 2.

2. Sam. 10.

iniuria affectos comperisset, illicò classicum cani, militem educi, & bellum violatori inferre iustissimum iussit. Taceo iam Romanorum, Græcorum, & omnium aliorũ pro Legatis suscepta prælia, vtpote à quibus ipsis etiam religiosè creditum est, Deos ipsos immortales acceptam hanc iniuriam persequi, & violati iuris gentium vindices existere. Præclare inquit Cic. Legationũ ius humano diuinoque vallatum præsidio est, cuius tam sanctum & venerabile nomen esse debet, non modò vt intra sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Quod adeo verum est, vt in prouerbium etiam à veneranda antiquitate sit tractum, *Legatus neq; caditur, neq; violatur.* Et Iuuen.

Verr.3.

Magnaq; debetur violato pœna caduceô.

Ita vt merito diuini humanique iuris custodes appellandi ii, qui publicam Maiestatis suæ authoritatem, legatorum violatione labefactatã, fortiter & animose sunt prosecuti, cum iniustissimum sit pro iis, quibus publicam Maiestatem tuam aliis deferendam dederis, nullam vicissim propugnationem suscepisse. Sanè Deus, qui iuris naturæ, atque adeò etiam iuris gentium autor est & vindex, mirabiliter istam legatorum violationem vlcisci solet, cuius vltionis diuinæ exemplum memorabile extat in Helena Russorum Regina; quæ, cum Legatos ad se missos cõcremasset, ipsa post contrario mortis genere punienda semetipsam in profundas aquarum voragines miserè immersit, vt grauiter narrat & allegat Bodinus lib. 5. de Repub. cap. vltimo.

11 *An Legatus speculator inuiolabilis?*

Alb. Gentil. quem citauimus, l. 2. c. 4. de Legat. inquit:
» Lata panderetur omnibus improbis in Legatos omnes
» desæuiendi ianua, si sit ius nomine legati quemquam
» spoliare, subditumque sibi reddere, quod eum ipse iudi-
» caret exploratorem aduenisse non legatum. Prudenter
» omnino & iustè. Etenim venerabile Legati nomen,
» immutabile ius gentium subit, & eo nomine securitatẽ
» summam assequitur. Antiochus certè legatum huiusmodi ad se Româ missum, regaliter & perhumaniter excepit. Et Posthumius dictator Rom. Legatos quosdam Volscos speculatores agnitos & cõuictos, seruauit; quia

Halicarnass. 6.

legationis

legationis nomini plus dandum censuerit, quam facinori certo repēdendū. Quod in S. etiam literis legimus, Iosuam misisse viros duos speculatores, ad explorādam vndique, & cognoscendam vrbē Iericho, eosque à muliere Rahab seruatos fuisse. Quo nomine etiā Rahab in epistola ad Hebræos prædicatur. Sed tamen & hîc adhibendi sunt limites, ne securitatis hoc propugnaculo cubendi sunt limites, ne securitatis hoc propugnaculo cuiusuis sceleris perpetrationem legati muniant. Nam si in hoc solum venerint, vt speculētur, frustrentur, & perfidè cum eo agant cui missi sunt, vtique eos de iure non excipimus; de quibus Appianus inquit, lib. de bello Pun. Speculatores occidere fas & mos est. Secus ac cū iis fieri cōuenit, qui alio nomine eiusmodi legationes obeunt, cum quibus etiam durius agi non potest, quam vt vel cum quibus etiam durius agi non potest, quam vt vel cogniti non admittantur, vel citius breui & incerto responso remittantur, & sic dolus dolo compensetur. Vltra quod quidem seuerius in eos aduertere Catonianū hoc oraculū vetat: *Caduceatori nemo hominum nocet.*

12 *An Legatus teneatur statutis peregrinæ Reipub. & an ad eum leges pertineant; simulque adeo, an Legatum contra Principem aut Rempub. ad quam missus est delinquentem, punire fas sit?*

Discernere oportet statuta: Quædam sunt iuris naturæ & generalia; his omninò tenetur legatus: Quædam verò sunt specialia, ac propria isti tantum Reipub. Et talibus Legatus non tenetur ita absolutè. Cuiusque enim ciuitatis leges intra territorium eiusdem terminantur, nec in alterius regionis incolas aut ciues valent, cum leges ciuiles eæ sint, quas quisque populus sibi, non alteri posuit, vt IC. definiuerūt: quod & naturali pietati ac religioni accommodū, quæ eos solos municipalibus statutis subiicit, qui in bonâ fide adiurarunt, non contra. Quod si vero legatus peccet contra iura generalia, atq; adeò vel adulterium committat, vel homicidium, vel simile quid, omninò puniri potest. Vbi tamen certa cautio & prudentia adhibenda, & informandus prius de admisso scelere is, qui Legatum misit; ita vt meritò in

l. Antiochensium 37. ff. de reb. auct. iud. poss.
l. vlt. D. de decret. ab ord. fac.

dubium vocetur à nonnullis, an recte fecerit Amyntas Rex Macedonum, qui Legatos Persicos lasciuè atque impurè sese gerentes in conuiuio, statim ad ipsam mensam, & in conuiuio trucidari voluit. Cæterũ & illa quęstio hîc decidenda est, *An Legati, qui perfidiâ peccant in Principem & Rempublicam, puniendi sint?* Eximunt enim pœnâ nonnulli Politici etiam tales Legatos, dicentes: Legatum tam diuino, quàm gentium iure inuiolabilem, extra omnem pœnæ acerbitatem esse constitutum, nec facilè ob iniuriam illatam teneri, ne scilicet cuiquam ius gentium fastuosè immutandi detur licentia. Id quod benignissimam illam prudentiæ nutricem Romanorum curiam obseruasse legimus, quæ Legatos Tarquiniorũ morte affici non oportere iudicauit; quãquam, vt inquit Liuius, visi sunt commisisse, vt hostium loco essent, ius tamen gentium valuit. Hi enim sub specie Legationis clanculum id, corruptis ex præcipuâ nobilitate adolescentibus, moliebantur, quo conspiratione contra Rempub. concitatâ, Reges iterum clandestinè in vrbem intromitterentur. Iuuenes coniurati in vincula fuerũt coniecti, virgis ac securi cæsi, Legati contra hui⁹ rigoris immunes, hac ignominiâ sunt iactati, quod re infectâ fuerint illico dimissi. Tantâ nimirum lenitate delicti huius atrocitas fuit contemperata! Albericus Gentilis eandem hãc Legato veniam indulget, dum inquit: Iustissimè actum his diebus in Anglia, cum Legato Hispanico credimus, qui in vitam Reginæ Regnique salutem coniuratus dimissus est. Dimittendum enim Legatum existimamus; cum in eo interficiendo longè magis sæuiatur, quàm necesse sit. Et addit: Peccatur in ius gentium grauiter, si in vi repellendâ, supra quam oportet, enitimur. Cui & suffragatur Kirchnerus, qui disertè fatetur; Legatum, si aduersus Principem peregrinum aliquid commiserit, quem neque suum Principem neque dominum vllâ subiectione aut nexu obligatus agnoscit, maiestatẽ eius lædere non intelligi, neque illis legibus iudicari, quæ nonnisi subiectos, quibus scriptæ sunt, tenent. Verum durior his & rigidior Legatorũ censor, est autor quidam anonymus, qui peculiarem de hac quæstione tractatũ nuper in Germania edidit, dum eos,

lib. 2.

lib. 2. cap. 18.

lib. 2. cap. 2.

cò quod

eò quod maior illis delinquendi sit facultas, & liberior nocendi potestas, grauiori pœnarum interminatione coercendos existimat, nimirum vt his habenis iniectis, vel maleuola volūtas illis extorqueatur, vel saltē delinquendi authoritas inhibeatur, neve turpitudini sceleris patrocinium gentiū asciscere audeant, vtpote quod innocentiæ eorum non noxis fauet, nec delinquētes legib. eripit, sed ab iniuriis priuatorum innocentes defendit. Vt igitur rem arduam dextrè determinemus, certis quibusdam limitationibus, quod in omni graui materia fieri assolet, nobis vtendum fuerit. Primò omnē cum Iuriscōsultis iniuriam in verbalem & realem distinguimus, easque ita à se inuicem separamus, ne vtraque indifferenter pari pœnarum suffragio mulctetur. Dicendi enim libertatem & voces liberas, non tamen contumeliosæ linguæ dicteria in Legatis iura manifestè approbant; hæc compesci volunt, sed sanâ ratione, illam omninò requirunt, & quæ necessariò ac fide bonâ ab eis aguntur, dicuntur, ea ad contumelias nō referunt. Realis iterum vel actualis iniuria, vel in affectu est, vel in effectu; nec hic, sed ille in Legato respicitur. Neque verò illis sanctionibus tenetur, quibus prima voluntatis intentio pro eiusdem actu completo puniri debet, quæ non est ratio naturalis, qua solâ iuris gentium simplicitas fundata est. Iniuria igitur assumpto actu pœnam cōtrahit. Reciprocum .n. in hoc legationis ius est, & vt is, qui Legatum pulsarit, deditionis pœnam subit; sic vicissim Legatus, si iniuriā intulit iis, ad quos missus est, fiat deditius, omnium Politic. & ICtum irrefragabili argumento. Accedit tertia hîc obseruanda cautio, quod cum sic Legatus manifestè fuerit cōuictus, & in ipso facto deprehensus, Princeps illius, à quo missus est, debeat consuli, ne si quid grauius & iniquius eo imprudēte statuatur, maiorum hinc turbarum iusta nascatur occasio. Consuli inquam debet, sed tamen ita, vt Princeps læsus ius suum maiestatis in reum sibi reseruet, nec pœnam ad alterius vocem moderari cogatur. Quodsi legatus eum, ad quē missus lædit, inscio & inuito eo, à quo missus est, omninò grauem pœnam ab vtroque meretur. Sin verò eum, ad quē missus, lædit conscio & iubente, atque adeò

C. si quis Imper. maled. titu. 7. l. 9.

l. 5. tit. C. ad leg. Iul. Maiestatis.

subornãte eo qui misit, iam nihil dubitem, quin puniri debeat, & iure possit, etiãsi de pœna ista non pręmoneatur is qui misit. Neque enim Legatũ misit, sed sicarium emisit. Nec est, quod priuilegia Legatorum & securitates nobis quis obiiciat, quę, vt supra dixi, eò vsque vigorem suum obtinent, quousque se Legatus intra velum iuris gentium cõtinet, nec eo, quod ad communionem hominum consutum est, disrupto, in pernitiem eorum & dissidiũ vtatur, aut certe ad rem, quę iuris non est. Vnde & ex iure Legũ rectè statuitur, quòd reatus omnẽ honorem excludat, & priuilegium mereatur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate. Accedit huc etiã, quod longe aliud sit Legatum violare, aliud punire; hoc iuris, illud iniuriæ, non hoc, sed illud gentium leges & priuilegia demoliuntur. Et sane exẽpla illa Romanorũ supra à nobis allegata, scrupulum nobis hoc loco nõ faciunt, quæ vt habet autor iste, quem allegaui, Anonymus, mirari potius, quã imitari publica suadet vtilitas, cũ & rara ea sint & perpauca, & alia longè nunc sint secula magis malitiosa, quæ sibi indultâ licẽtiâ facillimè abutuntur, & denique tum demũ id obseruarit antiquitas, quãdo aut nuda tantum facta esset suspicio, aut cęco populi furore & impetu sine iudicio ad supplicia Legati poscerentur. Nec obstat quod de nullitate criminis in læsam maiestatem Kirchnerus & alii implicant, quasi crimen maiestatis nõ aliter possit contrahi, nisi à subiectis imperio & ditioni: quod fac verum sit, tamẽ vt idem autor egregiè dicit, *quod diuersitas imperii non patitur, societas sceleris inducit.* Probabile siquidem est, Legati molitiones nullam vnquam facultatẽ habituras, nisi perfidi alicuius subditi ministerio promoueantur, & ita par inter eos & reatus & pœnarum fiat obligatio, vt quos par facinus coinquinat & æquat, eos par etiam pœna constringat & iudicet. Porrò & ea controuersia breuiter definienda fuerit; *An fas sit punire Legatum, qui non quidem aduersus Principem aut Remp. ad quam mittitur, delinquit; sed tamen aduersus priuatum in illa Rep.* Sunt qui omninò puniendum statuant Legatum etiam eum, qui in priuatum delinquit; Nam, inquiunt, sicut priuatus omnis ob violata Legationis sacra pœnæ atrocitatem subit, & fit

L. 1. C. vbi sent. Dist. 75. ad vbi.

dedititius;

dedititius; ita & Legatus ob iniuriam quandam priuato illatam, illicò est dedititius. Alber. Gent. lib. 2. de Legat. c. 21. Ius talionis vrget & ratiocinatur, Legatum ex talione conueniri debere in omnibus, in quibus talio obtinere potest, vt in omnibus delictis, quæ spontè facta sunt. Quod paulò videtur durius, teste Philosopho, qui personas diuersi status sub talionis pœnam cadere non posse, disertè affirmat, dum inquit: Sæpè retaliatio dissidet; Magistratus. n. percutiens nō est repuniendus; contra percutiens eum, qui cum Magistratu est, non solum repuniēdus est, sed & capitali supplicio dignus habetur. Vnde cōsectarium est, Legato omni, cui formam & faciem suam princeps concessit, & penes quem iura Magistratus resident, talionis pœnam ita simpliciter irrogari non posse, cum talio nonnisi æqualitatis passu in pari causa progrediatur. Cicero Roman. fidē omni gēti prædicans dicit; eos hoc vnicè studuisse, ne sanctum Legati nomen, etsi reū ob priuata delicta factū esset, rigidiori pœnarū decreto profanaretur. Exemplum ibid. adducit Verris hominis flagitiosissimi, qui durāte legatione, etsi vim virgini intentasset, & multa alia patrasset scelera, tamē est dimissus, hoc nempe potissimum argumento, quod priuatâ hominis iniuriâ sanctissimū illud Legati nomē grauius omninò & antiquius esse debeat. Ex qua diuersa consideratione iustissimum ēt illud Roman. iudicium meritò comprobatur, qui Phileæ Tarentinorū Legati ope ac cōsilio subtractos obsides eum intra quinque dies vrbe excedere iusserunt, hos verò retractos, virgis cæsos, de saxo præcipites egerunt. Considerantes nimirum, tum facti tum personæ inæqualitatem, cum, vt supra probauimus, ei legum seueritati legatus non subiaceat, quę consilium & consilii executionem pari pœna vindicandū constituit, & ipsum ius quoque tam ciuile quam canonicum in pœnis decernendis gestæ dignitatis memoriam respiciat, neque similiter liberum & seruum, priuatum & publico munere defunctū plectit. Quæ quidem omnia ita hactenus à nobis dicta esse volumus, ne interim legatis sub priuilegiorum hoc prætextu maiorem peccandi licentiam demus, sed potius ne eandē commissi pœnā cū priuatis dependant,

5. Eth. c. 5.

Verr. 3.

Polyb. in select. lib. 1. c. 25.

L 16 §. 3. ff. de pœnis. l. vlt. ff. incend. ruin.
L. 4 ff. eod. & alibi.

& saluum in hoc Principi, à quo mittitur, iudicium singulis benè circumstantiis perspectis reseruetur.

13 *Qualis debeat esse legationis apparatus & comitatus: Et quid iuris in comites legatorum?*

Primò quidem quod ad apparatum seu pompam legationis attinet, certum est, plurimum per eam, si modò intra modum sit, autoritatis & gratiæ legationibus cōciliari, vtpote ex quâ & Princeps ad quem mittitur, omnimodam suæ apud exteros Maiestatis reuerentiam facilè colligit, & eius etiam qui legat haud exigua potentiæ & neruorum vis liquidò dignoscitur, obque id plus valoris legatio sit habitura. Rationi namque consentaneum est, profundiori nos cogitatione in eius postulata fore immersos, cuius potentiam reueremur & authoritatem miramur, quàm eius qui nostrā. *Kirchnerus l. 1. cap. 6. de Legat.* prudenter monet; ,, Legationis apparatum ita instituendum esse, vt non modo negotii ,, necessitati, verum etiam splendori pompæ, quæ pro vtriusque dignitate instruenda est, satisfaciat, quo maiorem authoritatē in exterorum oculis & vulgi conspectu habeat. Vbi enim plurimum authoritatis, ibi minimum vanitatis. Sed vt diximus, omninò modus in hoc apparatu seruandus, ne si immodicus, aut præiudicii alicuius suspicionem dare, aut ipsum etiam qui legat Principem damnosè eneruare possit. Qui quidem modus in eo vertitur, vt & numerus mittendorum rectè obseruetur, & ornatus legationi conueniens cum ratione adhibeatur. Mittendorum numerus tum ipsorum Legatorum est, tum comitum & famulitii. Legatorum numerum non ita terminatè definire possumus, cū is ex mente & arbitrio cuiusque Principis pendeat, nec vllus exterorum alteri eum præscribere possit. Nam quod ad edictum Vespasiani attinet, *l. 4. §. 6. ff. de Legat.* quo non nisi terni in Legatione mittuntur, illud ad nostrum vsque Legatum non extenditur, sed intra municipalia legationis iura concluditur. Licèt interim consultum videatur, ne plures nec pauciores quàm tres deligantur, tum ob cōsiliorum communionem, tum ob faciliorem

negotii

negotii expeditionem, ita tamen vt certum legationis caput vnus aliquis designetur, qui totius negotii sit mẽsura. Porrò quod ad comites, omnibus palam est, antiquitus laudabili non minus quàm optabili, & ad hęc vsque secula deriuato more legatis adiũxisse comites, non promiscuam illam famulitii plebeculam, sed id ætatis & expectationis iuuenes, quâ exterorum mores, instituta, regiones explorare, & legationis administrandæ rationem perspicere possint, quò ad eandem aliquando dignitatem suffecti, cum laude eam tueantur. Et videmus etiam florentissimas quasque Respub. idem hodie obseruare, ac frugiferos virtutis suæ surculos tali ratione ad prudẽtiæ florem altè educere. Etenim omnium liquet calculo, nullam ad prudentiæ Politicæ possessionem faciliorem & feliciorem esse manuductionem vsu rerum & experientiâ, quæ his obseruationibus vbertim suppetit. Horum tamen numerus non nimis etiam adaugendus, præsertim si & multitudo famulitii, & ipsa legationis commoditas id dissuadeant, ne ex tantâ multitudine rixarum & perturbationum semen variè excrescat. Idcirco nec copiosum aliquod famulitii agmen prudentia admiserit, vtpote quod plus sæpè negotiis officit, & à quo fraudis dolosæque consiliorum in publicum propalationis est periculum, cuiusque crimina in ipsum legationis caput deriuantur. Sed & certum est, animum Principis, ad quem mittitur variis ex ingenti copiâ suspicionum stimulis vellicari; vt rectè Kirchnerus dicat, *eam non legationis, sed legionis hostilis esse repræsentationem*. Porrò ornatum & apparatum, in quo etiam legationis decorum & modum cõsistere supra diximus, sic quisque Principum attemperabit, prout prudentia dictitat, vt & foras authoritatis suæ aciem magis exacuat, & domi etiam subditorũ in se animos constanter foueat, ne nimiæ profusionis fiat pręsumptio. Maior in hoc problemate nodus restat de comitum iure & priuilegiis, an iisdem illi meritò gaudeant, quibus Legati. Albericus quidem Gentilis lib. 2. c. 15. de Legat. strenuè eos propugnat, dum inquit: Scholarium famulis eadem " priuilegia videmus indulta, quę & scholasticis tribuun- " tur, cur & cum Legatorum comitibus ita non ageretur? "

" Et certum eſt, ſi nihil non ſanctum, non munitum pri-
" uilegio legatis eſſe debet, vt ſupra retulimus, etiã comi-
" tibus, quoad ipſimet iuris gentium religionem non perfregerint, ſub hoc vmbone ſecuritatem præſtari debere; & ſummæ eſſet iniuſtitiæ, eum qui par factus eſt periculis, inferiorem eſſe iure & priuilegiis. Sint ergò etiam Legatorum comites inuiolabiles; nec puniantur ita facile vt ſubditi, interim facilius, cum grauiter peccant, puniri poſſunt, quàm ipſi Legati. Eſt enim diſcrimen magnum, vt inter corpus & vmbram; ita inter Legatum & eius comitem.

14 *An Legato liceat accipere munera?*

Quæſtioni huic difficultatem parit Athenienſium illud *ἀχειροδοκήτιον*, quo capitis mulctâ munerum in Legatis acceptatio fuit interdicta, ne corruptionis per largitionem fiat occaſio, cum hac homines non ſecus ac hamo piſces capiantur. Inde Legatus quidam, licèt honorificam & probatiſſimam omnibus Athenienſibus pacem cum Rege Perſarum confeciſſet, tamen, quia in Legatione munera accepiſſe viſus fuerat, parum abfuit, quin & ipſe ex ea lege capitali ſupplicio afficeretur, teſte Xenophonte lib.7. rerum Græcarum. Sed & Corinthii eandem contra legatorum *δωροδοκίαν* legem tulerunt; Et de Romanis Saluſtius ſcribit, rogationem Romæ latam in eos, qui pecunias in legationibus à Iugurthâ accepiſſent. Q. Fabius Gurges, Cnn. Fabio Pictores, Q. Ogulzius legati miſſi ad Ptolomæum Regem, munera quæ ab eodem priuatim acceperant in ærarium detulerunt, de publico ſcilicet miniſterio nihil cuiquam præter laudem benè adminiſtrati officii accedere debere iudicantes. Zonaras ex Valerio Max. lib.4.cap.3. Hanc veterum ſanctionem etiam Reſpublicæ multæ cõſtanter hodie retinent, & inprimis Reſpub. Veneta, vbi capitis periculo cautum, ne munera in ſolenni legationis actu legatus ab exteris referat, nedum ea petat aut affectet; ita nimirum efficax & penetrabilis vis munerum, quæ vt oculorum ſenſum, ſic cordis affectum facillimè ferit, & ad ſuum illicò flexum pertrahit. Quem quidem iuris rigorem multi ex plurimis ſubierunt, vt abſentes etiam propter contemeratam

Lib.12.

variis

variis muneribus legationem patriæ suffragiis condemnarentur, vt de clariss. Venetorum Oratore Hermolao Barbaro testatur Iouius, de aliis alii: Vsque adeo, vt, etiamsi quis felicissime legationem egerit, tamen si eâ dono sibi aliquid desumpserit, legum seueritate & sententia conuinceretur; quod Hermolaus Barbarus testatur in lib. de Repub. Venet. Atheniensium Legatus Epicrates neque reducti ex Pyreo populi beneficio, neque insignibus aliis in Rempub. promeritis munerum acceptationem expiare, aut supplicii grauitatem declinare potuit. Callias itidem Reipub. voce ad Persas delegatus Orator, cum ita ex voto legationem terminasset, vt pacem cum Persis gloriose initam sanciret, tamen eâdem Reipub. voce ob accepta dona pœnâ talentorũ 50. mulctatus est. Dei ipsius vox & admonitio extat Deut. 16. *Ne suscipito munus, quia hoc oculos excæcat sapientum.* Scilicet auri, vt inexhausta cupido, sic vis animum dementandi occulta est & imperscrutabilis. Sed tamen dextrè & cum iudicio hic locus intelligendus, ne fortè virtus virtuti contraria videatur; si enim promiscuè munerum inhibetur acceptio, vtique eorundem etiam erogatio; atque adeo ipsa etiam tolleretur liberalitas, quæ est præcipuum quoddã societatis humanæ vinculum, etiam verbo diuino nobis commendatum. Sanè vetustæ quædam gentes, velut ex lumine naturæ intelligentes legationis in humano genere tum necessitatem, tum etiam decus, nullum facilè Legatum ditionem suam præterire passi sunt, quem non honorato aliquo donario prosequerentur; ex quo tanquã speculo lucidissimo animi affectus eluceret, vt de Germanis antiquæ simplicitatis testatur Tacitus, qui etiam fraudi, ignominiæque ducere solebant, si quis indonatus ex legatione rediisset. Distinguendum igitur omninò est, tum inter munera ipsa, tũ inter causam eorum efficientem siue muneratorem. Nam si ab hoste legatis munera offerantur, in iis sanè acceptandis cautissimè sese moderabitur, cum hæc corruptelæ suspitionem perpetuò alant, nec possit ab eo bonus finis intendi, cuius animus ad meram fraudem & corruptionem est compositus, ita vt meritò in prouerb. abierit: ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα:

In Elog illust. viror. cap. 36.

De morib. German.

hostium dona pernitiosa. Quo sensu etiam Atticæ & Corinthiacæ legis attemperāda asperitas, ne eâ omne mutuum officium & liberalitatis munificentiæque circa legationē exercitia videatur tollere. Clariss. quem sæpè citauimus, Gentilis prudenter inquit : Sunt quædam munera, quæ velle legati omnino debent, & ea sunt ordinaria quædam, nimirum lautia illa & xenia, vt puto, quæ Legatis honoris causâ offerebantur; id enim moris fuisse antiquis, testes sunt historiæ. Vnde illa nobis iam oboritur distinctio, nimirum quod munera alia ordinaria sint & publica; alia extraordinaria & priuatim data. Ac publica quidem dicimus ea quæ honoris causâ legatis obueniunt, qualia olim *Lautia* erant & *xenia* Romanorum; de quibus expressus est in iure textus, ne Princeps in totum morosè à xeniis abstineat, neque abundè modum excedat; nec legatus omnia, nec quouis tempore, nec ab omnibus accipiat; nam valde inhumanū est à nemine accipere, sed parum vilissimum est; omnia, auarissimum. Priuata verò munera ea sunt, quæ peculiaris beneuolentię & hospitalitatis causa legato offeruntur, ita tamen vt propterea nulla obligatione muneratori obstringatur. Quibus quidem vt facilius legatum oppugnat, & animum eius nundinatur Princeps; sic in iis accipiendis erit moderatissimus, omniaque ex prudētiæ regulis metietur. Apud Romanos olim legati accepta munera in ærarium publicum deferebant, quo facilius à corruptione animus eorum abstraheretur, cum priuata magis quàm publicè donata animum feriant. Dux Muscouitarum auferre Legatis ad se redeuntibus munera omnia solet; vt scribit Sigismundus ab Herberstein Baro in Moscouia. Quod etsi nō ab indole istius gentis, tamen à decoro Principis alienum est admodum. Romani, teste Liuio, Legatis ad se missis, munera dare soliti sunt. Quare etiam hac in controuersia locum habebit prudens illud; *Nec omnia, nec quouis tempore, nec ab omnibus.*

lib. 3. cap. 20.

L. 9. §. 3. ff de offic. Proconsl.

15 *Responsio & dimissio qualiter Legatis debeatur?*

Nimirū eo fine legatus & mittitur, & admissus auditur, vt respon-

vt responsum accipiat. Neq; vllus poterit esse legationis fructus, nisi legatus principi expeditum de omni re responsum tulerit; nec quicquam est, quod in maiorem fraudem & ignominiam iis vergat, quàm si sine responso redierint: quæ olim apud Romanos summa in legatos animaduertendi fuit seueritas. Aristhenus Achæorum prætor prudenter apud Liuium inquit: *Satius est non admittere & audire legatos, quàm auditos sine responso dimittere*; quod summam præiudicii alicuius opinionem præbet; præsertim si in solenni conuentu suam legationem legatus egerit. Vt igitur iure responsio postulari ac oportunè vrgeri potest, sic contra intra certas angustias non compingitur; quomodo quidem Antiochum Regem legatus Roman. Pompilius compegit, bacillo, quẽ in manibus gestabat, circulo circa Regem ducto, quem non egrederetur prius quàm responsum daret. Quod Legati fuit cum certo imperio missi. Alioquin in pacata & togata legatione responsi modus ac tempus ab eo pendet, ad quem legatus mittitur. Et quò citius responsum dat, eò maioris gratiæ & beneuolentiæ indicium facit. Nec vi aut armis minaciter extorqueri, sed prudẽtia & consilio humaniter vrgeri responsio debet. Quâ quidem necessitate ac momento in responsis cognito, nonnulli existimant satius esse, si scripto qualiacunque responsa consignentur, ne legatus ea pro libitu captet aut mutet, quemadmodum & olim fieri consueuit, vt ex responsis Alexandri ad Darium missis patet. Et sicut legatus mandata principis sui non facilè egreditur, sed ea omnia, prout sunt, exhaurit; sic responsa alterius non facilè aliter efformabit, aut quicquam iis ex suo sensu affricabit; sed prudens & cautus erit, ne eorum ambiguitate & velut cothurnis decipiatur. Porrò quod ad dimissionem Legati attinet, nihil est quod insolentiam & fastum Principis magis arguat, quàm diuturnior Legatorum sine causa suspensio. Id quod Demetrium factitasse legimus, qui Atheniensium legatos biennali morâ elusos, inauditos tandem dimisit. Sed omnium propterea animos in se incẽdit, ac omni authoritate sese priuauit. Nec fastus tantum est, legatos diu tenere; sed & inconsiderantia atque imprudentia, cum præsertim legati sunt

lib. 2.

Arrian. l. 2. de reb. Alex. gest.

Plut. in Dem.

" hostium. Inconsultum est, inquit Cicero, ac Reipublicæ
" periculosum si legati, præsertim hostium, diuturniori
" morâ trahantur, cum varia interim moliri, insidias
" quærere, exterorumque machinationes ac consilia mo-
" derari possint. Et certum est, nihil esse periculosius, quã
domi suæ hostem alere. Quapropter & dimittendi citò
legati hostium, & certo saluo conductu, vt vocant, seu
securitate publica, quæ per ipsam legationem tanquam
pacis & belli sequestram ipsis iure debetur. Securitas.n.
veniendi includit securitatem recedendi. In quo quidẽ
Romanorum virtus, tanquam in excelso mundi amphi-
theatro omnibus elucet, qui Legatis hostium abeunti-
bus duces & custodes vsque ad fines territorii sui adiun-
gebãt, quo tutiores, & ab omni periculo immunes essẽt.

16 *An Legati ob malè administratam legationem sint puniendi?*

Athenienses, aliæq; Græciæ ciuitates, actionem παραπρεσβείας Legatis intendebant, si rationem rerum gestarum & omnium & singularium reddere non possent. Id quod hodierno etiam iure ad eum modum seruatur, sicut legimus, filium Ioannis de Lignano ad Pontificem Martinum V. Bononiensis ciuitatis voce missum ob malè curatum officium, medio in foro de nocte suspensum esse, atq; ita & incuriæ pœnam grauissimam dedisse. Nimirum periculosiora sunt munera illa, quæ cum maiori dignitate & authoritate coniuncta sunt: benè cœpta honorem, malè & infeliciter continuata, vitæ discrimen afferunt. Sed tamen distinctio hîc diligens adhibenda, ne in legatum promiscue omnem fortunæ euentum deriuemus, cum ea plerumq; res ex suâ libidine agitet, & optimè cogitata pessimè plerumq; cadant. Neque verò si bona ad bonum finem fiat intentio, eaque contrarium sortiatur exitum, illico legati propterea puniendi, dum non stat per ipsos, quo minus ea, quæ ad scopum directè & cominus intenduntur consilia, longius aberrent, solamque fidem, non verò euentum præstare possint. Secius multò si fraudulenter & perfidè legationis mandata fuerint prætergressi; sicut id expressus in iure textus clarè demonstrat. Contra verò benè actã legatio-

L. 1. & 2. ff. de Legat. l. 2. C. eod.

legationem apud omnes gentes remuneratam non vno modo cognoſcimus. Athenienſes probè legatione functos publicis præconiis & acclamationibus excipiebāt, ſacræ coronæ ex olea contextæ æterno cum teſtimonio in Prytaneo cœna illis multæ impenſæ & apparatus locuſq; dabatur honoratiſſimus. Romæ ad ſummos honores aditus per legationem erat. Veneti etiam hodie & aliæ Reſpub. Legatos bene meritos ad ampliſſimum ciuitatis gradum extra alios attollunt. Cicero dicit, ei cui legatio morti erat, ſtatuas & columnas poſitas, publicamque humationem honorificè factam fuiſſe; ſicut A. Gluilio, L. Roſcio, C. Fuluio, & aliis eundem honorem immortalem præſtitum hiſtoriæ docent. Taceo iam priuilegia & immunitates, quibus iidem gaudent, & munera quæ pro labore haud exigua reportare aſſolent. Sed & certum eſt, perpetuum legationis fructum eſſe multiplicem rerum vſum & experientiam, quæ prudentiæ acumen in nobis gignit, & animorum cauernis vltrò ſeſe illatebrat.

17 *Quomodo referre Legati debeant?*

Laudatiſſimum earum Rerumpub. eſt inſtitutum, quæ à Legatis domum reuerſis non ſolum expenſarum rationes, ſed etiam omnium actorum relationes ſollicite exigunt, & quid in quaque regione & gente memorandum obſeruarint, prudenter diſquirunt. Expenſarum namque rationes propterea redduntur, ne immodicos ſumptus Legatus inducat, & neruum Reipub. inconſideranter attenuet; præſertim cum id ingeneratum quaſi ſit pleriſque, vt ad largiendum ex alieno ſemper ſint paratiores. Accedit deinde quod hac ratione licentia & præſumptuoſus legati faſtus, ſi fortè deuiare velit, coarctetur, variarumque inſidiarum ſtructuræ, quas aurum erigit, penitus ruant, dum non pro libitu ſumptum facere, ſed de ſingulis Reipub. eum referre oporteat. Quod verò reliquum muneris ſui perſoluere legatum decet, eſt ſingulorum actorum accurata & ſolenniter facta commemoratio, quæ non ſolum peculiari illo ſibi demandato negotio continetur, ſed etiam ad varia alia experientiæ documenta, gentium

mores cognoſcendos, eorumq; potentiam & ſtatuta diligenter indaganda ſeſe exerit. Nam vt vnius rei varii poſſunt eſſe vſus; ſeu, vt Logici loquuntur, fines, ſubordinati & intermedii; ita quoq; legationis finis, haud in extremis poſitus eſt, quòd per eam multorum regnorũ conſtitutiones, & gentium indolem cognoſcamus, quæ ipſa Idea eſt prudentiæ Politicæ. Venetorum legati antiquo & laudatiſſimo inſtituto non tantum ea Senatui referunt, quæ ad præſens negotium, cuius gratia miſſi ſunt, atq; ad eius expeditionem pertinent; ſed & ſpecialẽ quandam ac plenam commentationem exhibent de ſitu regionis, deq; eius qualitatibus & commoditatibus, de Principis perſona, virtutibus, vitiis, forma regiminis, viribus, neruis, munitionibus, vrbibus præcipuis, reditibus, ſubditis, de eius correſpondentia cum vicinis, & cũ agnatis & cognatis, de fœderibus, de eius coniugio, de liberis, de aula. Hæ commentationes in archiuis Senatus Veneti aſſeruantur, & vſum iſti Reip. magnum præſtant, ſicut cuiuis facile eſt intelligere. Lazar⁹ Soranzius ingenuè fatetur, eum, quem de rebus Turcicis inſcripſit librum, maxima ex parte ex talibus relationibus eſſe collectum. Et dicere auſim, pleraq; ea quę Boterus & alii Itali de exterarum Rerump. conſtitutionib. ſcripſerunt, ex iiſdem legatorum renunciationibus contexta eſſe, & quidem feliciter, cum nulla certior poſſit eſſe obſeruatio, quam quæ ipſo oculorum ſenſu diiudicatur. Nec aliter Romani omnium gentium iura ac conſuetudines explorarunt, quàm multis actis legationibus, & inde Remp. ſuam bonis legibus ac moribus adauxerunt: nimirum tali obſeruatione Reſp. & feliciter adminiſtratur, & quàm florida diutiſſimè cõſeruatur. De qua præclara Romanorum conſuetudine omnib. Rebuſp. meritò imitanda viſum eſt adſcribere verba Sigiſmundi liberi Baronis in Herberſtain, viri ſanè in omni experientia politica magni & binis in Moſcouiam, ac plurimis aliis ad Europæ principes legationibus defuncti: Romanos olim ferunt legatis, quos ad longinquas ac incognitas nationes miſerant, id etiam negotii dediſſe, vt mores, inſtituta, totamque viuendi rationem eius gentis, apud quam legationis nomine verſabantur, diligenter literis conſi-

In præf. de reb. Turc.

Plut. in Scip.

In præf. rerũ Moſc.

consignarent; quod adeo deinceps solenne fuit, vt renũciata legatione, commentarii eiusmodi in ædem Saturni ad instituendam posteritatem reponerentur. Quod institutũ si fuisset à nostræ vel paulò superioris memoriæ hominib. obseruatum, fortasse plus lucis in historia, certè minus vanitatis haberemus. Hactenus Herberst.

18 *Quâ cautione fœdera sint sancienda?*

Nulla re, inquit Bod. principes ac populi magis periclitantur, quàm in pace cum hostib. sanciendâ, & in feriendis fœderibus ac societate ineunda. Vnaquæque n. res, quò maioris est vtilitatis & amplitudinis, eò citius ad pericula prolabitur, suisque certis limitibus communienda est. Est enim fœdus nihil aliud, quàm adamantina quædam catena, quâ politiæ inter se arctissimè deuinciuntur, quaque rupta, illæ ipsæ in præsentiss. discrimen abducuntur, & quæ antea ad salutem publicam erat bene connexa, ad pernitiem & mutuas simultates dissoluitur. Ita vt meritò & cautissimè ineunda sint fœdera, & semel inita sanctissimè seruanda, ne vlla ex parte fiat profanatio. *Cautissimè dico ineunda*; quippe dũ promiscuè nos fœderib. implicamus, ad iniustiora sæpe nobisq; pernitiosa negotia quasi coacti abripiamur, sicque alienorum peccatorum, & quasi pœnarum participes nos reddamus. Qui. n. alteri auxiliũ parat, alteri exitium, eum scire oportet, sibi paratam pestem vt participet parem. Hinc Athenienses nunquam nisi veste pullâ & malis victi fœdera erexerunt, propterea quod periculosum esset, & extremi quasi refugii se aliis, aliosque sibi deuincire, vt simul Reip. salus eo nexu contineatur. Itaq; & ante meridiem primoq; diluculo id peragebant; nam post meridiem non licebat, vt habet Alexan. ab Alex. qui varios eorum ritus recenset, nimirum vt ad sacra omnia peragenda tempus matutinum constituitur; sic in fœdere feriendo, tanquam re diuinâ & sacrè colendâ, cauteq; ineunda idem obseruatum fuit. Richterus allegat verba Victorini plena prudentiæ: Impliciti fœderibus sequi coguntur alienos furores; quod adeò verum est, vt multi etiam ad propriam ruinam fœdera cum aliis contexerint; quia semel datã fidẽ, præstari omninò oportuit, & sicut in testudine, si vna chorda discrepet, tota illico

lib. 1. c. 6.

lib. 5. c. 3. Gen. dier.

Axiom. pol. 277.

„ harmonia turbatur, sic si vnus confœderatorum premi-
„ tur, alter quoque idem continuò experitur. Clariss. Dauid Chytræus in oratione de Wolffgango Palatino; *Optimum*, inquit, *& firmissimum fœdus hic Princeps existimauit, iusta & necessaria modestè agere.* Et in Fœderibus plerumque alienorum erratorum pœnas luendas esse ab agnato Friderico Electore grauissimè erat monitus. Fœderationes & armorum coniunctiones Religionis tuendæ causa non probauit Melanchthon, inquit Camerarius in eius vitâ. Quod tamen non ita nudè ac simpliciter intellexerim, respiciens nimirum ad legem naturæ, & ad exemplum Maccabæorum. Sed hoc certum, non promiscue cum quouis fœdus faciendum; & primò quidem non cum manifestè impiis, ne cum diuinis diuina periculose eludamus; siquidem impium in re impia iuuare, id verò ipsum est impietatis, & manifestæ in Deũ diffidẽtiæ. *Si enim hoc feceris, Deus sinet te cadere coram hostibus tuis.* Sed tamen distinguendum hîc etiam est, vt prudenter Zepperus monet, inter fœdera, quod videlicet alia sint defensionis; alia commerciorum; quæ licita sunt etiam cum ipsis impiis, propter publicam vtilitatem, & necessariam vitæ societatem, pacemque inter se mutuo colendam. Vult enim D. Paulus, vt quantum in nobis est, pacem cum omnibus habeamus. Porro periculosa sunt fœdera & dubia cum iis, qui in diuersâ politiæ forma viuunt; quia diuersitas imperii cum animorum plerumque dissensione coniuncta est, & consiliorum in agendo diuersitatem parit, quæ maximè fœderibus est inimica, vtpote quæ diuturna esse non possunt, nisi animi & opinionum consensu & consiliorum vniuocâ conspiratione conglutinentur. Sed nec sine periculo est, potenti impotentem iungi, vt iudiciosè Lips. disputat, quia facilè occasione & prætextu fœderis impotens poterit à nimis potenti opprimi, & cum suam, regnique incolumitatem anhelat, ad interitum sui non sine dolore potentiori viam recludit. Quemadmodum Ioanni Regi Vngariæ exitialis fuit cum Turcâ coniunctio, quâ Turcæ in regnum allecti, id mirificè deuastarunt. Verum siquidem est, quod Plautus alicubi dicit, *maximum esse periculum ab asinis ad boues conscendere*; sic enim

1. Sam. c. 28. 29. 30. Esaiæ 8. 2. Paralip. 25.

l. 4. Leg. Mos. c. 6. Nõ veniat te cũ exercitus Israel, quia Deus non est cũ Israele, inquit Propheta.

Rom. 22.

l. 4. c. 9. Pol.

enim, si quid forte diuortii fiat, & asini te mordicibus scindent, & boues cornibus incursabunt, ne stabile stabulum vllibi reperias. Infeliciter superiorum ambitur amicitia, quæ nonnisi in æqualitate fundata est. Denique & hic prudentia pedem figit, dum suadet, ne cum nimis remotis aut nimis miseris & periclitantibus in fœdera descendamus, sed cum iis potius, qui non mediocri valeant potentiâ, & in proximo habitent, ita vt vtibiles & viribus & loci oportunitate esse possint, quæ si absit, non facile in præsenti periculo erit auxilium, cũ remotus non ita citò se nobis coniungere possit, & vicinorum animi arctius etiam quasi naturæ vinculo videantur copulati, ad mutuum auxilium & defensionem, nisi fortè, vt idem Lips. monet, remotus quisquam talis sit, cuius ruina te quoque tractura sit; tum enim aut iunge te, aut iuua. Quibus quidem prudentiæ cautelis sic obseruatis, fœdera omninò ad publicam regni salutem facere asserimus, si ea quis ad patriæ libertatis, subditorumq; conseruationem sanciuerit, nec præter modum iis innixus fuerit: quâ ratione reprobata sunt in Asa Rege Iudæ fœdera. Item in Iosaphat & aliis, qui propter fœdera videri voluerunt inuictissimi. Licèt enim ea ad bonum finem directa sint, velut arietes, quibus praui improborum conatus destruuntur, & inimicorum molitiones euertuntur, cum ea sine exitu conuellentium conuelli vix possint, tamen in ea nõ omnis figenda spes, cum vana sit in humanis fiducia, & hominum voluntas ita varians sit & ambulatoria, vt facillimè degenerare possit, vt prudenter monet magnus quidam Politicus meditamentis de fœderibus editis, sub nomine Waremundi ab Erenberg; vbi quidem delabitur etiam in mentionem Fœderis illius nostri Hansatici, quod potentissimo Imperatori Carolo V. terribile extitisse testatur gloriosus scriptor Hispanus Ludouicus ab Auila in Commentariis belli Germanici. De isto ergo fœdere Hansatico ita autor ille: Celebre quoque est Ciuitatum Ansaticarum siue *Hansarum* maritimarum & aliarum Teutonicarum fœdus circiter annum Christi 1270. institutum, cui cohæret fœdus ciuitatum Vandalicarum, Der Wenden Stätte, quæ adhuc

„ durant & numerantur; 1, Lubeca. 2, Wiſmaria. 3, Roſto-
„ chium; 4, Stralesunda; 5, Gripeswaldum; 6, Hamburgũ,
„ 7, Luneburgum. Etſi verò de anno initi fœderis Anſatici
„ dubitent prudentes, tamen hoc certum eſſe ſcio, Caroli
„ IV. gratiâ Hanſaticum fœdus confirmatum eſſe. Et fuit
„ in initio immenſa huius fœderis vtilitas & ſanctio ho-
„ neſtiſſima contra Danos, & Cimbricę Cherſoneſi inco-
„ las & Suecos initi, qui in Holſatiam & Luneburgenſem
„ ac Saxonicam regiones & ciuitates irruebant. Ibi dein-
„ de ſubiũgit aliquid quod & periculoſum valde dictu
„ ſcriptuq; eſt, & tale omnino, quod valdè optem ab iſto
„ viro vel non ſcriptum, vel maiorib. argumentis dediſſe
„ euictum. Accuſat.n. Hanſaticas ciuitates conſpiratio-
„ nis; Et addit deinde: Sed bene eſt quod domeſticis diſ-
„ ſidiis & priuato commodo faſcinati Hanſatici, neſciant
„ hac potentiâ ingenti vti, cum homines alant aliis Regi-
„ bus principibuſq; addictos & obligatos, & Conciona-
„ tores ad quælibet vulgus incitantes. Oſtendit hoc bel-
„ lum Suecicum & Danicum, bellum Megapolitanum
„ contra Roſtochienſes. Errat Bod. lib. 1. de Rep. c. 6. exiſti-
mans circiter annum 1560. fœdus inter Vandalicas ci-
uitates cõtractum quod fuit antiquiſſimũ; errat quoq;,
putans eſſe ciuitates Imperiales, cum tantum vna ſit in-
ter omnes. Hactenus Waremundus ab Erenberg, pag.
150. & ſeq. meditament. pro fœderib. Cæterum Bodinus
& alii pleriq; Politici tria faciũt fœderum genera; aut e-
nim, inquiunt, cum amicis, aut cum hoſtibus fœdus eſt,
aut cũ iis, qui nec hoſtes ſunt, nec amici; idq; iterum du-
pliciter, vel tanquã cũ patrono & cliente, aut tanquam
cum Principe & dedititiis, qui quidem in fidem, non ta-
men in fœdus veniunt, & idcircò fœdus nonniſi impro-
priè & generaliter dicitur. Quemadmodum & id, quod
cum ſubditis Princeps ferit; de quo grauiter Bod. inquit,
nullũ eſſe periculoſius, & quod difficilius ſeruari poſſit;
quia nihil æquè mentẽ Princip. exulcerat; quàm cũ ſub-
ditis, à quib. contumeliã acceperint paciſci, & ad pacta
ſeruanda cõpelli. Id quod hiſtorię nobis cũ Bod. teſtatũ
faciunt. Sed nos propriâ & ſtrictâ fœderis conſideratio-
ne contenti, alias ſpecies ad hanc, de qua egimus in hoc
problemate, tanquam perfectam & principalem redu-
cimus.

FINIS.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXXIV.

Quæ est Politica Sexta.

DE AVLA PRINCIPIS, DEQVE EIVSDEM REDITIBVS; DE CVRA PRINCIPIS circa mortem; Denique de officio ſubditorum.

Die 12. Ianuarii, Anni ineuntis 1608. publicè inſtituta.

Reſpondente

SIMONE CLVGIO *Dantiſcano.*

Viris Magnificis, Amplissimis,

Dn. GERHARDO BRANDESIO,
PATRIÆ REIP. PROCONSVLI,
Affini honorando.

Dn. GVALTHERO AB HOLTEN,
EIVSDEM REIP. CONSVLI,
Auunculo colendo,

Dominis, Patronis, ac fautoribus suis obseruandiss.

Discursus hos Politicos, tanquam suorum debitorum officiorum pignus, eâ quâ par est reuerentiâ, dicat & offert

SIMON CLVGIVS Resp.

THESES

THESES DE AVLA PRINCIPIS; DE EIVSDEM REDITIBVS, DE CVRA PRINCIPIS CIRCA mortem; denique de officio Subditorum.

1 PArtiti ab initio sumus gubernationem siue curam Magistratus Principis in vniuersaliorem, siue magis publicam; & particulariorem, siue aulicam. Cumque illam aliquot disputationibus expediuerimus, consequens est, vt istam quoque consideremus.

2 Gubernatio ergo aulica Principis est, quæ directè non pertinet ad totam Rempubl. sed huius tantum partem eam, quæ est cum principe, ac circa principem.

3 Aula principis consideratur vel vt stabilis & fixa in vno loco; vel vt ambulatoria.

4 Aula considerata vt stabilis, continet tum gubernationem siue dispensationem; tum disciplinam aulicam: Gubernatio aulica est vel circa personam, vel circa rem aulicam: Et circa personam iterum vel ipsius principis, vel à principe diuersam.

5 Cura circa personam ipsius principis est, vel quoad vitam & eius societatem; vbi de satellitibus & custodibus corporis: vel quoad victum; vbi de mensa principis & victu: vel quo ad sanitatem; vbi de medicis principis.

6 Cura circa personas à principe diuersas, est

vel circa personas aulicas collectim consideratas, siue totum cœtum aulicum; vbi de aulicorum numero & frequentia; vel circa personas aulicas separatim spectatas.

7 Persona aulica separatim spectata, est vel necessaria, vel officiaria.

8 Necessaria est, quæ principem aliquâ naturæ necessitudine attingit: Estque vel coniux principis, vel cognati, vel affines; vbi agitur de nuptiis & matrimonio principis, de Ginæceo aulico, de parentibus principis, de liberis, & eorum educatione; de fratribus item, sororibus, deque aliis cognatis & affinibus principis, qualiter erga hos se gerere, & quis locus iis tum in Rep. tum in aula principis esse debeat.

9 Persona aulica officiaria consideratur vel vt est in simplici officio, id est, tantum aulico; vel vt in mixto. Et illa iterum vel necessarii officii, vel minus necessarii.

10 Aulicus necessarii officii est vel superior, vt Magister aulæ, & Præfectus palatii, Magister stabuli, Mareschallus aulæ, Vicemareschallus, Præfectus cubiculi & Cubicularii, Quæstor aulicus Burggrauius aulæ, præfectus commeatui & culinæ; præfectus & præfecta Gynæcei: vel medius, vt Ministri principis & Nobiles pueri, quibus princeps ad necessaria seruitia vtitur. *Carptor*, siue *præfector*, vt vulgò vocant, item Secretarii & Scribæ, quibus priuatim quasi princeps vtitur extra Cancellos, vt vocant; vel denique infimi, vt Coquus, Pocillatores, & horum ministri in culina, inque cella principis, Ianitores item & similes.

11 Minus

11 Minus necessarii officii aulicus, & quo princeps vtitur vel ad splendorem, vt est Nobilis comitatus tam pedestris, quàm equestris: vel ad voluptatem & delectationem, vt Musici, Venatores, Aucupes, Spectaculorum exhibitores, Ludiones, &c.

12 Aulicus mixti officii est, qui ita inseruit ad aulam principis, vt simul habeat officium pertinens ad totam Rempublicam, vt est Cancellarius, & qui in cancellaria principis; vbi de connexione cancellariæ principis cum aula eiusdem; item Præfectus stabuli siue equitatus regni, & Mareschallus, & similes officiarii publici, qui semper sunt ad aulam principis, quorum ordo etiam vel summus, vel medius, vel denique infimus, prout apparet ex doctrina officiorum publicorum principis supra tradita.

13 Tantum de cura personarum aulicarum: restat cura rerum aulicarum, quæ sunt vel animatæ, vt equi & aliæ feræ, quas princeps ad aulam alit; vel inanimatæ, & hæ vel continentes, vel contentæ. Continentes res sunt ipsum palatium principis, de cuius structura partim salubri, partim commoda & amœna, partim denique splendida sollicitum esse principem conuenit. Contentæ res sunt, quę pertinent partim ad commeatum & mensam principis, partim ad sanitatem, vt pharmacopolium aulicum, partim ad vestitum & ornatum ac splendorem. Atque ita hîc agitur de tota supellectile aulica.

14 Sic fuit gubernatio siue dispensatio aulica: Restat disciplina siue iudicia aulica, vbi de iudice aulico, siue Mareschallo & Burggrauio, quatenus

ſunt iudices; agitur etiam hîc de locis palatii priuilegiatis, ſanctis atque inuiolabilibus, atque adeò de pœna eorũ, qui hæc violãt, vom Burgrecht.

15 Sic de aula ſtabili: Circa aulam conſideratam, vt eſt ambulatoria, ſpectanda aulæ translatio, migratio, itẽ diſtinctio in hybernam & æſtiuã.

16 Peregimus de partibus eſſentialibus & principalibus Regiminis, atq; adeo de cura principis tam publica quàm aulica: Conſequens eſt, vt veniamus ad cauſas Regiminis, & curas Principis inſtrumentales, ſiue ad adminicula, quibus princeps ad bene feliciterque regendum opus habet: Hæc autem duo ſunt; Reditus & Operæ ſubditorum.

17 Circa reditus principis tria conſideranda; primò eorum Acquiſitio, ſecundò Aſſeruatio, & denique Diſpenſatio ſiue erogatio.

18 Acquiſitio redituum habet tum modum acquirendi, tum perſonas adminiſtras.

19 Reditus principis eſt vel directus vel indirectus.

20 Et directus iterum vel naturalis vel acquiſitus.

21 Naturalis reditus dicitur, quem princeps habet ex rebus naturalibus, iisque vel in terra, vel ex metallis, & aliis quæ fodiuntur: vel ſupra terram, vt ex frugibus & fructibus omnis generis.

22 Acquiſitus Reditus, quem colligit ex penſione.

23 Et hic iterum vel maior, vel minor; vbi primò de vectigalibus & eorum adminiſtris atque exactoribus, pòſt de Exactionibus & Tributis, tam ordinariis; vbi de profeſſione, Deſcriptione,

Adæratio-

Adæratione, Taxatione, Exæquatione, & Pēsione siue Canone, Exęquatione, quàm extraordinariis, vt est Iugatio, Capitatio, Hospitatio. Inde de minoribus reditibus, vt sunt: Mulctæ, Confiscationes, Caduca.

24 Indirectus reditus principis appellatur is, quem habet vel iure dotis, vel ex donationibus, ex alluuionibus, accretionibus, iure belli.

25 Tantum deRedituum acquisitione: sequitur asseruatio Redituum siue Ærarium; vbi de Ærarii distinctione; quod nempe sit vel publicū, vel aulicum; vbi de reditib. mensalibus principis; item vel ordinarium siue pacis, vel bellicum; simul etiam de ærarii Præfectis, de Thesaurariis, de Quæstoribus, de Rationariis & Scribis ærarii, de Libris & Commentariis ærarii, atque adeo de Rationibus & Indicibus, denique Loco Ærarii.

26 Restant impensæ principis, quæ vel publicæ, vel aulicæ; vtræque vel ordinariæ, vel extraordinariæ. Ordinariæ vel annuæ, vel menstruæ, vel quotidianæ.

27 Tantum de primo instrumento siue adminiculo Regiminis, nempe de Reditu: restat alterum, nempe Operæ subditorum, quæ vel publicæ pro tota Rep. vel aulicæ Hofdienst: & vtræq; iterum vel vrbanæ siue ciuium, vel rusticæ, Scharwerck vnd Frondienst. Itemque vel intra ditionem principis, vel extra. Et vel pacis, vel tempore belli: vbi simul de immunitate ab oneribus & operis publicis, siue ea sit propter meritum, siue propter morbum, siue propter ætatem; denique de operarum publicarum Exactoribus & Ergodioctis.

28 Expediuimus doctrinam politicam de cura principis, quæ principi incumbit in vita sua. Superest vt agamus de cura principis circa mortem: Sic enim ab initio statim curam principis partitos nos esse, lector potest meminisse. Est autem & illa cura vel Reipub. vel magis priuata. Cura Reip. est de Regni defectibus & necessitatibus fideliter indicandis, de Successore idoneo nominando, de Testamento & eius Executoribus, itemque cura officiariorum bene meritorum, & nondum remuneratorum. Cura item puniendorum flagitiosorum, quos princeps in sua vita punire non potuit. Magis priuata cura est circa coniugem, liberos, cognatos, affines.

29 Habes, Lector, adumbratas immensas principis, id est, præcipui ac primarii magistratus curas & officium, totamque adeo regiminis ac gubernationis formam. Superest ratio rectè parendi, quæ erat altera Regiminis pars, Officium nempe subditorum principis: quod quia à ratione gubernandi pendet, ideò & facilè ex illa intelligitur & longè breuioribus præceptis comprehendi potest.

30 Officium porrò subditorum est vel principaliter, vel minus principaliter dictorũ. Et principaliter dictorum, vel separatim, vel collectim spectatorum. Officium separatim consideratorum est vel erga totum corpus Reipub. vel erga principem, vel erga principi coniunctos, vel erga ciues, vel denique erga peregrinos. Officium erga principem, iterum vel in vita, vt est Amor, Fidelitas, & eius Iuramentum, quod Homagium dicitur, cui opponitur proditio; Obedientia,

dientia, tam quoad leges, quam quoad tributa & operas publicas: Reuerentia & Honor; vbi simul de æquitate, quâ ignoscitur erratis ac næuis principis, & honorifice de eo eiusque regimine sentitur ac dicitur: Vel circa mortem principis; vbi de honore exequiarum, & fama sui principis post mortem tuenda.

31 Erga principi coniunctos, nempe vel Natura, vt officium erga principis coniugem & viduã relictam, erga liberos masculos & fœmellas; erga cognatos, nempe parentes, fratres, sorores, &c. vel officio; vbi docetur, quomodo se subditi gerere debeant erga principis officiarios.

32 Officium subditi erga subditum, siue ciuem, iterum est vel generale, vel speciale, subditi in officio constituti erga subditũ collegam; item virorum inter sese & cum fœminis, fœminarum inter sese & cum viris, senum inter sese, senum cum iuuenibus, iuuenum inter sese, iuuenum cum senibus.

33 Officium denique subditorum erga peregrinos, est vel erga peregrinos in illa ditione, vel extra ditionem: Officium erga peregrinos in illa ditione iterum est vel erga habitantes in ditione, vel erga iter facientes per ditionem.

34 Sic de officio subditorum principalium separatim spectatorum: Officium subditorum collectim consideratorum est vel summi status, vt Illustrissimorum, Illustrium, Nobilium; vel medii status, nempe ciuium: vel denique infimi status, nempe Rusticorum. Officium, inquam, statuum singulorum vel erga principem, vel erga coniunctos principi, vel erga alios status sub-

ditorum, nempe ſtatus Nobilium erga Ciues, & Ciuium erga Ruſticos, & contra; vel denique erga peregrinos.

35 Reſtat officium minus principalium ſubditorum, qui iterum vel magis, vel minus propriè dicti. Magis propriè dicti ſunt illi, qui, etſi ciues non ſint, habitant tamen in ditione principis. Et hi etiam vel ſeparatim ſpectantur, vel collectim, eorumque officium etiam refertur vel ad principem, vel ad principis coniunctos, vel ad ſubditos principales, vel ad ſe inuicem.

36 Subditi minus propriè dicti ſunt, qui iter faciunt per ditionem principis, aut ad breue tempus in ditione principis velut hoſpites morantur, quorum officium diſtingui poteſt, vt ſit vel erga principem, vel officiarios eius, vel erga ſubditos propriè dictos, vel erga alios peregrinantes. Atq; ita quidem diuina gratia pertexuimus doctrinam politicam ampliſſimam de Statu publico per ſe conſiderato ſiue integro, adeoque de officio magiſtratus præcipui ſiue principis, & de officio ſubditorum: Ducit iam nos doctrinæ via ad ſtatum publicum inclinatum ſiue laborantem & turbatum, quem proxima diſputatione, Deo volente, conſiderabimus.

PROBLE-

PROBLEMATA.

I *Qualiter iudicandum sit de vita & statu Aulicorum?*

GRaues Senarii sunt isti:

Paucos beauit aula, plures perdidit;
Sed hos & ipsos, quos beauit, perdidit.

C. Agrippa in lib. de vanit. scient. cap. 48. *Collegium Gi-
gantum* vocat aulam, vbi quicquid fatalium monstro-
rum, infelicisq; portenti, vspiam stupet coacta natura,
habitat atq; visitur. Hulricus Huttenus in dialogo auli-
co, Aulam dicit esse *mare Syricum*, quod impetu rapit, vi
detinet, fluctu iactat; infidum, surdum & instabile, repé-
te turbatum, subitò concitatum, inconstans, inquietū,
nunquam non procellis obnoxium, ventis expositum,
tempestate furens, motu æstuans, plenum periculis, ple-
num exitio, impellens atq; inundans, omni monstrorū
genere, omnibus refertum portentis. Sed quid iuuat o-
mnia hæc recensere, cum omnes penè omnium libri, qui
hanc materiam attigêre, pleni sint. Plenus est Lucianus
de vita aulica. Syluius in lib. de Curial. miser. Iohannes
Sarisburiensis de nugis Curial. & alii multi. Nonnulli
etiam ludicro progressu Alphabetico insectari non ve-
xentur: id quod in rebus turpissimis tantum accidere so-
let. Præter hæc, ad probandam Aulæ & Aulicorum mise-
riam, affertur summa huius vitæ difficultas: quæ tum in
iis rebus consistit, quibus aulicus instructus esse debet,
tum in ipsis molestiis in aula perferendis. Et quod ad re-
quisita aulici attinet, de iis postmodum videbimus. Mo-
lestias explicat toto libro de Curial. miser. Æneas Syl-
uius, omniaque laborum plena ibi esse ostendit, nihil
autem nec ex visu, nec auditu, nec gustu, nec tactu aut o-
doratu, nisi his contrarium percipi. Deniq; his perpes-
sis, pro gratia *odium*, pro præmio, *mortem* reddi. In hunc
modum etiam Tacitus dicit: *Beneficia eousq; læta sunt, dū
videntur exsolui posse, vbi multum anteuenêre, pro gratia o-
dium redditur.* Tertium, propter quod miseram hanc
vitam dicunt, est, quod sit expers omnis libertatis.

Libertas, inquit Lucianus, *tibi comes ire recusabit ad viam tam indignam, tam humilem te conferenti.* Quod sane si esset, omnium foret meritò miserrima, cum nihil miserius sit seruitute, ipsaque mors sit potior, vt Tullius inquit. Causam seruitutis eam esse dicũt, quod se potestati subiiciant principum, ita vt iam nõ amplius à se, sed à principibus pendeant, ac omnes, qui gratia apud eosdẽ pollent, reuereri, tum voluntati amicorum obsequi, inimicorum autem iniurias & obscurè ferre, & dissimulare cogantur. At verò pro vita aulica non leues etiam militant rationes. Ac vt à postrema initium sumamus, non apparet quare maior illorum, qui ab aula remoti in ciuitatib. aut pagis priuati viuunt, sit libertas, cum omnes æquè vnius principis potestati sint subiecti, nec seruitutẽ causetur id, quod multa officia quis exequatur, sed quod obstrictus sit, vt si tale quid à se postuleretur, recusare minimè possit. Ac priuatorum quidem eò deterior ratio, quod non proximè ipsi principi, sed minoribus etiam magistratibus parêre cogantur: Aulicorum autem eò melior, quia à nullius, nisi ipsius principis voluntate pendent. Qui quò potentior est, eò maior illorum libertas, referente ex Luca de Penna Duro de Pascolo: quod & Egesippus cõfirmat, dum inquit: *Ministrorum obsequia ornantur dignitate dominantium.* Porrò maiores reuereri, id postulat æquitas; amicos iuuare, id officii ratio; iram cohibere, ac seipsum vincere, id verò diuina virtus est, minimeq; in aulico culpanda. Iam quod ad difficultatem attinet, mirãdum sanè, quod illum fontem, ex quo totus mundus aquam ad bibendum haurit, à veneni infectione purum nolint. Quod si enim aulicus aut honorum, aut potentiæ, aut diuitiarum, aut voluptatum causa aulæ se addiceret, ridendus sanè esset, qui tam inquieto mari se concrederet. Si verò eius est propositum, aut principem corruptum à vitiis ad virtutẽ traducere, aut virtuosum magis adincitare, aut denique adulatoribus viam ad perdendum principem intercludere; quis longè hoc maximum esse negauit, adeoq; ad id consequendũ omnium maximè difficilem viam esse? Cæterum hunc esse finem aulici principalem pleriq; qui de eo tractant, consentiunt. Clar. Bald. Castil. lib. de aulic. 4. eundem ipsi

his

his verbis aſſcribit. Finis aulici eſt dotibus quibuſdam beneuolentiam colligere, acquirereq; animum, cui operam dat, Principis, ſic, vt ſemper dicere huic poſſit, & dicat veritatem rei cunctę, quam ſcire eum conueniat. Aulicus non tantùm vt miniſter, ſed etiam vt amicus ac familiaris Principis conſiderandus; quantum quidem fert ſtatus ac perſonarum diſparitas. Aſſignat hunc quoque finem aulico Durus de Paſcolo in aulico ſuo Politico. Antonius de Gueuara in Inſtit. vitæ aulic. Petr. Martyr in explicat. cap. 40. Geneſeos ſimilia aulico officia aſſcribit: & tandem ſubiicit; Quæ vbi diſſimulant, & ne Principum animos offendant prętermittunt, grauiſſimi peccati rei habentur. Ideo non modo ob difficultates ante dictas, ſed ne quidem ob indignationem Principis, quã mors ipſa plerúmque comitatur, hic vitæ ſtatus derelinquendus: cum præſertim animus magnus inuictum ſe ſemper à laboribus præſtet, & in morem palmæ ſemper contra pondus nitatur, ſeque potiùs in contrariam, quã in eam ad quam pondus vocat, partem incuruet. Contra quid turpius, quam laborum fuga certum vitæ ſtatum deſerere, eamq; viam, quę bonis tantum patere debebat, malis vltro concedere? Quod ſi quem incertus exitus deterret, qui neminem magno animo præditum deterrere debebat; quæſo, quid in rebus humanis ſtabile? Verſat mortalium negotia fortuna, inquit Valerius Maximus, omneſque tandem ruunt, illi autem maiore caſu, quos fortuna in altiori dignitatis loco conſtituerat. Vbi omnia probè curata fuerint, quæ humanis oculis prouideri poterant, reliqua Deo committenda. Quod ad perditos mores aulicorum attinet, teſtantur viri clariſſimi ſe nihil aliud agere, quam modernorum aulicorũ mores notare; vitiaq; perſonarum ab ordine Politico inſtituto diuinitus diſcernendo, ordinem ipſum prædicare, & administros malos reprehendendo, bonos laudare. Per ſe enim ſtatus aulicus à Deo inſtitutus eſt, non minus ac ſtatus Regum & Principum, qui ſanè ſolitariè viuere nec poſſunt, nec debent. Idcirco & aulam ſuam Regib. Iſraeliticis Deus quaſi deſcripſit, dum Saulem in regem vngi iuſſit: Quin & Ioſephi exemplo vita aulica probatur, vt & Danielis & Prophetarum aliorum, qui pleriq; omnes

Æneas Sylu.
Hulric. Huſſ.
Henric. Pet.
Anton. Gueu.

in aulis Regum vixerunt, ac Regibus à consiliis fuerunt. Christus ipse Regulum illum, quem Hieronymus *Palatinum*, i. e. eminentiorem in aula Herodis aulicum fuisse dicit, benigne audit & iuuat, nec eius statum aut vitæ genus vlla ratione improbat.

2 *Quibus artibus instructus esse debeat Aulicus?*

Vt omnibus non discenda omnia, sed ea præcipuè, quæ olim vsui futura sunt: sic aulicus circa alia magis, circa alia verò minus occupabitur. Quæ qualia sint, ex viro Clariss. Baldass. Castilionio, & hunc secuto Hippolyto à Collibus referemus. Quas igitur duas res Plato ciuitatibus necessarias esse iudicauit, Gymnasticam nimirum & Musicam, easdem nos aulico necessarias esse dicimus, cum altera corporis vitia, altera animi corrigat. Qui enim Gymnasticam negligunt, inquit idem, corporis viribus languere; qui Musicam, id est, literarum studia aspernantur, rudes ac barbaros fieri, qui ab vtraque deseruntur, & ignauia corporis, & mentis inertia torpere necesse est. Verum quod ad literarum studia attinet, non omnes penitiores recessus homini Politico rimandos, præstantissimi quique politici iudicauere: Nec indulgendum inanibus speculationibus; ingenia enim nudis contemplationibus inhærentia, ad publicorum officiorum administrationem inepta fieri videmus. Iis disciplinis practicis quæ ex ipsis rerum experimentis prodiere, clari instructi viri Rempub. sæpe gesserunt. Accedat deinde historia, in qua hæ omnes disciplinæ quodammodo viuunt, quæque honoris stimulum ex euentu rectè, tanquam calcaria, optimo cuique, ad simile gloriosum quid moliendum subdit, atque à flagitiis patrãdis, & sceleris deformitate, & tristium euentuum memoria deterret. Huic confinis est peregrinatio, quâ, ut Hippol. à Collib. inquit, externi mores, diuersæ linguæ, ciuitates, Respub. diuersę, diuersaque administrationum genera diligenter animaduertẽda: Exacuitur enim, & quasi vsu externorum splendescit ingenium, prudẽtia comparatur. Ita vt & Homerus propterea Vlyssem reliquis prudentiorem appellauerit, quia *mores hominum multorum vidit & vrbes.* Sed neque historia rectè intelligi, nec peregri-

Laert. lib. 5. cap. 1.

In Timæo. Plato lib. 7. de Rep.
Cast. lib. 1. de aula
Hipp. à Col. in Palat.
Alberic. Gent. l. 3. de Leg. c. 10.
Cic. lib. 5. de finib.
Hippol. à Col. d. l.
Castil. lib. 1. Aul.

Bodin lib. 5. de Rep. cap. 1.

peregrinatio cum fructu institui sine Mathematicis artibus poterit. Sane Arithmetices rudem in historiarum lectione planè cæcutire, atque in computatione Chronologica, à falsis potius quorundam insomniis, quàm à veritate pendère necessum esse, vel mediocriter historicos versanti haud incognitum. Ad vtramque insigne adfert adiumentum *Geographia* & *Geometria*. Bodinus sane earum tantam cognationem esse dicit, vt altera alterius pars esse videatur. Præterquam enim quod Scytharum, Indorum, Æthiopum, Armeniorum historias ex Geographis duntaxat hausimus & expressimus, etiam Historici Geographicis descriptionibus vtuntur, & Historici terrarum regiones semper describunt, vt si vlla ars historiæ necessaria sit, profectò Geographia summè necessaria esse videatur. Nec minor ex his in peregrinantem vtilitas redundat, qui non propterea periculosissimo itineri se committit, atque trans mare currit, vt cælum mutet, sed vt animum suum multa scientiâ imbuat, regiones vrbesque diuersas contempletur. Ex vrbium verò, vt & arcium munitione, castrorum metatione, aliarumque rerum, quæ ex his artibus fluunt contemplatione, nihil vtilitatis ad peregrinantem rediret, nisi ab iis artibus, ex quibus illa petuntur, instructus sit. Requiritur præterea vt hæc omnia sic visa atq; cognita, memoriâ complectatur, aliorumq; oculis, postulante necessitate, subiiciat; quorum alterum difficulter, alterum planè fieri non poterit, nisi ea omnia delineata, ac penicillo adumbrata fuerint: adumbrari autem non poterunt, nisi aliquo adminiculo scientiæ opticæ, cui hæc tota ars innititur, quæq; se ita inuicem arctè complectuntur, vt illâ sublatâ, hæc ne ad exigui quidem temporis punctulũ perdurare possit. Porro acquiritur etiam in aulico Eloquẽtia, de qua rectius iudicare videtur Castilionius, qui eã pro variis circumstantiis immutãdam censuit, quã ii, qui Laconicum dicendi genus tantũ requirunt; id quod in colloquiis cũ principe locũ habet; in conuersatione autem æqualium non item, in qua sæpe cum viris ac fœminis nobilibus, de rebus lepidis & iucundis conferendi sermones, sæpe in lætis congressibus ludendum, iocandum, ad quæ omnia non tam aptum semper strictũ

Cap. 2. meth. Histor.

Castil. lib. 1. Hipp. à Coll.

dicendi genus, quàm floridũ illud ac luxurians. Denique Musices studium vtile aulico. Nam vt corpora maximis laboribus defatigata cibo potissimum ac potu reficiuntur: sic nulla hac ipsa post multos exantlatos labores ac perpessas molestias, animi potest existere honestior ac laudabilior medicina, quæque in otio, ac præsertim in aula magis deceat. Præterquam enim, quod spiritus variè dispersos in vnum recolligit, quosdam etiam sopitos excitat, animumque attendentium variè afficit. Non enim poterunt suauissima harmoniâ non capi, cum ipse homo totus sit quasi quædam harmonia, nihilq; ipsi insit incongruum, nihil à se ipso dissidens. Magnum illum Alexandrum tanto à Musica ardore animi incensum interdum, concitatumque fuisse proditum est literis, vt quasi inuitus coactus fuerit surgere de conuiuiis, currereque ad arma, post mutante varianteque musico sonorum genus, mitior fieri, armisque positis reuerti ad pocula. Bodinus tantam eius vim ac potestatem in Respub. esse ait, vt ex eius mutatione rerum quoque publicarum mutatio pendeat, eiusque rei habet inter alia memorabile exemplum de Repub. Cynætensium Arcadiæ populorum, qui neglectis canendi legibus, quibus eâ vti ad annum trigesimum tenebantur, vrbanitatem ac humanitatem cum feritate commutauerunt, & grauissimis bellorum ciuilium fluctibus tam diu iactati sunt, quoad Reipub. & ciuium interitus sequeretur. Et hæc quidem animi exercitia sunto. Corporis exercitia sunt, vel magis vel minus laboriosa: illa vel equestria, vel pedestria. Sit igitur aulicus noster perfectus in omni genere & modo equitandi (ad quod cum tum equorum, tum etiam earum rerum, quæ ad equitatum pertinent, intelligentiam habere necessum est) & non modò equis cum gratia insidere, eos cursu ac recursu incitare, sistere, de via deflectere, per salebras iis decurrere, denique in orbem agere, variare gyros; sed etiam omne genus armorum equos probe tractare sciat, ita vt in ludicris rebus cum laude, in seriis autem cum vtilitate eis vti possit. Tum etiam venationis, rerumque ad eam spectantium (canum nimirum & falconum) notitiam habeat. Est enim ea simulachrum aliquod belli militiæque, ac vero delicium magnorum

Hippol. à Col.

Castil. cit. lib.

Lib. 4. de Rep. cap. 1.

Castil lib 1. Hip. à Col.

Vide Donum Regium.

magnorum principum, quorum animos, dum feras ſtudioſè inſectatur, aulicus aucupatur. Nec minus pedes, quàm eques arma tractare ſciat; ſciat natare, ſalire, currere, ſaxa iácere, haſtilia, tela vibrare. Hæc enim exercitia, præterquam quod vſum magnum in bello præſtent, etiam aſpicientem delectant, & admirationem concitāt, quæ præcipuum amoris atq; exiſtimationis fundamentum. Sed cum vſus aſſiduus eiuſdem rei ſatietatē pariat, quæ tandem omnem admirationem tollit, nec in his actibus tanto labore viriumq; contentione plenis ſemper poſſit verſari aulicus; diſcedat nonnunquam oportet ad actiones minus laborioſas, & magis quietas, & vt aliorū fugiat inuidiam, rideat, iocetur, cauilletur, ſaltet, ludat pilâ, & quicquid faciunt alii, modo id honeſtum, faciat ipſe, ſic tamen vt nunquam longius à curſu ſeriarum actionum deflectat.

Caſtil. L. 1.

3 *Qualis debeat eſſe aulici cum Principe, & qualis cum æqualibus conuerſatio?*

Stobæus ſermone 3. de Temperantia inquit: *Homo, cum quo conuerſamur, tribus modis conſiderandus: aut vt ſuperior, aut vt æqualis, aut vt inferior: Præſtantiori auſcultare & obtemperare conuenit, minorem modeſtè perſuadere; æquali autem conſentire.* Quo ipſo cum breuiter tantum denotet, quid cuique conuerſationis generi conueniat: nos paulò fuſius ac plenius, quid in principū, quid in æqualium conuerſatione deceat, ex clariſſ. Caſtilionii ſententia, cui pene quicquid perfectionis aula iam habet, acceptum referre debet, indicabimus. Ac primum quidem, quod ad conuerſationem cum Principe attinet, operam dabit, vt perſpectum ac cognitum ingenium principis habeat: Ita enim quibus ex ante enumeratis dotib. magis delectetur, videre poterit, ſibiq; per eas Principis gratiam conciliare. Deinde faciet vt Princeps cognoſcat, ſe ardenter ab ipſo amari, & voluntatem, moreſque & modos omnes ad ei obſequendum conuertat ac dirigat, ſeq; ita totum ad eius voluntatem confingat, vt nunquam niſi aut grata, aut vtilia Principi loquatur. Interim tamē hæc ſic moderetur, ne vel in adulationis aut affectationis ſuſpicionem incurrat: quorum alterum malitioſi, ac

dicam, ſcelerati; alterum ſtulti animi indicium eſt. Fugiat etiam ſtultam illam arrogantiam, quâ nihil ad diſſoluendam gratiam principis pernicioſius. Neque conſuetudine illâ, qui cum principe eſt, abutatur, ſed contineat eum pudor & modeſtia in officio, ita vt ſemper, imprimis autem in publico magnam erga eum adhibeat reuerentiam. Et quamuis multa apud eum valeat authoritate, nunquam tamen niſi vocatus eius intrabit cubiculum; ſæpe enim Principes in ſecretiora ſe cum aliis abdunt loca, vt animum à curis relaxent, & libertate quadam vtantur loquendi & agendi, quam ſi importuno ſuo aduentu aulici interturbant, grauiſſimè principem offendunt, eiuſque in ſe iram concitant. Si verò contigerit, vt ſit cum principe in cubiculo ſecretiore, non ſemper rigidus, quaſi iam iam in arenam cum principe deſcenſurus toruo ac minace vultu ſtabit, ſed exutâ perſonâ priſtinâ, nouam, eamque ad voluntatem principis formatam debet induere, ac quacunque re principem delectari ſciet, animum eius exhilarabit. Præterea in arcana principis ſe non ingeret: eſt enim res periculoſiſſima ea cognoſcere, quæ ſi diuulgata poſtea fuerint, exitium afferre poſſint. Propterea ſapienter Philippides percontanti Lyſimacho, *quid tibi meorum communicabo? quidlibet*, inquit, *modo ne arcana*. Si tamen ea ſibi concredita fuerint, nemini reuelabit: ſecus ſi fecerit, facillimè, etſi leuiora fuerint, gratiâ excidet principum, nec dignus iudicabitur, qui ad alia officia adhibeatur. Non poſſunt enim ab eo res magnæ ſuſtineri, cui tacere graue ſit, quod id homini facillimum voluerit eſſe natura. Cæterum magna quoque in eo ſit aſſiduitas & diligẽtia: gaudent namque principes illorum præſentiâ, à quibus mandata nauiter ſua expediri ſciunt: vt contra contemni ſe autumant ab iis, à quibus ea negligenter tractantur. Rectè ſanè Tacitus: *Quanto quis obſequio promtior, tanto citius honoribus & opibus extolletur. Fieri haud poteſt*, inquit Hippol. *vt quem præ cæteris aptum ad res gerendas intelligit princeps, eius miniſterio non vtatur.* Denique cauebit, ne nimis frequenter aliquid à principe petat. Animi ſane abiecti eſt illud precib. impetrare quod meritis queas, quin potius animus magnus atq; excelſus ſibi delatos

Plut.

Q. Curtius.

Durus, de Faſcolo Regula l. 8, & 148.

delatos honores modeste debet recusare, sic, vt simul ansam præbeat deferenti, multo eosdem deferendi instantius. Si autem alteri cuidam officii causa quid petendum, & ne iniqua petitio illa sit, prouidendum, & quicquid in ea difficile videtur, resecandum, vt princeps id sine suo magno sumptu largiri possit. Hæc in conuersatione cum principe obseruanda. Sequitur quid in æqualium conuersatione notandum. Ac quoniam ad communem vitæ vsum summè est necessaria amicitia, eligat sibi ex omnibus vnum, quem ex animo amet, & cui præ cæteris faueat, ita vt alter alterius animum communi virtutis vinculo obstrictum sibi teneat. Nam extra verã virtutẽ, vera amicitia esse nulla potest. Reliquos omnes pro virtute ac meritis, honore ac obseruantia prosequatur; tum humanum, liberalem, affabilem, suauem & iucundum se iis præbeat, tum gratum & officiosum: his enim inuidia declinatur, & beneuolentia omnium conciliatur.

Arist. l. 8. Ethi. cap. 3.

4 *Aulicus quâ debeat esse ætate, vt finem suum assequatur?*

Difficile esse videtur statuere, quâ ætate aulicus esse debeat. Nam talia in eo requiruntur, quæ in vnam eandemque ætatem cadere vix posse videntur. Saltare enim, salire, pilâ ludere, Musicam exercere, iocari, sunt res eiusmodi, quæ iuuenilem ætatem quidem decent, à senili autem abhorrent. Contra principi a consiliis esse, eamque authoritatem sibi acquirere, quæ ad suadendum principi sufficiat, non tam iuuenis, quàm senis est; nec si aulici ætas parum à principis ætate abfuerit, Princeps quod vt dignitate, sic virtute se præstare putabit, in eius sententiam iuerit. Verùm vt hanc controuersiam decidamus, media via eundum fuerit, & vt nec nimis sit iuuenis, nec nimis senex, requirendum. Senes enim non satis valent, nec iuuenes satis sapiunt, neque credibile est, inquit Castilionius lib. 4. de Aul. Vt cuius tot rerum noticia completum debeat esse pectus, is multum existat iuuenis. Interim tamen non planè reiiciendi sunt senes, cum cito pede labatur ætas,

& dies fræno non remorante fugiant, isque qui modo in medio ambulabat, iam ad occasum peruenerit, quique paulò ante vigore ac robore corporis valebat, iam ætate infirmus ac debilis factus sit. Quæ infirmitas, etsi vsum earum rerum, quas aulicus callere debet, auferat, non tamen quo minus earum intelligentiam habeat, facit, sed perfectior ei iam inest cognitio illius, quod ante exercuit, & melius principem suum illam ipsam potest docere.

Cast. lib. cit.

5 *Quales corporis custodes Princeps habere debeat.*

Multum omnino in principum salute positum esse, præter alias res, variæ illæ mutationes, quæ post illorum obitum incidunt, testantur, quæ certè tum maiores sunt, cum præter omnium expectationem vita priuantur. Quare si statui publico bene volent, tanto maiorem curam in defensionem sui corporis, contra externam vim adhibebunt, quantò atrociores turbas eius inopinatus interitus mouere solet. Non autem sufficit ad hanc securitatem præstandam subditos virtute & beneficiis deuinctos habere, sed requiritur insuper, custodibus ac satellitibus fidelibus esse munitum. Boni quidem beneficiis ac virtute Principum continentur in officio; mali vi cohercendi & pœnarum metu à sceleribus absterrendi. Et laudandum potius, quàm ad imitationem proponendum iudico sapientissimi Principis Wirtenbergensis *Eberhardi* elogium, quo cum alter de vini copia, alter de vi maxima argenti gloriaretur, ipse se beatum prædicabat, *quod tutus in gremio cuiusuis subditorum suorum dormire posset.* Magna sane felicitas, si semper æquè tuta. Cum igitur iam constet ob multorum audaciam corpus Principis esse muniendum satellitibus, quales illi sint, videndum. Ac de Australibus quidem populis scribit Bodinus lib. 4. de Republica, capite primo, eorum principes iam inde ab extrema memoria consueuisse ad sui corporis custodiam adhibere Scythicas nationes. Caligula quoque Imperator cohorte prætoria ex Germanis conscripta se muniuit. Quin etiam Rhagusiorum ac Genuensium popularis status Prætorias cohortes

Dresserus part. 2. Mill. VI.

hortes

hortes ex Heluetiis & Germanis conscribere consueuerunt. Id quod non obscure Bodinus Germanis vitio vertit atq; abiectioris animi, de diurnis stipendiis tantum cogitantis, parum admodum de Imperio aut imperandi cupiditate soliciti, indicium esse dicit. Quam iustè, æqui iudicent. Sed ad rem. Cum in satellitibus potissimum fides spectetur, subditi cum sibi anteferri vident exteros, tanquam perfidos se reiici putant, nec facile concoquunt, vt Lipsius ait, in sua Repub. plus aliquid credi, aut tribui alienis; inde liuor, questus, & auersatio animorum; Sæpeque accidit, vt nihil mali cogitantes, eo ipso non tam prohibeantur, quam admoneantur & incitentur, ad struendas insidias vitæ Principum. Accedit & illud, quod tyrannidis suspicionem habeat ista nationum exterarum aduocatio. Tyranni enim cum sibi de male administrato imperio maléque habitis subditis conscii sint, suspicantur vindictam repetituros subditos; hinc timor, hinc contra illos munitiones. Id quod etiam Buchananus confirmat libro 18. Histor. Scoticæ, vbi diserte inquit: *Mariam repudiatis Scotis, custodiam sui corporis commisisse Italis*; *& hæc*, inquit, *via est certa ad Tyrannidem, si Princeps peregrino satellitio se muniat.* Sed hæc planè vniuersaliter non habenda sunt. Cum non rarò certæ quædam circumstantiæ suadeant Principi, vt exterorum satellitio vtatur, eorum præsertim quos velut communis omnium gentium consensus vel ob fidelitatem, vel ob decus & ornamentum admittit, ita vt nullum sit vel ab isto externo satellitio periculum vel odiũ metuendum subditis, qui iam ipsi nationi peregrinæ ita assueti sunt, vt ægrè non ferant, si ex ea satellites Principis legantur. Romani olim Cimbros, Sueuos, Germanosque alios in Principum suorum satellitio sine inuidia videbant; & hodie Itali haud ægrè ferunt Heluetios in satellitio Pontificis; Galli Heluetios & Scotos in satellitio Regis sui.

In notis ad c. 4. lib. 5. Pol.

Richt. in Ax. 99.

6 *Quid de Gynæceo aulico scriptores aulici sentiant?*

Eximius scriptor Castilionius lib. 3. Aulici sui; *Incitat*, inquit, *ad summam quandam rei gerendæ curam diuersa illa*

sexus reuerentia. Quod cum sciret Ferdinandus Hispaniarum Rex, ducturus exercitum contra Regem Granatæ, prodibat cũ Isabella Regina & toto Gynæceo aulico. Ibi tum viri nobiles dum appropinquarent loco vnde hostes conspiciebantur, salutatis illustribus ac nobilibus fœminis ac virginibus, & velut extremo vale dicto, ferebantur in hostem vniuerso fœminarum ac virginum choro aspectante; ferebantur autem animo in prælium tanto ardentiori, quantò erat amor ardentior, & grauior pudor aut metus repulsæ siue ignominiæ apud imbellem sexum. Quo sane aulico stratagemate factum est, vt Mauris innumerabilibus cæsis, Hispani memorabilem victoriam reportarent. De Hectore etiam notum est, saucium ex acie secessisse, ac propemodum fugisse, soloque conspectu Troiani Gynæcei in mœnibus exitum certaminis, expectantis pugnam instaurasse.

7 *Vtrum in Monarchia absoluta valeat ista bonorum regalium distinctio, vt alia dicantur publica Reipubl. alia priuata Principis?*

Bodinus libro 6. de Republ. cap. 2. *Regalium*, inquit, *prædiorum quædam publica sunt, quædam priuata. Hæc quidem principum arbitrio abalienari posse, omnes confitentur, illa nunquam; vt sit in ciuitatibus firmamentum aliquod, ac veluti fundamentum, quo publica res innitatur.* Et paulò pòst: *Nec verò principibus eorum, quæ publica sunt, quicquam sibi arrogare fas est, non magis quàm marito dotem vxoris: ac minus, quàm marito iuris est in dotem; quoniam maritus dotis fructibus abuti suo iure potest; Principi verò publicæ dotis fructibus vti licet, abuti non licet. Itaque in Monarchia*, ait, *& agri dominici à publicis, & fiscus ab ærario publico differt.* Et Tholosan. libro 3. de Repub. cap. 2. tria facit bonorum principis genera; Primum priuatorum, quæ vel habet quæsita sibi nomine proprio, vel relicta à maioribus alio nomine, quàm principatus. Secundum dicitur eorum, quæ annexa & incorporata sunt principatui, quæ & Reipub. dos dicuntur, quæ Princeps veluti

dotalia

dotalia accipit in auguratione sui principatus, tanquam coniuncta ei per dispensationem. Dicuntur etiam Dominium Reipub. seu coronæ. Tertium, quod ex his nascitur, & in thesaurum fiscalem defertur ad communem principis ac Reipub. negotia ac vtilitatem. Sed vterque Gallici sui Imperii, & similium formarum rationem potius attendere, quam perfectissimæ Monarchiæ naturam introspicere videtur. Quippe Bodinus seipsum quasi limitat, dum inquit: *Dominium Rerumpub. Principis non esse, Reges nostri agnoscunt & confitentur*; nempe talis principis, qualem Galli obtinent, nonnullis etiam vinculis à senatu & Parlamento constricti, non verò liberrimè imperantis: cuius sunt omnia, quæcunque ad felicem gubernationem principatus requiruntur, dominio commissa, vt non oporteat in tali Repub. discrimen facere inter diuitias principis & diuitias principatus. Nisi forté in regno electiuo princeps aliquis sit admotus ad gubernacula regni, qui ipsius principatus, quem antea habuit, reditus & bona nolit isti principatui, ad quem electus est, incorporari. Alias cum nullo respectu Princeps absolutè imperans priuatus dici aut cogitari possit, sed mere sit persona publica, ac velut tota Respub. in vno corpore conclusa (priuatum enim esse aliquo respectu, est aliquo modo subditum esse, cum priuatus & subditus æquipolleant) quomodo bona eius priuata dici merebuntur? Cum nec quibus vsibus ea propter Rempub. applicet, videri possit: vtpote cuius etiam familia & aula, quæ aliqua ratione, etsi duriter, priuata dici possit, ex publico sustentari debeat & soleat etiam. Seneca libro sexto de beneficiis, cap. 4. *Iure ciuili*, inquit, *omnia Regis sunt*, & capite 6. *Regio more princeps cuncta possidet; dominia verò sunt singulorum.* Hoc quidem certum est, principem habere in se imaginem ac similitudinem Dei, &, per consequens, etiam similitudinem illius potestatis, quam habet Deus. Sicut ergo omnia sunt Dei; ita quoque omnia sunt principis; verum vt Deus omnia fecit hominis causa, & omnia subiecit homini, vt iis pro libitu, sed recto tamen libitu vtatur: ita quoque princeps sic sua esse sciat omnia, vt non tam

suis, quam subditorum vsibus seruire debeant. Bona quæ sunt totius corporis, illa etiam sunt capitis, sed ita, vt caput omnia bona quæ habet, in membra inferiora transfundat. Et sicut extremis corporis ac capitis necessitatibus reliqua membra succurrere debent etiam cum discrimine, dolore ac damno suo; ita quodlibet membrum tenetur Reipub. non facultates tantum suas, sed ipsam etiam vitam impendere. Priuata commoditas posthabenda est publicæ. Et bona quæ sunt singulorum ciuium, sunt etiam totius Reipublicæ. Vide de ea quæstione; *An & quomodo omnia sunt principis*: Tolosanum lib. 7. de Repub. cap. 10. Illa autem quæstio: *An Princeps bona Reipub. abalienare possit*, vt est difficilis, ita à priori pendet. Princeps qui non est absolutus sine consensu Reipub. in eo nihil potest: Princeps autem absolutus velle id non debet, nisi in summa Reipub. necessitate, quæ legem non habet. De casibus autem necessitatis, quibus princeps bona subditorum sibi vsurpare, aut bona Reipub. abalienare possit, vide Geilium libro 3. obseruat 55. Tholosanum lib. 7. de Repub. cap. 30. & libro 9. cap. 1. Iunium Brutum in Vindic. quæst. 3. Bodinum lib. 1. cap. 8.

8 *Quo titulo gaudere debeant vectigalia & exactiones, quæ à subditis dantur?*

Dura fuit illa vox Philippi Cominæi, quam Bodinus citat, qui publici in Gallia consilii particeps, negauit *tributa principibus imperare licere, sed ea tantum capere posse quæ consentientibus subditis dono darentur*, eoque iure Hispanos, Britannos, Germanos etiamnum vti: Ast sanè si nonnisi dona sunt ea, quæ à subditis exiguntur tributa, quæ erit principis in subditos potestas? quæ si aliqua est in eorum personas, in res ipsas certè non deneganda est: potestas autem in rem aliquam præsupponit proprietatem, ac dominium, etiamsi subordinatum tantum, vt Barclaius vocat, quod non tollit possessionem inferiorum hominum. Quippe ita quisque res suas possidet, vt eas Reipub. totas debeat; si Reipub. ergo & principi tanquam capiti Reipub. Quod si enim corpus & ani-

& animum cuiusque ciuis sibi patria vendicat, atque eo princeps si indigeat, suo iure vti possit, quidni etiam pecunia, rebusque cæteris? Quæ si debentur principi, non donari possunt; donatio enim debiti titulum excludit. Quæ omnia de iure quidem principis intelligenda, non tamen ad officium & prudentiam eius accommodanda esse volumus: quæ semper stricti iuris mitigationem, ac interdum remissionem suadet. Prudentissimum enim fuit illud ac honestissimum Eduardi IV. Anglorum Regis Exactionis genus, saluo tamen maiestatis iure, vsurpatum, quod *beneuolentiam* appellauit. Egit enim cum subditis, vt sponte suâ ad sumptus belli pecuniam erogarent, quod ipse ex ea re beneuolentiam singulorum mensurus esset: vt scilicet eum qui plus daret, se plus diligere censeret. Quo postea Henricus VII. vsus magnam pecuniæ vim collegit. Simile fuit illud Senatus Romani consilium, à Bodino vehementer collaudatum. *Nam cum Hannibal*, inquit, *Italiam quateret, vrbemque ipsam obsideret, Senatus diruto ærario noua tributa subditis aut sociis imperare noluit: nihil enim*, inquit, *prementibus hostibus tam periculosum*. Sed patres in Senatu sic disseruerunt: *Omne aurum, argentum, æs signatum ad triumuiros mensarios deferamus, nullo ante Senatus consulto facto, vt voluntaria oblatio, & certamen iuuandæ Reipub. excitet ad æmulandum animos primum equestris ordinis, ac deinde reliquæ plebis*. Hæc Liuius. Idem paulò post: *Senatores pro se quisque aurum, argentum, æs in publicum conferunt, tanto certamine iniecto, vt prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, vt nec triumuiri mensarii accipiendo, nec scribæ referendo sufficerent*. Parta victoria, & fractis Carthaginensibus, Senatus mutuam pecuniam singulis bona fide reddi oportere decreuit. Quod imitandum suadet Bodinus, dum inquit: Commodius erit mutuas à subditis pecunias accipere, quàm illos onerare tributis: quæ ratio, cum difficultates, quæ in cogendis tributis esse solent, expediat, tum & facilius reddit mutuum eorum, qui & fœnus & sortē sibi & gratiam à Republ. reddi sperant: id tamen num mutuum propriè vocari mereatur, dubitari possit; cum quod aliquo titulo nostrum est, mutuum accipere non possimus: quod propterea mutuum dici-

tur, quia de meo fit tuum. Neque tamen ibi vlla propriè fit dominii translatio. Quod enim ante suum cuiusque erat, manet suum, etiamsi Reipub. cuius pars ipse sit, tribuatur: nec tum etiam demum Reipub. proprium esse incipit, cum eius iam ante fuerit, etiam à ciue quocunque possessum.

9 *Subditorumne an peregrinorum conditio durior esse debeat in vectigalium pensione?*

Subditis sanè patrocinari videtur proprii portus, propriæque terræ prærogatiua, lucrumque exteris concessum, ac pecunia à se ablata, & vt is, qui maiori onere alias premitur, præ illis qui nihil ad Remp. conferunt, maiori etiam beneficio gaudeat. At contra peregrinis hoc fauere videtur, quod nullum habeat ciuium ius, libertates, priuilegia, & commoda nulla. Iniquum autem est onus grauius sustineri ab eo qui commodum non percipit. Alliciendi nimirum sunt peregrini vectigalium lenitate, vt portum nostrum auidius frequentent, & propensius apud nos negotientur; neque aliò deriuent negotiationem mercium suarum. *Nostri Reges*, inquit Bodinus, *minimũ quidem, ac penè nihil peregrinis pro solario vectigali, subditis grauissimum imperant.* Quod ipse quidem absurdissimum esse statuit. In quo tamen à recto iudicio nonnihil deflectere videtur, dum non considerat, salutem emporiorum à promptitudine ac copia aduentantium peregrinorum pendére, qui facilè grauibus vectigaliũ oneribus absterreri, atq; à portu nostro auerti poterunt, nostrosque ciues eâ commoditate, qua in patrio solo omnis in itinere periculi expertes, necessaria in sinum suum ab aliis importata excipientes, iisq; quibus abundant exonerati, lucro sponte sua suauiter affluente fruuntur, priuare. Sentit autem & scribit prudenter Bodin. etiam peregrinis portoria rerum earum, quæ euehuntur, quibusque carere nos possumus, augenda esse: minuenda autem vectigalia earum rerum, quæ importantur, siquidem mensura talis negotiationis, atque adeò vectigalium, est indigentia, vt docet Aristot. 5. Ethic. Quod si ergo peregrini ad nos apportẽt eas merces, quibus ve-

bus vehementer indigemus, non sunt durioribus vectigalibus premendi: Sin contra à nobis exportent merces, quibus ipsi vehementer egent, augendum est vectigal. Anglorum institutum laudare magis quàm imitari possumus, qui in insula non habitamus; institutũ, inquam, quo mercibus quidem exportandis portoria relaxant, pecuniæ autem exitum omnem prohibent, atque ita prouinciam suam auri & argenti probæque monetæ copiâ affluentem reddunt.

10 *Quid de censu ac descriptione bonorum sentiendum?*

Bod. lib. 6. de Repub. cap. 1. Vehementer se mirari, ait, munus hoc censendi bona ciuium tam vtile & necessarium, siue ad ciuium descriptionem, ætatem, numerum, ordinem, conditionem; siue ad fortunarum omnium ac facultatum æstimationem; siue quod præcipuum est, ad morum conformationem tanta posteritatis negligentia omissum fuisse. Romani, inquit, veteres de omnibus Græcorum institutis nullum Censurâ prius expresserunt, sub Seruio Rege ob id laudibus cumulatissimo. Quâ inclinata, Imperium Romanum inclinari cœpit; deinceps omissâ, penitus Imperii Rom. opes ac potentia dilabi cœperunt. Venetos etiam, ait, non ita pridem, anno videl. 1566. Triumuiros cum potestate censoria creasse. Et quamuis huius muneris pars altera sit conformandorum morum in ciuitate; ad bonorum tamen æstimationem censores initio creatos esse asserit, vt nimirũ tributa æquari possent, & rapinis per æquationẽ occurreretur. Quas vtilitates prolixè prosequitur Bod. d. c. ita vt remoueat obiectiones eorũ, qui, vt ait, publicas opes depeculãtur, qui priuatorũ fortunas cupiunt, qui fœnoribus tenuium sanguinem exsorbent, qui malis artibus ditescũt. Quibus indignum scil. videtur, ex censûs ac bonorum descriptione tenuibus quidem contemptum, locupletibus autẽ inuidiã creari. Ast maior est inuidia locupletũ; si nulla in Exactionibus cõferendis obseruetur opũ ac diuitiarũ proportio. Vix enim credas, inquit Lips. vbi inæqualitas, quãtũ angãtur insitâ humano ingenio inuidiâ, vt pari dolore aliena incõmoda, quàm suas iniu-

„ rias metiantur. Huic autem æqualitati, inquit, ratio „ vnica censūs, res saluberrima magno futura imperio. Si „ autem maior est neglecti census inuidia, maior etiam „ querela plerorumque, maius in principem odium, ma- „ ior seditionum seges. Nec obstant Theologi, inquit Bodinus, qui religionem imperitorum animis iniiciunt, cum Dauidem ab immortali Deo grauiter correptum tradunt, quod populi descriptionem fieri iussisset. Non enim ipsa descriptio (vtpote lege diuina seuerè demandata, vt non semel, sed bis censum populi quotannis ageret Moyses, ac descriptionem posteritati relinqueret; tum etiam lege censoria, quoties populus censeretur, sicli dimidium, id est, duas argenti drachmas in singula capita ærario sacro inferretur) sed arrogantia Dauidis, ob quam instituit censum; & quod non iuxta legem Dei facta fuisset, quippe tributo Deo à singulis non oblato punita fuit. Neque idcirco quod arrogantiam excitarit in nonnullorum animis potentiæ suæ amplitudo, idcircò prudentes notitia subditorum suorum, & rerum omnium, quæ ad imperium suum pertinent, quas si nesciat, certo moderamine singulis præesse non potest, priuandi sunt. Sed vt in Politicis vbique, ita hîc quoque videndum, quid locorum, quid hominum, quid temporum circumstantiæ suadeant aut dissuadeant.

II *Tributorum immunitas qualiter restringenda sit?*

„ Egregiè Lipsius: Vt Sol & dies omnibus in commune „ nascitur, sic debet princeps commoda & incommoda „ ciuium non diuellere, atque omnes eadem æquitate cō- „ tinere: Nec videtur quicquam posse vinculum illud, quo „ quisque Reipublicæ ac Patriæ obligatus est, soluere; ho- „ nos quidem nobilitatis aut similis tantum abest, vt ali- „ quid deroget officio ciuis, vt ad illud gratitudinis nomi- „ ne ingentem adiiciat cumulum. Idcircò Bodinus quidem vehementer conqueritur, moribus suæ gentis aratores ac tenues tributorum pondere premi: Nobiles ac locupletissimos quoque à tributis aut immunes esse, aut honorū specie immunitatem adipisci. Sed & locupletiores quasdam vrbes à munerū vacatione excusari, vt ara- tores,

tores, pecuarios, opifices tributis onerent. Sed quemadmodum, inquit, valentissima quæque corporis humani membra putres ac defluentes humores ad imbecilliora reiiciunt, & cum eo peruenerint, apostema aut exanthema ingenti cum totius corporis dolore erumpere necesse est; idem nobis contigisse videmus, vt cùm sacer ac Patricius ordo fortunis & opibus locuples miseros aratores & opifices omni tributorum genere vrgeri & opprimi pateretur, quousq; plebs assiduis oneribus grauata succumberet: tunc in vrbes antea semper immunes, atque in nobilium atque sacrum ordinem onus reiici oportuit: ac sacerdotes quindecimas pendere, nobiles verò suis stipendiis militare, & in modum equi Æsopici, qui partem oneris ferre cum recusaret, asino succumbẽte ac pereunte onus integrum perferre. Quod non ita pridem Dani experti sunt, apud quos sacer ac Patricius ordo tributorum maximam partem ærario inferre necesse habuerunt. Sunt igitur, inquit, ea vectigalia, si modo necessaria, probanda, quæ in omnes ordines pro singulorum facultatibus exæquantur. Tolos. lib. 3. de Repub. cap. 7. inquit: *Res Ecclesiæ Dei dicatæ eodem iure, quo ipsæ personæ, frui debent.* Fateor, nisi Res Ecclesiæ dicatæ modum excedant. Si enim hic modus nullus seruetur, tandem tota Resp. & omnia bona Rerumpub. subiicientur Ecclesiæ: Qua quidem ratione tolletur omne discrimen inter Ecclesiam & Politiam. Alia, vt dixi, plane est conditio eorum, qui Ecclesiæ, Reipub. Scholis doctrinâ suâ & ingenio inseruiunt, & salariis non ita magnis contenti bona Reipub. & latifundia nulla possident. His in salarii ac debitæ mercedis partem computetur illa publicorum onerum immunitas. Et si quid his ad publicas pensiones defalcaret, nouerca videretur Respub. quę breui tempore tantum pene filiis ac ministris detraheret iterum, quantum pro labore ac opera publica soluisset mercedis. Extraordinario, inquiunt Politici, tempore, & extremâ necessitate vrgẽte, nullus omnino poterit esse liber; cum priuilegia omnia necessitate frangantur: quo tẽpore Romani nec Senatores, nec Augures, nec Põtifices excipiebant. Quod si autem vllum hominum genus immunitatis lege gaudere debet, id sane egenis ac extre-

ma necessitate pressis iure optimo competit. Sed tamen æquum non est, inquit Tholos. lib. 3. cap. 8. in diuites onus à pauperibus ablatum transferri: quamquam pro rebus maiora onera ferre debeant. Neque exactionis natura facilè alteranda est; hoc enim esset turbare omnem ordinem & statū Reipub. Vt factum à Basilio iuniori Porphyrog. Orientis Imperatore, qui constituit tributum, quod a pauperibus pendi non posset, à locupletibus exigendum. Priuatis aliis ob merita singularia Reipub. præstita, alia potius remuneratio danda, quam immunitas à publicis oneribus. Interest enim Reipub. paucissimos esse immunes, ne onera omnia in paucos transferantur, Tholos. lib. 3. c. 9.

12 *Vtrum per Negotiationem publici reditus Principibus colligendi siue augendi.*

Omnino, si decori seruiendum est, non eodem vitæ ac quæstus genere commiscenda videtur autoritas principis, & subditorum conditio. Quod si enim mercatura nobiles minimè deceat, vt Bodinus argumentatur, quibus, inquit, nostris æquè ac Britānorum legibus eā exercere non licet, quanto minus reges. *Ego vero*, inquit, *si statuendū mihi sit, Principem mercatorem nolo; sin optio detur, mercatorem malo quam tyrannum: & patricios viros negotiari quàm prædari.* Quis enim est, qui nesciat Lusitaniæ reges cum angustissimis regni finib. coercerentur, nec iura suæ maiestatis satis commodè tueri possent, nec subditos rodere vellent, mercaturā abundantissimam & quæstuosissimā iam annos centū sine contumelia & maximo Reip. commodo exercuisse. Tholos. autem lib. 2. de Rep. c. 6. Iosephi consilium Pharaoni suppeditatum, omniumq; laudibus, simul ac hominum illorum summis „ vtilitatibus cumulatum affert. Potest, inquit, necessi- „ tas Reip. pecuniarum conquirendarum studium excusa- „ re, imò laude dignum principem reddere, qui ita par- „ cit tributis & oppressionib. vectigalium, vt eosdem tan- „ quam filios propriis laboribus releuet. Sed contra posse „ accidere, inquit, præter auaritiæ sordidæ ac fraudis pe- „ riculum, vt inde commercium inter plebeios & nego- „ tiatores emendi & vendendi reddatur difficilius; vt Pon-

tanus

tanus scribit: Reges quosdam Neapolitanos erepta suis mercaturæ facultate, prouinciales ad iniquam conditionẽ redegisse. Aut igitur pari gradu mercaturam simul cum plebeis instituit princeps, aut monopoliũ omnium mercium, quod subditis seuerè interdictum, ad præsentissimam omnium priuatorum pernitiem sibi vendicabit: Quorum illud quidem planè sordidum, hoc etiam crudelissimum censendum est, & multò crudelius, quàm durioribus etiam tributis ac vectigalibus ad sanguinem vsque deglubere. Cautionibus igitur magnis & limitationibus hîc opus fuerit. Primò, ne quid princeps hîc sibi quærat sigillatim, sed sibi simul & Reip. vtque adeo totum Reipub. corpus eam negotiationem exerceat, quam singula membra non possent. Etenim talem mercaturam, qualem priuati & possunt & debent, à principe exerceri; id verò & sordidum ac principi probrosum, & in subditos iniuriosum est. Sed & maximè ista publica negotiatio valere debet tempore necessario; nẽpe vel belli tempore, vel famis metu, quod posterius Iosephus suo exemplo comprobauit. Tempore autem ordinario siue libero, hoc quasi mutuum reddatur subditis. Nimirum tempore libero pecunias contribuat princeps industriis mercatoribus, vnde illi suam simul ac publicam vtilitatem deposito fænore æquissimo augeant. Quod consiliũ Tolos. Regibus Lusitaniæ, Hispaniæ & Venetæ Reipub. optimè cessisse testatur. lib. 3. de Reipub. cap. 6. Sed & illud iterum legibus circumscribendum fuerit, vt lucrum illud à subditis nõ capiatur, antequam summa inopiæ ac famis vrgeat necessitas; ne illi res vili pretio venditas, easdam carius emere cogantur: quæ res, testante Bodino, Alphonsum Regem Neapolit. suis æquè ac exteris odiosissimum fecit: greges enim suos porcorum, quos emerat, subditos alere, & in demortuorum locum alios substituere cogebat, olei ac frumenti quicquid in Apulia concreuisset, vilissimo precio emebat, vt summa annonæ egestate ac inopia arbitrio suo addiceret. Sed ab exteris potius si quid iustè habere potest, extorqueat, vt Heraclienses fecisse constat, qui pecuniâ egentes ad belli apparatum, omnia quæ foro venibant, oleũ, vinũ, frumentũ emerunt, accepto ad precium soluendum

tempore, & deinceps ipsas res emptas hostibus diuendendas miserunt. Sic pecuniam ab hostibus ante bellum acceperunt, quâ contra eosdem in bello vterentur. Subtilius stratagema, sed nescio an æquè laudandum, Tamerlanis ex Haytone Armeno recêset Tolos. Is si quãdo decreuisset aliquam ciuitatem inuadere, antequam detegeret consilium, prius mercatores suos cum pellibus preciosis, aliisque rebus instructos mittebat in ciuitatem, iubebatq; vili pretio vendere, vt facilius compararent pecunias. Reuersis mercatoribus cum pretio, inuadebat ciuitates, & pelles suas iterũ recipiebat; ne si prius inuasisset eas, nummos illi celarent, & infoderent. Iudiciosè quæstionem hanc de mercatura ac monopoliis Regum & Principum tractauit P. Martyr in Comment. super cap. 10. lib. 1. Regum, vbi simul de negotiationibus Regis Salomonis differit. In Hollandia Magistratus reditus ad pias causas, id est, Nosodochia, & similes vsus cogit ex sortilegiis publicâ authoritate institutis & moderatis. Quod improbari non potest, cum pauperibus cedat id omne, quod periculum sortilegii facientibus decedit. Sed alii sunt modi colligendorum redituum acerbiores, quos Aristoteles 2. Oecon. recenset. Nundinationem officiorum publicorum & Magistratuum ac honorum mercaturam sordidissimam, *turpissimam & detestabilem* rectè appellat Bodinus, vt mirum sit, eum nihilominus lib. 6. c. 2. in eam sententiam abripi, quod talis publicorum officiorum nundinatio extremis Reipub. temporibus indulgenda sit. Nulla Reip. necessitas tanta esse debet, propter quam honestas & iustitia violetur.

13 *Quid de iure indicendorum tributorum, quid item de extraordinariis impositionibus & exactionibus sentiendum?*

„ Tolosanus lib. 9. de Rep. c. 1. Non disputatur, inquit, „ an princeps tributum exigere possit, an quippiam à sub- „ ditis petere; id enim constat posse, & ad præstationem „ subditos teneri: sed controuersia est, an semper, & quan- „ tum velit, & sine legitima causa, à subditis petere & exigere vel extorquere ab inuitis possit: quod & negatur:

alioquin

alioquin nihil intereſſet ſubditorum ab inimicis, vel à ſuo principe ſpoliari, imò magis æquanimiter ferrent ab hoſtibus, quam à propriis opprimi: quia ab hoſtibus cauerent, cum ſciant hoc illorum proprium; à ſuis non cauent; & prius vorantur, quam venientes canes ſentiant. Iam pernitioſi principes etiam inſatiabiles, & quò plus habent, plus appetunt, & à ſuis, dum ab alienis nequeunt, emungunt. Secunda ſententia Alciati, quæ extat in l. placat. 5. C. num. 11. de SS. Eccleſiis, *Principem qui ſuperiorem non agnoſcit, imponere poſſe exactiones, tributa & vectigalia ſubditis, ſed ipſi ob prodigalitatem, vel ob denegatam iuſtitiam poſſe tributa denegari, & de facto reſiſti.* Vbi adducit *Luc. de Pen. in l. C. de ſuperinduct. l.* 10. quẽ ſequitur Hieron. Gigas *tract. de crim. læſæ maieſt. quæſt.* 36. *num.* 17. *pag.* 85. Contra Anaxarchus Alexandro perſuaſit, Iuſtitiam ob id Ioui aſſidere, vt intelligeretur, nil à principibus iniuſtè fieri poſſe. Simile pene reſponſum Iuliæ, ad Antoninum Caracallam Imperat. *Si libet licet. An neſcis te Imperat. eſſe & leges dare, non accipere?* Et Caligula cum ab Antonia auia moneretur, vt imperii moderationem prudentius tractaret; *Memento*, ait, *mihi omnia in omnes licere.* Et ſanè ſi Rex leges contemnens, bona ſubditorum rapiens, virgines ac matronas violans congregatis proceribus remoueri nõ poſſit, vt quidem diſputat Barclaius contra Monarchom. quidni ſine cauſa exactiones inſtituere? *Omne quod voluerit, faciet Rex*, dicit Eccleſiaſt. c. 10. *& ſermo ipſius poteſtate plenus eſt, nec dicere quiſquã ei poteſt, quare ita facis?* Gentilis in tract. de ciuium vi in Regem ſemper iniuſta; *Eò ſe proripiet Regum libido; quam cohercere veſtrum non erit: quibus hoc reſtabit vnicum, iuſſa excipere, & dicto obedientes eſſe.* Hæc ille pro abſolutâ Monarchia. Waremũdus ab Erenberg lib. de regni ſubſidiis & onerib. ſubditorum, c. 16. p. 178. Subtiliter, inquit, hîc diſtinguendum inter poſſe, & non debere. Pater filium, & filius patrem iudicem habere poteſt; parum id honeſtum eſt, propter mutui amoris ſuſpicionem, quam vt fugiat, ex ſententia Vlpiani non debet. Sic princeps abſolutus multa & infinita poteſt, ſed non debet. Et in hanc ſententiam dicit ſe accipere locum Danielis: *Quos volebat, interficiebat, &*

quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Vbi Osiander adiicit: *Ita vt quasi Deus quidam terrenus videretur.* Magnam enim potentiam Deus Magistratibus concedit, vnde & *Dii* vocantur; sed ea abuti non debent; abuti possunt, sed non debent. Perstringit autem Waremundus Alciatum, quem paulo ante citauimus, & eius de tributorum pensione errorem ait minimè ferendum; & addit postea: Et ,, quamuis nil grauius, quàm tales bestias tolerare, quarum falsa magnitudinis opinio animos imbuit, quos insolentes facit potestas nimia, qui omnia in prauum detorquent sensum, sophisticâ & calumniis gaudentes, qui putant nihil non sibi licere, quique adorari quasi volunt, & quibus nullus videtur honor honori suo satisfacere, qui animis vt linguis imperare cupiunt: attamen illis vel obtemperandum, vel abeundum. *Miserere pater*, inquit Scaliger lib. 6. Epidor. *verbum hoc vnicum relictum est. Expeditissima enim tyrannidis euertendi via, in Contritione & Patientia*: inquit Barclaius lib. 6. contra Monarchomachos, cap. 24. pag. 507. Cruda hæc & dura videri possint, quæ a Barclaio, Waremundo, Alberico Gentili in hoc argumento proponuntur; de quo alibi prolixius. Nunc de extraordinariis impositionibus distinctius videamus. Ius Regis est, inquit Stapletonus in promptuario morali, vt à regno alatur, & quidē pompa regali, tū vt ei regnum subministret omnia quæ necessaria fuerint, & ad bella gerenda, & ad pacem conseruandam: Hæc à populo Regi subsidia debentur: propter hæc necessaria Regi subsidia, census, vectigalia, tributa & legitimè à Rege exiguntur, & necessariò à populo fideli soluuntur. Recepti iuris est, censum & tributum soluere denegantem in contemptum principis, incidere in crimen læsæ maiestatis, vt ait Gigas de crimine læsæ maiest. q. 36. num. 2. Tolosan. lib. 6. Syntag. c. 19. num. 29. & Hartmannus ab Epping. in obseruat. 33. tit. 54. in ea sunt sententia, subditos non minus teneri Regem & Principem, quàm vasallus dominum feudi si noluerit feudo excedere, alere. Quemadmodum enim stomachus cibo & potu carere non potest, & iis deficientibus reliqua corporis membra languescunt, & tandem corrupta emoriuntur:

riũtur: Sic regnum fulcra in contributionibus non habens, diu saluum esse non potest. Vt grauiter monet nobilissimus Waremundus ab Erenberg. c.10. de Reg. subsid. & onerib. subdit. p.138. Vbi addit: Verum vt ex abundantia cibi & potus infinita morborum genera: sic euersiones, vel ad minimum, conuersiones ex multiplicatis subditorum oneribus oriuntur. Ex quo manifestum, exactiones etiam extraordinarias, nec esse tyrannicas, nec etiam simpliciter licitas; sed certis quibusdam limitationibus & conditionibus constringendas. Primum enim, vt idem autor monuit, moderatè & nulla cum violentia exigendæ; violenta enim exactio multis nominibus nocet, vt deducit Arnoldus Clapmarius lib.4. de Arcan. Imper. cap.25 pag.150. Hinc Theodoricus Rex monuit Marcellum, *Ne plus fisco tribueret quàm iustitiæ*. Nempe pulcro emblemate id pinxit Sambucus, quod in ordine est circiter 200. cum tali inscriptione: *E fisco ne fiscum.* Et monetur idem in Plinio Panegyrico, atque additur ratio; *Ne insolitis tributis exactis censeant consueta*. Mahomet Turcarum imperator in extremis constitutus, referente Cominæo, nihil magis deplorauit, quàm quod supra debitum & legitimum modum auxisset tributum. Et sanè videmus immodicorum tributorum exactores miserando casu multos periisse. Achæus Lydorum Rex furore plebis correptus suspenditur à subditis. Magna ista quoque tumultuum ac bellorum Belgicorum causa fuit, quod Dux Albanus decimam rerum venalium illis imperasset. Quâ quidem ratione infinitã vim pecuniarũ, vel potius omnes omniũ propè ciuiũ opes coegisset, cũ re ipsa compertum esset, rem eandem paulo momento, decies vẽdi cõsuẽsse: quinetiam vnius & eiusdem diei interuallo, res promercales, quæ venierant, ferè quingenties sestertium, id est, septingentis ducatorum millibus æstimatas esse. Verum quæ mitigatio in imponendis tributis teneri debeat, eleganter docet scriptor quidam Italicus Cyro de Spontone, in libro cui lingua sua titulũ fecit: *Del governo di stato*, id est, *de statu Reipub.* quem citat supradictus nobiliss. Waremundus de Erenberg. cap.7. pag.10. Secundo cauendũ, ne ad omnes promiscuè res vectigalia sese extẽdant, sed ad eas potissimũ, quibus pro

libitu ingurgitandi occasio subditis præripitur. Vnde aurea potest esse Bodini regula d. lib. cap. 2. cum inquit; *Quod si quis est, qui scire de me velit, quodnam genus vectigalium immortali Deo gratissimum, ciuitatibus pulcherrimum, principibus honestissimum, plebi vtilissimum videretur; illud est, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos ciuium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant.* Quamobrem Principes, qui Aquilonis regionibus imperant, nullum vectigal maius habent, quàm ex vino. Nimirum ergo mulctæ, quæ ex legibus sumptuariis violatis capiuntur, sanctum sunt his tã luxuriosis temporibus medium ditandarum Rerumpub. Qua de re Discursus editus à Nobili Polono, sub titulo *Exorbitantiarum*, prudens sanè, & huic regno accommodatus. Hollandorum in hoc genere institutum præclarum est; Cum enim in spectacula & Comicas actiones multa homines effundant, & otiandi varias occasiones captent; idcirco iis quoddam velut tributum subinde imponunt, vt qui spectator esse velit, necesse habeat non actoribus tantum & histrionibus ac comœdis pendere, sed in publicum etiam aliquid conferre & tradere iis, qui à magistratibus ante fores theatri eius rei gratia cõstituti sunt. Augustus vt effusas vtriusque sexus libidines coherceret, leges de maritandis ordinibus, tulit; quibus eos, qui post annum quintum & vigesimum vxorem non duxissent, aut duxissent quidem, sed liberos non procreassent, hæreditatum quæ accreuissent, & legatorum, quæ relicta essent, partem caducam in fiscum inferre cogebat: hos verò qui liberos plures cæteris haberent, ab oneribus quibusdam immunes, & in honoribus capessendis dignitatibus superiores esse iussit. Quibus quidem legib. Augustus sapientissimi principis laudem est consecutus, tum quod vagos concubitus, & impuras libidines incredibiliter repressit; tum etiã quod spuriis (quantum quidem licuit) de Rep. sublatis, iustos liberos, iustas vxores, sine vlla iudiciorum aut pœnarũ acerbitate quærere quemq; coegit. Etenim cum nihil de præsentibus bonis cuiusq; detraheretur, sed earum tantũ hæreditatum, quæ ferè ab amicis inopinato peruenirent, decima pars delibaretur, ærarium pecuniis, Remp. ciuibus,

ciues virtutibus abundanter cumulauit. Quare tyranni-
ca ac prope furialis iudicatur vox illius Imper. qui roga-
tus, *ne noua vectigalia imponeret vel augeret*, respondit: *Non
tantum terra, verum etiam libenter aeri ac vento vectigal im-
positurum.* De Michaele Paphlagone Imp. Græco refer-
tur, quod aeris, quem quisque hauriret, vectigal sit com-
mentus. De Romanor. turpissimis exactionib. audiamus
Lipsiũ lib. 2. admir. c. 6. vbi hæc habet: Vespasianus, teste
Suetonio, auxit tributa prouinciis, nonnullis & dupli-
cauit. In paucis verbis quanta accessio rerum, attritio
subditorum? Et quidni ille solita augeret, vel duplica-
ret, qui instituit & excogitauit etiam pudẽda? Nam vri-
næ vectigal commẽtus est, quod idem scriptor tradidit:
& notus, cum filio pecuniam ad nares admouisset, in ea
re eius iocus. Origo huic vectigali & causa, quod in pu-
blico amphoræ aut dolia stabant ad vrinam reddendam:
quam fullones, opinor, vertebant deinde in vsum suum.
Sed Principes etiam secuti tenuerunt, siue auxerunt: &
videtur hoc fuisse triste illud Chrysargyrum historiis de-
cantatum. Georgius Cedrenus quidem eò trahit aperte;
cũ quo Constantinus Manasses facit. Chrysargyri pensio
fuit, inquit, talis, vt quisque mẽdicus aut pauper, mere-
trix siue iam emerita, omnis seruus, itemque libertus,
inferrent in ærarium pro vrina & stercore, iumentorum
etiam & canum, siue in agris siue in opidis habitarent.
Et homines quidem vtriusuis sexus, Numisma argen-
teum; equus, mulus, bos tantundem; asinus & canis, fol-
les sex. Proh sancta fides! quanta hæc pecunia fuisse de-
buit ex omni genere pene viuentium? & quæ vnquam
capitatio accessit? Miror & simul indignor, hæc tam fœ-
da & tristia à Constantino nostro Magno instituta: si
tamen ille. Nam Zosimus asserit, eumque culpat. Eua-
grius ex professo negat, & hunc vt hostem optimi prin-
cipis inuadit. Sane videtur à Vespasiano exemplum, qui-
cunque auxit & produxit. Viri proceres & Reip primi
hoc munus colligendi ambibant, non aliter (Euagrii
verba) quam militarem aliquam præfecturam, aut ciui-
lem magistratum. O indignitas! sed princeps dignitatẽ
addebat, qui & in Sacrum ærarium hanc pecuniam reci-
piebat. Idem ille Euagrius notat: Sed aliquid occurrit.

quid? turpe & pudendum, item & dignum suo auctore. Caligula ex capturis prostituram vectigali instituit, quantum quæque vno concubitu mereret. Ita Suetonius, sed quod credo cum illo periisse: etsi postea quoque sub Heliogabalo lenonum vectigal, & meretricum & exoletorum. Ista fœda, & Romano nomine indigna: nec sustulit tamen optimus Imperator Alexander Seuerus, sed duntaxat in sacrum ærarium vetuit inferri, & ad instaurationem Theatri, Amphitheatri, Circi deputari. Ex quo vere dixeris, magnum & hoc vectigal fuisse; cum ad tantorum operum restitutionem conferret. Sed mittamus & finiamus. Nam ad posteros Imperatores & Græcanicos non lubet ire; multa & ii inuenerunt, aut collegerunt, & quidam eorum diuitias mirandas. Cæterum vt hæc fœda; ita planè impium fidei vectigal illum imponere, vtpote quo fide & religione homines penitus deterrentur sicuti de Wandalis scribit. Vt autem illa fœda, ita impia planè sunt tributa, quæ fidei imponuntur, vt monet inter alios Crantzius lib. 4. Vandal. Carolum V. in Algitam proficiscentem, duo Reges, *Cuch*, & *Tramazinus* salutarunt, quærentes Baptismum Christianæ fidei auidissime. Verum Paulus III. anno Millesimo quingentesimo trigesimo quarto Pontifex creatus, tributum fidei, & quidem infinitum imposuerat, quo Reges deterriti in auita superstitione permanserunt. Tertio non sine summa Reipub. necessitate eiusmodi extraordinariæ exactiones instituantur: qua de re grauis & efficax extat admonitio Ludouici Regis Galliarum ad filium, quam testamento inseruit his verbis: *Fili, religiosus inprimis erga Deum esto; benignus & liberalis aduersus egentes; legum ac morum huius Imperii custos ac vindex acerrimus: a vectigalibus & tributis abstineto, nisi te summa vis necessitatis, ac vtilitatis publicæ iustissima causa ad hoc compellat: sin, tyrannum te potius, quam Regem fore putato.* Concludemus cum sæpe citato autore Waremundo ab Erenberg, cap. 10. pag. 134. *Extraordinarias exactiones cæteris saluis esse quidem duras, attamen non tyrannicas, sine quibus neque Regis, neque Regni dignitas consistere potest.* Quod verò ad dulce tributum & Financias attinet, de iis præclarè multa scribit

idem

idem Waremundus ab Erenberg, d. lib. cap. 6. è quibus nonnulla huc annotabimus. Reperiuntur hodie magistri nouos modos colligendi & pecuniæ conficiendi opera, studio, diligentiâ, labore excogitantes & Principibus venditantes, quibus solenne est, vt Principibus persuadeant collectas institui posse sine iniuria, sine damno subditorum, & nullum ex subditis fore qui non hilari vultu & summo cum gaudio tributum impositum soluat. *Dulce tributum suadentes, dignos laqueo iudicauit potentissimus Landtgrauius Hassiæ Philippus*; nimirum vt sponsus ac sponsa nuptias celebrantes Ioachimicum soluant, cui verò filius vel filia nascitur, eundem expediat: vtilitas præcipua est non iniustè facere, Thucyd. lib. 1. à quo genere vectigalium parum differt, quod refert amicus noster nobilissimus Rosenthal, ratione matrimonii & dotis soluendum in Italia, cap. 5. de regal. conclus. 34. num. 3. pag. 135. Et memini me anno Christi Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, audire in aula Ducis Ferrariensis vltimi Principis optimi, viuentem, ex ore celeberrimi & magnifici Consiliarii Riminaldi: *Tales* (licèt inter suasorem facti & probatorem exigua sit differentia) *digni sunt non præmio, sed laqueo, virgis & gladio dignissimi. Consulentes*, inquit Rebuffus: *Principi, vt noua imponat tributa & vectigalia, sine magna caussa, esse in inferno pœnis tartareis cruciandos perpetuo*, ad l. eum. De V. S. allegans illud in Machab. *Et tu, qui inuentor omnis malitiæ factus es, non effugies manum Domini: Cogita itaque quod morieris & cito, & generatio tua cito extinguetur.* Paulus ad Romanos 1. illi enim Deo quo pacto possunt esse grati, qui vt floreant, proximo in calamitate nulla spe salutis apparente, tabescendum sit? *Numinis ira ineuitabilis, ne impie agas multum, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Ecclesiast. c. 7. Talis fuit de quo Propheta Daniel cap. 11. num. 20. loquitur, & talis peribit non in ira vel in prælio, sed alio funesto genere mortis. Talis est Mons. de Rhosny Magister Financiarum in Gallia, qui multas reperit nouas impositiones, ac promisit Regi, se populo paucorũ annorum spatio tributum Regno æquiualẽs extorsurũ:

cuiusmodi est edictum Regium, anno 1604. publicatum, immunitatem atque exemptionem ab omnibus oneribus publicis continens ac promittens, quicunque certam summam in fiscum deposuerint. Isti homines omni seculo fuere reperti: scribit enim Cæsar de bello ciuili lib. 3. *Multa generatim ad auaritiam excogitabantur, in capita singula seruorum, ac liberorum imponebatur tributum,* scilicet à Scipione, Columnaria, Ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. Cicero in 4. Verr. *Bonum prædicant isti exactores quod pessimum est in regno*: Et generaliter nulla res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum: Nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cauetur; malum autem sub specie bonum celatum, dum non cognoscitur nec cauetur, sed quasi bonum suscipitur, & idem coniunctum bono, exterminat bonum. Chrysostomus Homil. 19. in cap. 7. Matth. Tom. 2. pag. 879. Hi
„ fucum & imposturam facientes sunt Principibus gra-
„ ti & accepti, vt & adulatores tum voluptatum ac luxu-
„ riæ ministri, quibus secretiora domus commissa sunt:
„ Et pestiferi delatores, Arnold. Clapmar. lib. 5, de arcan.
„ imper. cap. 15. pag. 228. (qui domesticum agens præ-
„ ceptorem filiorum meorum multa describens ex meis
„ collectaneis, multa quoque à me mutuatus est, quæ si
„ viueret mihi accepta ferret) Ex primi ordinis nomini-
„ bus oriuntur noua vectigalia, diuitum insidiæ, proscri-
„ ptiones, rapinæ, spolia, enormes mulctæ: adulato-
„ res vero mentiendo blandiendoque Principum men-
„ tes infatuant, vt parum distent ab insanis: Consilia
„ Principis commendant, quamuis perniciosa ac turbu-
„ lenta: cum sit consiliis inops prudentiam admiran-
„ tur, cum sit stultus, illum plus aliis sapere profiten-
„ tur, vt verbis vtar Poggii in tractatu de infelicitate
„ Principum. Sed hi omnes plerunque suo solent fuere
„ capiti, vt in prouerbio dicitur; vt & Principes ipsi: qui
„ licèt eligant aptos suis affectibus, vt quisque Rex vel
„ Princeps auarus est, aut vafer, aut crudelis, aut libidi-
„ nosus, ita etiam cupit habere amicos & familiares, vel
„ auaritiæ, vel astutiæ vel crudelitati, vel libidini nõ con-
„ tradicẽtes. Concludo hoc caput cũ Thuano: *Consiliarios*

vel

vel oportere esse Reges, vel Regũ animos habere debere. Sed nõ tantum Consiliarii, verum etiam subditi primi & antecedentis gradus debent apud Regentem, in tributo non necessario, ignominiam, & in censu conficiendo paupertatis publicæ & priuatę confessionem deprecari. Buchanan. lib. 10. Histor. Scot. rerum ne excogitatum soluatur. Hæc Waremundus ab Erenberg de financiis, quarum exempla vetusta multa Aristoteles collegit in secundo Oeconomico; quamuis Iohannes Casus & alii pernegent librum illum Aristotelis esse. Non video tamen quâ iustâ vllâ aut idoneâ ratione. De admirandis porrò tributis si quis cognoscere velit, videat Lipsii Admiranda libro 2. c. 7. Est Iudæus quidam scriptor, cuius itinerarium, inquit Lipsius, Beniamini nomine, Arias Montanus edidit, vir plurifariam doctus, & nobis peramicus. Is ante annos circiter 400. Europam atq; alia peragrauit, & scribit se Constantinopolim quoq; venisse. In ea vrbe, inquit, vidi res atq; opes inenarrabiles. Deferũtur enim in Principis palatium quotannis tributa, quibus turres implentur coccineâ purpureâq; veste & auro: ita vt nullibi terrarũ par congestæ pecuniæ exemplum reperiri possit. Affirmatur etiam ipsius solius vrbis vectigal, ex foris venaliũ, & portu ac mercatorum pensionibus collectum, ad viginti millia aureorum in singulos dies accedere. Nempe Byzantium, id est, Noua Roma hoc dedit, & tunc quidẽ in suo flore. Sed ego sane hoc non nimis miror: illud magis, quæ opes esse potuerint, in tam exiguis tunc finibus ad pompam & apparatum illum principalem. Lege Curopalatem, si vis, De officiis aulæ Constantinopolitanæ, & adiunge Græcos alios: videbis Persas & Medos omnes vinci ab his Byzantinis. Et his dico nos paria facere. Etenim non vni regi aut principi, quisq; in sua prouincia, damus, vt olim: sed variè magis & diuisim, ita vt summa magna ad vnum non redeat, magna tamen contribuantur. Quomodo? in exemplo nostro vide. Conferimus hodie Principi quędam; post eum, Ordinibus; post hos, Magistratibus opidanis; post istos, Toparchis municipiorum aut pagorum. Deniq; Ecclesiæ etiam & Ecclesiastici, quam multa à nobis habent? & iustissime quidem, atque ex lege diuina, sed tamen habent. Hæc igitur omnia

„ si conferas, & in aceruum iungas; affirmo tibi nos paria
„ aut plura dare. Quid, quod concussiones & raptus mi-
„ litares omitto? quæ maxima ratio est, & misera nostra
„ Belgica satis sentit. Negabis in vnam cœnam milita-
„ rem, rusticum aliquem plus imputasse quam in annuum
„ tributum? Atque hæc non semel eueniunt, ô quādo tol-
„ lenda? quando securitas & pax erit, aut saltem disciplina
„ militibus? quando oeconomia & ordo in acceptis expē-
„ sisque? Ista sint; fortiter & audacter dicam. tondeant ac-
„ cidantq; nostri Principes, renascemur. Hæc ibi Lipsius
„ qui cap. 3. pensum vniuersorum tributorum, quæ ex pro-
„ uinciis colligebantur, supputans, inquit: Si sola Ægypt[9]
„ & Gallia ad 30. aut circiter milliones pependerunt; quid
„ totus orbis reliquus? An non Syria & Asia tantū? Africa &
„ Hispania? Græcia & Illyricum? Insulæ omnes simul? &
„ multa omitto: & concipere summas vereor, sed supra
„ centum quadraginta milliones fuisse, animo hoc sentio
„ & ore etiam promo. Quantum vero illud est quod ad æ-
rarium militare referebatur ex vigesimâ, vigesimâ quin-
tâ & centesimâ: quantum illud quod ex metallis, ex auro
coronario, & vrinario vectigali & Chrysargyro & mere-
tricio vectigali colligebatur; de quo fusius ibidem tra-
ctatur Lipsio. Illud verò quod de auro coronario, siue
impensis ad coronas aureas, triumphales idem Lipsius
notauit cap. 9. eiusdem libri inter genera Financiarum
referendum videtur.

15 *Ærarium quantum & quotuplex esse debeat?*

Mensura ærarii statui publico adæquata esse debet; tanquam instrumentum suæ causæ principali. Lacedæmoni quidem auri & argenti vsu omninò interdictum à Lycurgo legis latore, ne & peregrinos imperii Lacedæmoniorum, Lacedæmonios imperii peregrinorum vlla cupiditas inuaderet; ita futurum existimabat, vt sui ciues non modo ab iniuria, sed etiam à vitiis peregrinorū liberi essent. Et Maracentium, qui citra Vtopiam sunt, lex est; *Vt Rex quo primum die auspicatur imperium, magnis adhibitis sacrificiis iureiurando obstringatur, nunquam se vno tempore supra mille auri pondo in thesauris habiturum, aut argenti*

argenti totidem. Sed & Plinius ſcribit libro 36.cap.12.a quibuſdam proditum, faciendi Pyramides in Ægypto, quæ fuerunt Regiarum opum otioſa & ſtulta oſtentatio, cauſam fuiſſe, ne pecuniam ſucceſſoribus aut æmulis inſidiantibus præberent. Gentiletus Antimachiauelli autor lib.3.th.32.prolixè diſputat, Reipub.diuitias in priuatorum opibus magis, quam in ærario publico ſitas eſſe debere. Allegat ibidem & Venetorum inſtitutum, apud quos capitale eſt de ærario publico ſeu theſauro inſtituendo verba facere. Et quia hoc loco in mentionem ærarii Veneti incidimus, placet de eius Reip.Reditibus ſimul & expenſis annuis nonnulla annotare ex libello quodam, quem de ſtatu Reip.Venetæ ex autoribus variis Latinis & Italis minime pœnitendâ operâ collegit Paulus Palczewski de Palczewieze Nobilis Polonus: Prouentus annui Venetiarum excedunt circiter 6000000. ſcutat. Quæ omnia faciũt ſummam monetæ noſtræ Pol. circiter trium millionum floren. quæ ſumma imprimis colligitur ex vectigalibus, decimis & æſtimationibus, q propterea ita dicuntur; quia omnium nobilium & ciuiũ facultates æſtimantur, & iuxta illam æſtimationem perſoluitur à quouis ciue pecunia. Quod ſi neceſſitas poſtulat, vt prouentib.extraordinariis pecunia ſit conquirenda, vectigalia augentur, multiplicãtur decimæ, facultatesq; nobilium & ciuium pluribus æſtimantur. Præterea magiſtratus quidam venduntur, facultaſq; nobilib. pro pecunia datur ante tempus ſolitum intrandi in conciliũ magnũ. Atq; ẽt plebei, datâ pecuniâ, in patriciorum albũ referuntur, atq; ea qua patritii, prærogatiua fruãtur; vt bello Geneuenſi factũ. Verũ vt accepta, ita ẽt expenſa ferũtur, maxima, & vix quicquã remanet, quod in ærariũ reponatur. Dãtur.n.annuatim ſtipendia peditib. & equitibus, quorũ numerus eſt duorũ milliũ: & eſt iſta militia cõſtituta & diuiſa in illas Lombardiæ partes, quæ requirunt perpetuas cuſtodias & vigilias. Poſſunt aũt ibi facilè ali & ſuſtentari propter multitudinem & abundantiã earum rerum, quæ ad victum pertinent. Multa præterea annuatim perſoluunt iis, quorum operam & virtutem Reipub. ſuæ tẽpore periculoſo prodeſſe poſſe ſciunt, atq; adeo iis, quorum felicitatẽ, experientiã & fortitudinem

cognouerunt. Tales omnibus modis deuincire sibi solent: & quamuis nihil sit præsentis periculi, nihilominus Capitaneos suos prædicant, & annua stipendia eis persoluunt. Sunt etiam in mari multæ Triremes armatæ, tũ propter defensionem Status maris, tum vt secure mercatores rebus suis vacare possint. Quælibet Triremis habet 150. remiges, vltra hos milites 80. Ita computatis cõputandis, constat quælibet Triremis singulis mensibus circiter 700. scut. id est, circiter mille florenis. Multa præter ea expensa feruntur, in conseruando apparatu bellico maris & terræ; in alendo homines doctos in Academiis & Scholis publicis; in soluendis nonnullis magistratibus & ministris publicis; in fortificandis castellis & arcibus, &c. Sed ad propositum reflectamus. Quia mensura reditus publici status publicus esse debet; idcirco ex redituum publicorum prudenti ad diuersorum tẽporum necessitates destinatione, ærarium quoq; publicum distinguendum fuerit; vt inter alios monet Danæus lib. 4. Polit. cap. 3. & Tolosan. lib. 3. c. de Repub. quo loco differit de ærario Romano, quod triplex fuit; vnum, in quo ciuium tributa ac sociorum vectigalia, & prædæ Imper. asseruabantur, quo sumptus bellorum ordinarii sustinebantur. Alterum sanctius ærarium appellatum, in quo aurum vicesimarium ponebatur, ad vltimos casus Reipub. vt scribit Liuius, dum agit de bello Punico 2. sub anno 844. Tertiũ fuit, in quo pecunia Gallici belli causa custodiebatur, quam Gallico bello contulit populus, cũ exsecrationibus eam inde non mouendam, nisi bellum Gallicum impenderet, vt scribit Appianus Alexandrinus. Multarum præterea Rerumpub. gazas & reditus, qui annuas etiam expensas superant, recenset Bod. lib. 6. c. 2. Et Tolos. cit. loco. Cæterum de ærario Roman. militari Lipsius tractat lib. 2. Admirand. c. 4. Sed nobis visum est annotare hoc loco ea, quæ Ioh. Antonius Valtrinus lib. 7. de Re militari Romanorum, c. 19. Sic ergo ille: Ærariũ in æde Saturni fuit, à P. Valerio Poplicola Cos. institutũ, in quo templo æraria siue cellę tres fuêre, in quibus singulis seorsum thesauri publici in certos vsus erogandi asseruabantur: vt pro genere pecuniæ ac tempore quo pecunia ex iis promebatur, ipsa quoq; loca essent distincta. Vnum

cta. Vnum igitur ærarium in Opis cella fuit, & ex annuis tributis vectigalibus, prædaq; bellis collecta constabat: vnde pecunia poscentibus Reip. rationibus quotidie efferebatur. Hinc Cicero 1. Philip. *Pecunia vtinam ad Opis maneret*, &c. Quod ærarium assiduis tum ordinariis tum extraordinariis impensis exhaustum & ad summas angustias redactum sæpe queritur Cicero. Alterum fuit ærarium, in quo pecunia custodiebatur, quæ in vsum Gallici belli erogaretur: quam attingi nisi Gallicum bellum vrgeret, exsecrationibus publicis vetitum fuit. Cæsar tamen victor omnem ex eo pecuniam quasi Rempub. ipse Gallici belli metu liberasset, ad se transtulit, vt apud Appianum lib. 2. scriptum est. Hoc ærarium videtur esse iam inde ab eo tempore institutum, cum vrbem Romã Galli captam incenderunt: tunc enim probabile est decretum esse, vt aurum illud deponeretur, si nouus aliquis tumultus Gallicus exoriretur: ac quicquid ex victoriis secundo & tertio bello Punico ex Asia, Macedonia, vt alias omittam, partum est, eodem postea conditum ex eo apparet, quod ærarium illud, quo per vim ingressus est Cæsar, id fuisse, quo aurum & argentum ex præda Punica & Macedonica aliisq; bellis congestum est, docet Lucanus:

——— tum conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi.

Accedit quod exiguam plane auri vim fuisse quæ priscis temporibus illis, nondum prolatis imperii finibus, deposita est, admodum verisimile videtur: cuius tantulæ pecuniæ causa, nunquam certe fores ærarii sibi Cæsar effringendas putasset; à quo tamen ablata laterum aureorum XXVI. millia, & in numerato pondo CCC. Plinius tradit lib. 23. c. 3. Florus tamen non Gallicanum, sed Sanctius ærarium à Cæsare effractũ scribit lib. 4. Hoc enim tertium fuit ærarium, ex auro vicesimario de manumissorum vicesima, vt ego quidem existimo, lege Maniliâ collecto, quemadmodum significat Liuius lib. 7. *Ab altero*, inquit, *consule nihil memorabile gestum, nisi quod legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum qui manumitterentur, tulit*, &c. Hoc ærarium, quia

aperiri nisi extremis Reip.casibus non licebat,ideo *Sanctius* est appellatum.Idem Liuius libro 27. Aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad vltimos casus seruaretur,promi placuit. De hoc ærario meminit etiam Cæsar lib.1.bell.ciuil. *Lentulus Cos aperto sanctiore ærario ex vrbe profugit.*Et Cicero l.7.epistola 20.ad Atticum;*Cõsules vt Romam venirent,pecuniam de sanctiore ærario auferrent.* Hæc Valtrinus; qui idem libro 3 cap.vlt.de ærario militari ita scripserat: Postremis temporibus Augustus perpetuis legionibus constitutis anno V. C. DCCLVIII. ærarium militare instituit, non solùm ex vigesima hæreditatum legatorumq; & quinquagesima mancipiorum venalium,quod scribit Dio;sed etiam ex centesima rerũ omnium quæ venderetur, vt Tacitus significare videtur lib.1.annal.in extremo centesimam rerum venaliũ post bella ciuilia institutã deprecãte populo;edixit Tiberius, militare ærarium eo subsidio niti. Hæc intellexit Suetonius cum in Augusto scribit;vt perpetuò ac sine difficultate sumptus ad tuendos milites prosequendosq; suppeteret ærarium militare cum vectigalib.nouis constituit. Huic ærario Augustus, Dione teste,tres prætorios præfecit; atque iis singulis præter certam ministrorum turbam,binos etiam lictores attribuit.

15 *Officium & obsequium subditorum quousq; se extendat?*

Quæritur hoc Problemate & quantum Rex iure imperare, & quantum subditi iure exequi debeant:exequũtur autem hi iure tantum,quantum is iure imperare potuit.Hinc Iun.Brutus inquit:*Interest Principum scire,quatenus imperare debeant, subditorum quatenus parêre, ne aut illi alienam iurisdictionem inuadendo,aut hi extra iurisdictionem ius dicenti parendo,in pœnam incidant.*Et autor quidã anonymus in tractatu de iure Magistratuum in subdit. inquit:*Sola vnius Dei opt.max.voluntas cum perpetua sit & immutabilis omnis iustitiæ regula; illi sine exceptione parendum esse dicimus.* Quod vero ad obedientiam Principi debitam

In vindic.cõt. tyran.quæst.1.

quæst.1.

debitam attinet, vtique si ex Dei ore perpetuo imperarent, tanquam Deo illis quoque semper, & sine exceptione obediendum esset. Bodinus de Repub. lib. 3. p. 289. de rescriptis agens Principum, quibus veritatis & æquitatis quæstio omnis ademta est subditis, sic habet: *Si veritatis & æquitatis quæstio omnis Magistratui est ademta rescripto, nihil contra Principis iussa potest, nisi vnicuiq; compertum sit rescriptum intricatè, aut falsum ac vitiosum aut absurdum ac legi naturæ dissentaneum esse*: vt si Princeps infantes ac impuberes mulctari iubeat; quemadmodum de Pharaone & Herode legimus. Reges Dei vasallos esse, inquit Iunius Brutus, omnino statuendum est. Si igitur Deus est domini superioris loco, Rex vasalli, quis non Domino potius quam vasallo obediendum pronunciet? Si Deus hoc præcipit, Rex contra? quis Regi aduersus Deum obsequium denegantem, rebellem iudicet? imo vero quis non rebellionis damnet, si aut Deo segnius pareat, aut Regi ea in re pareat? Denique si hinc Rex, illinc Deus ad delectum nos vocat; quis Regem vt Deo militemus deserendum non statuat? Licèt namque Principi summo absolutam tribuamus potestatem, tamen negamus Principem Deo parem fieri, aut Dei potestatem esse communicabilem, inquit Hotomann. Nam Princeps sub Deo manet, & diuinis legibus, (addit Bodinus Naturæ ac Gentium) obstringitur. Sed quo ad subditos, potestas est absoluta. Gentilis in tract. de absolut. potest. Igitur cum de ciuili iustitia quæritur iussa exequenda tibi sunt, etiamsi putes id quod præcipiatur, iniquitate ciuili non carere. Quod si vltra iniustitia quædam ciuilis sese offerat, obedientia Prudentia carere non debet, per quam potest lenire executor animum Principis. Si eum admonuerit ac bona fide vera narrarit, & propositis incommodis à suscepta sententia, quantum quidem poterit diuellere fuerit conatus. Sed occurretur ab iis, inquit Bodinus libro primo capite octauo, qui omnia iustissimis ponderibus exigunt. Si naturæ legibus, id est, rectæ rationi Principes omnes obligantur, lex autem ciuilis æquitati sit & rationi consentanea, illud quoque consequens est, Principem

De vindic. quæst. 1. p. 21.

Illustr. quæst. 1.

Bodin lib. 3. de Rep.

VVarem. ab Erenb. p. 37.

legibus ciuilibus obligari. Sed distinctione res eget vt quæstio plenius definiatur. Aut enim in legibus propositis agitur de eo quod publicum est, aut priuatum, aut vtriusq; cōmune: & in vniuersum quicquid illud est, aut vtile, non tamen honestum: aut honestum nec tamen vtile, aut vtile simul & honestum est; aut neutrum omnino (necessum. n. est populari modo loqui, ac honestarum & vtilium diuisas habere rationes:) si honestum appelletur id, quod æquitati naturæ consentaneum sit: hac æquitate Principes omnes teneri constat; cum quod natura doceat, id legibus naturæ, quibus Principi & parere oportet sit omnino comprehensum. neq; lex huiusmodi ciuilis est, sed potius naturalis; seu quod iubetur nec honestum sit, nec vtile, tametsi à legibus alienum esse debeat; Princeps tamen iis legibus quibus non tenetur subditos obligare potest, si nihil habeant cū turpitudine coniunctum: si honestati non opponatur, sed media inter vtrumque, honestum scilicet & vtile interiecta sit. Quod si decus abest, vtile tamen sit quod iubetur à Principe, non ipse quidem suâ lege tenetur, tametsi subditos sua lege obligatos habet, modo nihil contra naturam, contraque diuinam legem iubeatur. Contra Calacuthanorum more, Dei cultum ab hominis arbitrio, Religionem à Rege pendere tanquam belluas domino, testatur I. Brutus c. l. Et Lipsius lib. 3. Manud. ad Philosophiam Stoic. apud Iappones hodie vsitari ait, vt Rex offensus nobilium alicui mandet, abi ventrem tibi scinde, & ille pareat, faciatque. Opinantur enim cum Rex possit occidere, eius quoque in potestate esse, tali vel tali modo & manu occidere. Affectauit eam tyrannidem Domitianus, qui Suetonio teste, *Deus* vocari voluit: cui adulatus Martialis inquit: *Edictum domini Deique nostri.* Non minus turpiter Anaxarchus Alexandro persuasit: *Iustitiam ob id Ioui assidere, vt intelligeretur, nihil à Principibus iniuste fieri posse. Quæ adeò sunt deformia & impia, vt abhorreant ab omni ratione, humanitate & pietate; vt quandoq; dubitare cogar, an ab homine vel Diabolo sint prolata. Placeant magnis, mihi non placent; placeant mancipiis aularum & Dæmoniis, Deo non placebunt*, inquit autor præstās, qui se vocat *Waremundum ab Erenberg*, sępe cit. lib. c. 15. p. 183. Summa huc

redit;

redit; Principi, absoluto inquam, in ciuilib. præcipienti obedire præstabilius esse, quam iussa recusantē, cæteris Magistratibus ac priuatis rebellandi materiam & exēplum præbere. Sin contra diuinas ac Naturæ leges quid iubeatur, patria, bonis, vita deniq; ipsa potius velle debebis quam fide, iustitia, integritate, religione spoliari. Sed huic disquisitioni vberius argumentū pręstabit sequens disputatio.

FINIS.

CVRSVS PHILOSOPHICI

Disputatio XXXV.

Quæ est Politica Septima & penultima,

DE STATV PVBLICO, SIVE PRINCIPATV AFFECTO AC TVRBATO,

Deq; Principatu eminenti; & deniq; de Principatus imperfectioris distinctione.

IN GYMNASIO DANTISCANO publicè habita die 22. Martii.

Respondente

IOHANNE BERGIO *Stetin. Pom.*

Viris spectatissimis & integerrimis

Dn. ERNESTO KERL.

Publicorum iudiciorum in Repub. Dantiscanâ PRÆSIDI,

ET

Dn. HENRICO HEINN.

Dn. IOANNI CZIRENBERG.

eorundem Assessoribus dignissimis;

ET

Consultissimo Viro

Dn. WENCESLAO MIDDENDORP. *inclytæ huius Reip. Secretario meritiss.*

Dominis & Patronis suis demissè honorandis,

Dicat & offert

IOHANNES BERGIUS R.

THESES

DE STATV PVBLICO, SIVE PRINCIPATV AFFECTO ET TVRBATO; POST DE Principatu eminenter ſpectato; denique de imperfectioris Principatus diſtinctione.

1 DOcuimus hucuſque de Statu Reip. integro & bene affecto, ſiue pacato: poſtulat iam rerum publicarum neceſſitas; & ex eâ nata Methodus Politica, vt de ſtatu publico affecto ſiue turbato tractemus. *Eſt enim ut ſingulis hominibus, ita quoq; hominum cœtibus ſiue Rebuspublicis ſua non tantum valetudo ac robur; ſed etiam ægritudo & morbus & mors.*

2 Morborum autem iſtorum & mutationum conſideratio vel generalis eſt, vel ſpecialis. Generalis conſideratio occupatur vel circa cauſas mutationum vel circa remedia. Et cauſa quidem mutationis Rerumpubl. inde manabit, vnde & earundem conſtitutio, id eſt, partim à primo illo rerum omnium moderatore, partim a ſecundis.

3 Imperiorum cōſtitutio & mutatio inter omnes res humanas maximè & ſingulariter à Deo pendet. *Sicut vita hominis non tam ab hominum quam Dei nutu ac voluntate pendet: ita & vita ſiue duratio ac periodus imperiorum. Et vult ſciri Deus,*

imperia non rapi, aut sustineri viribus humanis; nec consistere aut ruere casu; nec regi aut sustineri consiliis humanis, inquit *Melanchton in Chronico sub* „ *Cunrado secundo, vbi memorabiliter addit: Vix in* „ *vllis historiis diuturnam fuiße eiusdem familiæ po-* „ *tentiam, & vltra quintum successorem pari se felici-* „ *tate extendisse reperias.*

4 Sicut autem Deus ad alia sua miranda opera in mundo perficienda vtitur ministerio angelorum: ita dubitari vix potest, quin in imperiis partim constituendis, partim sustinẽdis ac defendendis, partim euertendis propter peccata peculiariter vtatur Angelis. *Qui idcirco & præsides* prouinciarum *appellantur, Dan.* 10. & 11. & potestates, *ad Ephes.* 3. *Mali autem Angeli Dei permissu quantum in imperiis mutandis & euertendis possint, sola illa appellatio testari possit, quâ Principes huius mundi in scriptura appellantur.*

5 Causa secunda est vel Naturalis vel Moralis. Naturalis vel extra hominem: eaque iterum vel superior vt cæli influentia; vel inferior, ea nimirum quæ pendet vel ab elementis, igne, aere, aquâ, terrâ; vel à mixtis; iisque tum inanimatis tùm animatis: Vel intra hominem, vt est peculiaris Temperatura & Dispositio & indoles ac ingenium tùm totius gentis, tum in specie principis, administrorum eius aut subditorum.

6 Causa Moralis, id est, in moribus & actionibus posita, vel interna est, in ipsa illa gente, cuius imperium consideratur; & hæc iterum vel in tota gente collectim, vel separatim in principe, in eius administris, & denique in subditis: vel externa in iis, qui imperio insidiantur & vim inferunt

runt occultè vel manifestè. *Quæ causæ sigillatim & specialius enucleantur in Systemate Politico.*

7 Et sic de causis mutationum: remedia causis aptantur, vt nempe alia sint à Deo ipso; alia à causis secundis, iisque ordine omnibus quas iam modo enumerabimus. Sed vt morbi nonnulli in hominibus quiddam θεῖον, diuinum in se habent, vt Hippocrates inquit, ita verè Morbus omnis status publici diuinum quid habet, id est, tale quod immediata quadam virtute Dei sanandum sit. *Cuiusuis est turbare Rempublicam: Solius Dei est in integrum restituere*, vt habet grauissimum axioma Politicum ex Pindaro.

8 Et sic quidem de mutationibus Rerumpubl. in genere: consequens est, vt singulæ morborum siue mutationum species considerentur, quæ suas habent tùm speciales causas, tùm remedia.

9 Omnis ergo mutatio & morbus Reip. est vel leuior vel grauior. Leuior est vel ex parte totius gentis, vt est migratio gentis totius in aliam terram, sicut olim migrarunt Gothi, Vandali, &c. vel ex parte principis; & hic iterum vel ex ætate immatura principis; vel propter morbum principis, vel propter absentiam eius, vel propter vitia quædam principis non planè grauia; vel ex parte administrorum principis, vel denique ex parte subditorum, qui adhuc agrestes, inculti, aut præfracti.

10 Grauior morbus Rerump. est vel ab internis; vel externis causis.

11 Causæ internæ vel extra, vel intra hominē: Extra hominem, vt ab incendiis, aeris contagio,

aquarum inundatione, ſterilitate & fame. In homine duplex; nempe vel peſſima & inemendabilis peruerſitas naturæ in gente tota, aut in principe, aut in adminiſtris principis, aut in ſubditis; vel morbus incurabilis principis; vel mors; vbi de interregno & eius tempeſtiuis remediis.

12 Ex cauſis moralibus vel collectim conſideratis, vt Anarchia, morbus omnium morborum peſtilentiſſimus, vel potius mors ipſa Reipubl. ac totius formæ atque ordinis euerſio: vel ſeparatim ſpectatis, iiſque vel in principe; Et in hoc iterum vel ſpontanea abdicatio & depoſitio imperii, vel extrema ignauia, aut extrema voluptatum ſectatio, per quam omnis cura Regiminis abiicitur, vel denique odium ſubditorum, & oppreſſio, & Tyrannis; vbi de diſtinctione Tyrannidis, deque artibus & Sophiſticâ tyrannorum tractatur in vberiori Syſtemate Politico: Vel in principis adminiſtris, vt eſt infidelitas Conſiliariorum & præfectorum, ac proditio. Vel denique in ſubditis; qui mouent Rempub. vel iuſtis cauſis, vbi de legitima reſiſtentia, & eius cautelis; vel iniuſtis cauſis, iiſque vel ad Principem comparatis, vel ad principis adminiſtros, vel ad ſe inuicem; vbi de rebellione & ſeditione, & bellis ciuilibus, eorumque cauſis ac remediis.

13 Status grauiter turbatus à cauſis moralibus externis, eſt vel clandeſtina inuaſio hoſtium & irruptio, vel apertum bellum.

14 Bellum autem vel primariò dictum, vel ſecundariò.

15 Pri-

15 Primariò dictum est Bellum defensiuum, in quo tanquam perfecta specie tota natura belli explicanda est: Quæ explicatio isto ordine instituitur in Systemate Politico, vt primo agatur de causis belli efficientibus; iisque partim principalibus; partim instrumentalibus, quæ sunt tùm substantiales; vbi de personis & rebus ad bellum necessariis; tùm accidentales, vbi de consiliis bellicis, de stratagematibus, de legibus & disciplina militari. Explicatis causis & mediis belli gerendi, acceditur ad obiectum: mox ad actus bellicos, siue ad partes belli. Est enim bellum collectio quædam multarum actionum & passionum, quæ ordine explicantur. Quibus declaratis, tractatur de Connexis belli, deque effectibus & consequentibus. Et concluditur tandem hæc doctrina breuissimâ explicatione belli offensiui, cuius natura & explicatio tota pendet à natura & doctrina belli defensiui, tanquam speciei perfectioris, vt ante monuimus. *Monetur autem in Systemate Politico, quod huic doctrinæ Politicæ subordinetur peculiaris quædam & distincta disciplina, quæ dici possit* Polemica *siue* prudentia Militaris. *cuius Systema methodicum ex præstantibus autoribus iis, qui variis linguis de bello & re militari scripserunt, adornari possit, eo ordine ac methodo quæ in Politico Systemate descripta est. Cui si adderentur duæ aliæ disciplinæ, nempe* Architectura militaris, *&* Mechanica militaris, *itidē Methodicè per præcepta & canones disposita, plurimum momenti accederet ad homines rectè bellis parandos, atq; adeo ad bella feliciùs gerenda & citiùs finienda.*

Cum enim in humanis rebus nulla magis ardua & periculosa sit actio, quā belligeratio, mirum est, sine institutione methodica, infinita hominum millia ad eam & accedere & admitti, sicut notum est, maximam partem hominum, qui in militiam abeunt, ne scire quidem, quid sit militia, nedum vt sciant modum rectè militandi. Quod sane in nullo alio genere vocationis & officii fieri solet: Siquidem nullum tam vile est & sordidum genus opificii, quod liceat profiteri ei, qui sub certi magistri institutione ac disciplinâ non sit aliquot annis versatus. Nimirum id iucundum est archihomicidæ spectaculum, tot hominum millia in mundo temere se mactationib. obiicere: quod ita non fieret, si absq; arte militari militem se nemo profiteretur.

16 Atque ita iam pertexuimus doctrinam Politicam de perfecto statu siue de Principatu absolutè & simpliciter considerato: Consequens est vt breuiter videamus de eodem Principatu considerato cum gradu quodam ei addito, qui gradus est vel à Contemplatione, vel à Religione. *Potest esse status Reipublicæ etiamsi non habeat gradum illum eminentiæ à contemplatione & religione. Sicut fuerunt multæ Respublicæ præclarè constitutæ, in quibus vera religio non fuit, vt Spartana, Romana, &c. Et sunt adhuc tales quam plurimæ. Quis neget Remp. Venetam præclarè constitutam esse, etiamsi vera illa & Euangelica religio in ea nondum ita, vt optamus, obtinuerit?*

17 Quod ergo attinet ad gradum contemplationis, certum est, Principi qui velit excellenter gubernare, hanc curam incumbere, vt subditi

non

non tantum ſint boni & honeſti, ſed etiam vt ſint ſapientes. Sapientia autem, iſta nempe de qua hic ſermo eſt, conſiſtit in contemplatione rerum cœleſtium, & aliarum rerum naturalium. *De quo vberius in Syſtemate Politico ex Ariſtotelis egregia doctrina quæ eſt 7. Polit. c. 1. & 2.*

18 Quod verò ad gradum pietatis & Religionis attinet, certum eſt id quoque, Magiſtratum, atque adeo Principem qui eſt Magiſtratus ſummus, ſi excellenter & eminenter fungi officio ſuo velit, debere non tantum diſciplinæ ciuilis & externæ, ſiue vt loquimur, ſecundæ tabulæ Legis diuinæ, ſed etiam cultus diuini ſiue primæ tabulæ cuſtodem eſſe; atque adeo ſubditos ſuos non tantum gubernare ad finem, ſiue Bonum honeſtum, vtile & iucundum huius vitæ, ſed etiam ad Finem & Bonum ſimpliciter ſummum & perpetuum, ad quod Homo conditus eſt, nempe Gloriam Dei & Beatitudinem æternam. *Perfectè enim regere nihil eſt aliud, quam ducere aliquem ad finem, qui ei propoſitus eſſe debet, & qui ſit perfectiſſimus.*

19 Hic ergo tractatur in Politicis de Statu Religioſo, eoque etiam duplici, nempe integro & pacato, itemque turbato.

20 Circa ſtatum Religioſum Pacatum agitur de Principe Religioſo, & eius fundamentis ac poteſtate ſeu Maieſtate Religioſa: poſt de Normis eius poteſtatis: deinceps de adminiſtris principis in gubernatione Religioſa, mox de partibus officii & curæ, ſiue Gubernationis Religioſæ. Hinc de inſtrumentis pertinentibus ad gubernationem religioſam. Denique de officio Reli-

gioso subditorum. *Eâdem methodo tractatur de principatu Religioso, quâ tractatum fuit de principatu siue gubernatione absolutè spectata, quo ad disciplinam externam siue ciuilem honestatem. Sed hoc discrimine, quod ibi tanquam in materia pure politica & solam honestatem concernente, specialiùs deducta sint omnia; hîc autem generaliter saltem omnia doceantur, tanquam in tali materia, quæ non sit purè politica, sed quæ addat Politico fini gradum petitum ex pietate: de qua pietate plenè ac speciatim tractat tùm Sacrá Theologia, tùm subordinata ei disciplina peculiaris, quæ* Ecclesiastica *vocatur, de cuius Methodo alibi monitum. Pertinet autem huc grauis ista controuersia*, An Ecclesia sit in Repub. An verò Respub. in Ecclesia: *de qua disputat Waremundus ab Erenberg, lib. de subsid. Regni, cap.* 1. *citans & probans sententiam antiqui Doctoris & Episcopi Mileuitani Optati Afri, lib. contra Parmen. Donatist. vbi inquit: Respublica non est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica.*

21 Circa statum Religiosum turbatum agitur de dissensionibus in Religione, atque adeo de mediis per quæ Religionum diuersitates ac differentiæ, quas nullus vnquam Princeps è mundo tollet, præter vnum illum summum, simul consistere possint cum societate hominum publica, siue cum Honestate & Tranquillitate Politica. Post in fine additur doctrina de bello sacro. *Sane inter maxima illa, quæ humano generi in tantis Rerumpublicarum vbique ingrauescentibus motibus, optari possunt & debent, illud est, vt Principes Christiani, & quorum illi consiliis vtuntur,*

tur, considerent diligenter, discrimen inter Honestatem & Pietatem, & quid sit illud quod dicitur: Euangelium non tollit Politias. *Quod eodē sensu, licèt verbis diuersis, scripsit Thomas 22. q. 10. art. 10.* Fides & gratia non destruunt naturam, nec tollunt dominia iuris. *Quem Thomæ locum allegat Bellarminus in scripto suo nupero contra Venetos, vbi pag. 26. diserte docet:* Christianos principes iure nō posse Ethnicos barbaros oppugnare si non lædāt imperia: Si Ethnicos idololatras oppugnare non possunt Christiani, quanto minus Christiani Christianos, ob fidei ac Religionis differentias? *De qua re fusius aliquanto differetur in Problematibus.*

21 Tantum de Statu primo ac principali siue Monarchia perfecte spectata tùm absolute, tùm secundum gradum eminentiorem: restant Monarchiæ distinctiones ex circumstantiis, à quibus imperfectionem quandam accipit, nempe vel ratione sexus, si princeps non sit vir, sed fœmina; vbi de fœminarum principatu: vel ratione potestatis, si princeps sit alterius vel tributarius, aut Cliens; vel etiam si Monarchiam habeat diuisam cum collega, vt nonnunquam duo fuerunt Imperatores Romani; vel etiam si habeat potestatem certis pactis restrictam. Post etiam ratione temporis, si tantum ad tempus imperet, vt Dictator Romanus; vel ratione territorii, si Monarchicè imperet in paruo quodam suo territorio, vt antiquitus Reges erant prope singularum ciuitatum; vel ratione potestatis, si superiorem agnoscens, ipse interim magnam iuris absoluti partem

obtineat in ſuos ſubditos, vt principes imperii vel denique ratione territorii & poteſtatis ſimul, vt Comites, Barones, Magnifici & Nobiles, qui ſuis ſubditis velut quadam monarchica poteſtate imperāt, vt in Regno Poloniæ & alibi. Tantum de ſtatu publico primo ac principali.

PROBLEMATA.

I *An fatales quædam Imperiorum periodi, & an præuideri poſſint?*

GRauiter Baſilius: ὁ κόσμος ἔτος αὐτός τε ἐστὶ θνητὸς καὶ χώρειον ἀποθνησκόντων. Interire enim poteſt, quod oriri potuit. Itaque in ipſo ortu ſingulis rebus iſta lex poſita, *ad nihilum, vnde prodierant, recidere.* Nec hominibus tantum & animalibus ſua ætas eſt, ſed & regnis: quæ tam mortalia eſſe neceſſe eſt, quàm eos qui fecerunt. Lipſ. l. 1. de conſtit. c. 16. Waremun. ab Erenberg. in Meditam. pro fœder. c. 1. Henning. Arniſ. part. 2. Polit. c. 1. Vt enim hominibus ſingulis adoleſcentia ſua, robur, ſenecta, mors: ſic iſtis. Incipiunt, creſcunt, ſtant, florent: & omnia ideò vt cadant; velocius pleraque quam aſcenderunt; Vrbes enim quas ætas cōſtituit, hora diſſoluit. *Momento fit cinis, diu ſylua,* Senec. lib. 3. Quæſt. Natur. cap. 27. Ita & Polyb. lib. 6. Cuiuſque ait, corporis & Reipub. auctio quædam eſt ſecundum naturam, deinde vigor, poſtea rurſus diminutio. Et Liuius lib. 2. *Id vnum venenum, ea labes ciuitatibus opulentis reperta, vt magna imperia mortalia eſſent.* Quibus aſſentiunt Bodin. lib. 4. de Rep. c. 1. Danæus l. 1. Polit. Chriſt. c. 5. Iunius part. 1. Quæſt. Polit. q. 5. Ferd. Vaſquius in præfat. illuſt. quæſt. Peucer. de diuin. p. 30. Pet. Gregor. de Rep. lib. 21. cap. 1. & 2. Itaque & Plato tametſi Reipubl. formam præclarâ mentis agitatione talem ſibi finxiſſet, vt ſempiterna fore videretur, ſi à legibus ſuis non aberraret, tamen fatali illi & primæ omnium Rerumpub.

rumpubl. legi eximere non est ausus. Boter. de Polit. il- lust. lib. 1. c. 4. Iun. cit. loco; dissentiente licèt Patricio libro 6. de Rep. tit. 5. qui non Naturæ, sed hominum tantum vitiis Rerumpubl. interitus ex Xenophon. 1. Pædias, imputat. Quem non minus rectè improbare possumus, atque Galenus medicum ridet; qui beneficio τῆ ὑγιείνης mortem volebat præcauere in æternum. Nam vt taceam tam stabilem quasi diætam, nec præstari in vlla Repub. nec sperari posse; Ciuitas non hominum tantum decretis constat, sed maioris alicuius potentiæ vi, quam *Naturam*, alii saniores *Deum*, vocant. Qui enim singulorum hominũ dies certis terminis circumscripsit, idem & regnorum; quæ modo constituit, modo destituit; diruit, construit; magnusque architectus, & velùti plastes, varias sibi formas ac imagines fingit ac diffingit ex hac argilla. Lips. cit. loc. Ab illa ergo Luna dependet fluxus omnis & refluxus hic rerum humanarum; ortus regnorum & occasus ab illo Sole. Idem cap. 14. *Deus stabilit & transfert regna, extollit reges & deponit.* Dan. 2. & 4. Iob. 13. Psal. 2. & 109. August. lib. 5. de Ciuit. Dei, c. 3. Ferd. Vasq. l. 1. illust. quæst. Franck in disp. de Period. Imper. in hoc Gymnasio quondam habitâ, & Wilhelmus Verheiden in oratione de ortu & occasu Imper. Venetiis habitâ. *Manibus quidem ille*, fatemur hoc cũ Lips. in Monit. & Explic. Polit. c. 5. *& consiliis ferè nostris, sed ille tamen.* Nam licèt ne mediis quidem causis eum alligari censeamus; qui modo cælesti igne Sodomam conflagrare, modo immani terræ hiatu duodecim aliquando sub Tyberio Asiæ vrbes, totidem Campaniæ sub Constantino, &c. subsidere. Lips. lib. 1. de Const. c. 16. Modo Helicen & Buram, & duas in Belgio insulas, cum oppidis virisque, repentina maris eluuie absorberi iubet: Per medias tamen causas, neque insolitas vt plurimum, variè nexas, variè ordinatas, firmis omnia habenis temperat, καθάπερ ἡνίοχος ἀγαθὸς (verba Trismegisti) τὸ τοῦ κόσμου ἅρμα ἀσφαλισάμενος, καὶ ἀνασχήσεις εἰς ἑαυτὸν, μήπως ἀτάκτως φέρηται. Ruere aut vertere hunc statum vult? Consilia praua, & homines tales erunt, qui ad gubernacula admouebuntur. Delatio, adulatio, vanitas locum habebunt: probitas, veritas, prudentia exulabunt. Sed & vt in citharâ concentus tur-

babitur, & obſcura primùm, mox palàm diſcordia erit. Lipſius in Monit. Polit. cap. 5. Quin & inteſtino diſſidio fractus externus hoſtis imminebit, & ab vnâ parte attractus vtramque opprimet. Ita quô Deus inclinabit, alia etiam omnia: & velut viam illi munient ignari aut inuiti. Idem in comm. Polit. lib. 1. Atque hæc eadem videtur mens Wilhelmo Vetheiden in orat. cit. reprehenſa licèt à Waremundo ab Erenb. de fœd. cap. 1. Illud ergo conſtet, fatales quibuſque imperiis terminos diuinitùs conſtitutos. Cæterum ignotos nobis, illi vni notiſſimos. Neque eoſdem omnibus, ſed tàm varios, quàm variæ ſunt ipſæ Reſpub. Non magnopere approbat eorum ſententiam Danæus, l. 3. Polit. Chriſt. cap. 2 & cap. 5. qui certo annorum numero ætatem Rerumpub. definiunt, puta 500, aut 250. tum quod Stoicum fatum certis alligatum temporibus introducere videantur, tùm quod nullo iuſto fundamento nitantur. Conſtat enim, pleraque imperia vel non attigiſſe hanc ætatem, vel ſuperaſſe, vt idem annotat cit. loc. Interim tamen aliquid cauſarum ſubeſſe videtur, quòd illo ſpatio ſeptima circiter hominum generatio decurrat, quæ magis magisque à virtute fundatorum Imperii degenerat. Præſtiterit fortaſſe huiuſmodi in rebus ſobriè dubitare, quàm audacter aſſerere. Ignorare nos voluit vt noſtri ipſorum, ita & rerumpublicarum ſancitos ſecretius fines, ille qui ſanxit. Niſi ſi quid in ipſis ruentis Imperii morbis, duce Ariſtotele 5. Polit. & omni Peripato, videmus magis, quam præuidemus. Aut niſi quid per vaticinia, vel prodigia ab ipſo monemur. Magnas enim vel toti genti vel ciuitati euenturas calamitates, plerunque præcedunt aliqua extraordinaria ſigna vel portenta. Herodot. l. 6. Hiſt. Machiauel. lib. 1. diſput. de Repub. cap. 56. Henricus Rantzou. in comm. lib. 2. cap. 1. Lipſius in Monit. Pol. cap. 5. Iunius quæſt. Politic. 5. Nam vt Ammian. l. 21. ait, amat Numi-
„ nis benignitas, ſiue quod merentur homines, ſiue quod
„ tangitur affectione noſtri, his quoque rationibus por-
„ tendere, quæ impendent. Vt non aſpernanda omninò
„ videantur cœlo terraque prodigia, & fulminum moni-
„ tus & futurorum præſagia læta, triſtia, ambigua, mani-
„ feſta. Tacit. 1. hiſt. adde & ſomnia: de quibus notum eſt

illud

illud Ciceronis de Augusto, Antigoni super Mithridate Ponti futuro rege, Astyagis super Cyro; cui non absimile est illud, quod de Ertucule Turcâ patre Osmanis, à quo potentes isti Asiatici Osmanidæ, ex Annal. Turcicis refert Lipsius in Monit. Polit. cap. 5. Monit. 5. Iam vaticinia aut prædictiones quàm crebræ illæ, vt sacra omittam, etiam apud prophanos? Solet enim Deus sæpè etiam ex Bileami ore veritatem prædicere. Num. cap. 24. Arnisæus lib. 2. Polit. cap. 1. Macedonum potentiam vno sub Philippo partam altero pessum ituram, Sibylla vaticinata est. Pausanias in Acha. Nigidius Figulus nato Augusto Dominum orbis natum exclamauit. Dion in Augusto, Thrasyllus Tiberio imperium, Aseletarius Domitiano mortem mirâ constantiâ prædixerunt. Tranquillus in Tib. & Domit. Libri item Sibyllini Romanos multa sæpè docuerunt. Liuius l. 29. Plutarch. in Camill. Sed ista huiusmodi decepêre sæpius quàm instruxere. Prodigia verò quis nescit varia ea & crebra? Quoties Cometæ, vt Poëtæ placet, nunquam impunè visi, licèt non admodum assentiente Scalig. Exer. 79. quoties fulmina, terræmotus, & conspecti in aëre exercitus, & infantes locuti, & bestiæ aliaque prodigia futuras mutationes vel portendêre, vel portendere credita; quæ huc congerere nimii esset siue ocii siue laboris. Certè iste qui Poloniâ ipsa vigiliâ natiuitatis Christi, Anno 1605. cõcussit (rarius alioquin isti Regioni propter planitiem, sed nunquam impunis, vt notat Herb. lib. 6. Chron. c. 2. & 7. c. 10.) terræmotus, quid aliud significauit quam hũc regni motum? Exempla vide plura sæpè mira, nonnunquam vana passim apud Liuium; Tranquill. aliosq; Romanorum Historicos, vt erant ii in istiusmodi obseruandis, timendisque superstitiosi. Vide item Plin. lib. 2. & in eum Millich. Iul. Obseq. in lib. de prodigiis, Lips. in Monit. Polit. c. 5. Camer. lib. 2. de ostent. Peucer. de diuin. Garcæum in Meteorol. Atque hæc talia vt non omninò aspernanda cum Lips. cit. loc. & lib. 5. Polit. cap. 16. ita nec curiosè rimanda ducimus. Obseruare ea prudentia est, scrutari superstitio. Ridere libet Persarũ Magos, q Curt. teste, Dario quod Persicã Acinacis vaginã mutari iussisset in formam Græcam, translationem regni ad Græcos

ominati sunt: & eorum curiositatem, quos notat Lipsius in Monit. Politic. cap. 5. notasse monetam Hispanicam, quam hactenus spreuerant à Lusitanis admissam, magnum videlicet portentum transferendi paulò post in Hispaniam Lusitaniæ sceptri. Distinguendum ergo est à superstitione ad spem metumque pariter pronâ, si quid inopinatum obtulit Deus diuinitati suæ astruendæ, nobis instruendis, vt ipsius decretorum rationes non vt alii è vagis stellis, aut apud principia & nexus naturalium causarum; Tacit. 4. Annal. sed ab ipso tanquam principe causâ petamus, ex quo suspẽsa sunt omnia, à quo sunt omnes causæ causarum. Senec. 2. Quæst. Natur. Sunt enim nonnulli Astrologi, qui certos cuiuis Reipub. annos diesque ex astris assignant; de quo, visum & sequenti Problemate aliquid disserere.

2 *An Cœlum, & quomodo in Respubl. agat; atque adeo mutationem in eâ causetur?*

Non ii nos sumus, qui, vt Senecæ Natur. Quæst. l. 2. cap. 32. verbis vtar, tot millia syderum iudicemus otiosa lucere, aut ideo fabricata ornatu tanto, vt vacuam mundi immensitatem ocioso infarctu explerent. Peucer. de Diuinat. Agunt, mouent, fœcundant hunc quasi mundi ventrem lucida illa corpora, vt situ suprema & mole maxima, ita motu prima, & virtute efficacissima. Aguntque tum motu, tum lumine, fatente etiam Iohanne Pico, l. 3. de Astrolog. c. 4. & 5. Auerr. de subst. orb. 2. de cœl. t. 42. & Zimar. prop. 42. sed inprimis lumine, per quod pro diuersa cuiusque syderis luce, diuerso quoque positu siue inter seipsa, siue nobiscum conferas, diuersimodè calidum frigori, humidum sicco in elementari isto mundo contemperant, inque ipso adeo homine, istius non exiguâ parte; vsque eò vt ne altera quidem illa nostri pars licèt omni corpore prior atque nobilior, ab istorum ignium virtute immunis omninò sit, eatenus certè, quatenus ipsius operationes corporis temperamentum sequuntur. Thom. 1. p. q. 115. cont. gent. c. 85. Conimb. 2. de Cœl. c. 4. Peucer. de diuinat. Henning. Arnis. l. 2. de Polit. c. 2. Marsil. Ficin. in comm. super Platon. 8. de Rep. cap. 1. Atque hæc & tuta & certa sunt, non item cetera, quæ à

Chaldæorum

Chaldæorum & Arabum superstitionibus originem duxere, quibus etsi non parum deditus sit Cardanus in suis præsertim super Quadripart. Ptolom. Commentariis, agnoscit tamen alibi culpam & sese ipsum velut in ordinem redigit; quando nempe in præclaro libello de Tēporum & motuum erraticarum Restitutione, c.11. ita memorabiliter inquit: Pleraque enim sunt, quæ etsi artem minime lædant, artifices tamen egregie fallunt. E quibus vsq; ad tempora nostra, fuit fixarum stellarum inscitia: sed & multa sunt generalia, quæ percipere non possumus, bella, inundationes, pestes, incendia, penuriæ, legum mutationes, principum casus naturáve. Illud vero maximum est, quod ea quæ nos tanquā minima negligimus, maximas habent causas, exortusque cōtra, quæ maxima à nobis videntur, nec vestigium cœleste nanciscuntur. Ob hæc igitur animi & corporis ornamenta, exigua quidem apud homines, egregia autem & maxima à conditore facta sunt, & potentissimis causis subiacent. Honores autem, diuitiæ, ac quodcunque labile est, & vna hora abduci potest, hominibus quidem non paruam pariunt admirationem: verum causas vix vllas habent cœlestes, nisi maxima hæc sint & incomparabilia. Quamobrem si de euentibus fortunæ quis iudicauerit ex genitura tantum, non secus ac sortilegus ex interrogatione pronunciabit: si vero de genitura, animi & corporis qualitates, nec non eorum passiones pronunciauerit, aut ex reuolutionibus fortunā & gloriam, hic rectius erit iudex, modo tamen existimet in his, quæ generalia sunt nullum firmum iudicium posse proferre. Vtinam autem mortales non ampliora exigerent quam præstari queat, aut Astrologi nō maiora pro viribus pollicerentur. Sed importuna flagitatio vtrumq; fallit, illum credendo, hunc audēdo. Hactenus Cardanus. Nimirum incerta esse necesse est de vniuscuiusq; temperamento præsagia, cum vtut magna syderum virtus, & proximis tamē causis ac circumstantiis restringatur, & ipsa nondū satis sit peruestigata. lib.5. declam. Philippi. decl. penult. Bod.4. de Rep. c.2. Incertiora de voluntatib⁹ & moribus, cū corrigere eos educatio, ætas, doctrina possit, adeoq; vt dicitur, cum

sapiens dominetur astris. Arnis. cit. loc. Incertissima de Imperiis, quæ non singulorum hominum voluntate geruntur, sed omnium; neque voluntate tantum, sed & viribus. Forma Rerumpub. est ipse ordo inter Magistratum & subditos: hunc ordinem astra nec instituerunt nec gubernant, nisi aliquatenus ratione ipsius materialis, siue ipsorum hominum, in quibus est iste ordo; vt erroris ac vanitatis cuiusdam planè expers esse non possit idem Cardanus, Lucas, Gauricus Leouitius & alii, si ex cœli Figuris erectis Rerumpubl. fortunam ac Periodos certò sese prædicturos autumant; Taruntium Firmicum fortè imitaturi, qui à doctissimo illo Varrone iussus, ex gestis Romanorum natalē vrbis inuenisse scribitur à Plutarch. in vit. Romuli & Antimacho Lyrio. In quo tamē themate Io. Pic. & Bod. 4. de Repub. c. 2. multa falsa notāt, nonnulla impossibilia. Sed inter alia hoc absonum est, quod mœnium substructionibus Reipub. fortunam æstimant. Arnis. cit. l. quasi vt Prudentio l. post. ad Symm. videtur, vrbibus afferat Hora diesq; suum cuius moderamine regnent, Aut fatum aut genium, cum primùm mœnia surgunt. Cum tamen & inconueniens sit in parietib. Rempub. quærere, vt Romani olim in diruenda Carthagine, Liu. & Pompeius in bello ciuili iudicauit. Cæs. de bell. ciuil. & in ea opera quæ manibus fabricantur, Astrorum nulla vis sit, vt pronuntiat Peuc. de diuin. p. 178. & Bodin. cit. loc. Copernicus ad suam illam Eccentrici terrę reuolutionem ortus & interitus Rerump. reuocat. Alii, vt Petrus de Alliac. ad coniunctiones magnas superiorū Planetarum: alii, vt Cardan. in suis super Quadripartitum Ptolomæi commentariis, & alibi, ad extremam stellam in cauda Helices, Sole meridianum tenente olim Romæ, deinde Constantinopoli verticalem, refutati à Bodin. & Arnis. cit. loc. Quibus non hoc modo rectè opponitur, irritam multis in Rebuspub. vim fuisse istorum syderum: sed & illud Senecæ l. 2. Quæst. Natur. c. 32. Nihil
„ esse aliud quod errorem incutiat peritis Nataliū, quam
„ quod paucis nos syderibus assignant; cum omnia quæ
„ supra nos sunt, partem nostri vendicent. Submissiora
„ forsitan in nos propius vim suam dirigunt, & ea quæ
„ frequētius mota. Cæterum & illa quæ aut immota sunt,

aut

aut propter velocitatem vniuerso mundo parem immotis similia non extra ius dominiumque nostri sunt. Si qui ergo hic nobis metum volent incutere, nihil iis aptius respondebimus, quam quod Cassius Chaldæo olim vetanti Parthos bello lacessere, priusquam Sol Scorpii sidus euasisset; *Non*, inquit, *Scorpiones metuo, sed sagittarios:* ad Parthos alludens; quorum sagittis Crassus erat obrutus. (Plutarch. in Crass.) simulque ostendens ad causas proximas magis respiciendum quam remotas, quibus proximæ modum imponunt.

3 *Quomodo Plato, & an rectè causam mutationis Rerumpub. in numeris posuerit?*

Principium, inquit l. 8. de Rep. mutationis in Rep. esse Numeros ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν πεμπάδι συζυγεὶς δύο ἁρμονίας παρέχεται τρὶς αὐξηθείς, (his enim verbis contineri reliqua, & Aristoteles iudicat, & omnes consentiunt.) Ad hunc ergo scopulum non modo Academici omnes, sed etiam omnium penè Philosophorum familiæ nauim afflixerunt. Bodin. 4. de Rep. c. 2. Adeò vt plerique vel attingere hoc vlcus formidarint. Certe Proclus 7. priores libros interpretatus, in octauo hæsit; Theon Smyrnæus Mathematicæ inprimis Platonicæ cultor, hoc mysterium tanquam inexplicabile astutè prætermisit. Quod quidē Iamblichus Chalcidæus dum explicare voluit, implicuisse videtur. Marsil. Fic. in præfat. comm. super hunc locū. Qui ipse Ficinus diligētiss. Platonis alias interpres, Apollinis auxilium ad explicandum hunc locum vocat, sed ita, vt vel nouo Apolline ad ipsum intelligendum opus videatur. Philo Hebræus ille Platonizans, numerum hunc quinquaginta esse in lib. de vita Moysis arbitratur, idq; significari scribit orthogono scaleno, qualē Pythagoras tribus numeris, 3. 4. 5. complexus est; eoque referri putat verba illa Platonis, *sesquitertia radix quinario coniuncta*; quē tamen in eo falli arbitratur Bodin. cit. l. quod numerū planum inuexit, cum Plato solidum quæri velit. Cas. in Sphær. ciuit. l. 5. cap. 12. cum Melancht. intelligit Platonis verba de motu Solis duodenario cubicè multiplicato, ad quos etiā propè videtur accedere Marsilii Fi-

cini suffragium in comm. super hunc locum. Alii existimant Platonem in numeris causam euersionis Reipubl. non constituisse, sed depinxisse, more veterum Sapiētum Orphei, Pythagoræ, Heracliti, qui fabularum, nūm erorum & ænigmatum inuolucris & quasi picturis, arcana doctrinarum velabant, vt notant Ioh. Picus in Apolog. Ioh. Reuchlin. de arte Cabal. lib. 2. Patric. discuss. Peripat. Tom. 2. lib. 1. ergo sesquitertia ratio Diatessaron, quæ est imago perfectæ Reipub. ter aucta, pristinam harmoniæ suauitatem meris permutat dissonantiis, (ita enim interpretantur verba δύο ἁρμονίας, q. δυσαρμονίας) Ita etiam Respub. quo magis ad ἀκμὴν properat, ter felix & aucta, eò citius illam prioris mediocritatis harmoniam amittit, & absonâ principum, legum, ciuium discōuenientiâ ad interitum tandem trahitur. Vt videatur ille non multò diuersas ab ipso Aristotele mutationum causas afferre, ex ἀτάκτου nimirum καὶ αὐίστου petitas, quanquam alio tùm fonte, tùm modo. Addūt deinde tēpus fatalis istius ruinæ iisdem numeris mysticè definitum, annis videlicet 1728. Vide hæc accuratè in declam. Philip. tom. 2. explicata. Dicunt alii esse vt hominum, ita imperiorum climactericos quosdam certos; & esse in numero annorum septenario aut nouenario & vtriusque tum quadratis, tùm cubicis: De his dissertare Platonem, Bodin. l. 4. de Rep. c. 2. Henr. Rantzov. in Catalog. Imp. vbi perspicuè multa disserit de Climactericis. Non cōtemnendi illi omninò, cum melior interpretatio non appareat. Etsi enim nec ipsi numero vis vlla, nec Deus certis mediis astrictus sit, tamen fateri necessum est, quod vt omnia certo numero, mensurâ, pondere Deus librauit; ita & Naturæ vires: quas cum istiusmodi spacio decurso, surgere, cadere videamus, sexcentis euicti antiquitus hodieque exemplis, quid vetat suspicari huiusmodi præfixas imperiis diuinitus vices voluisse Platonem dubio sermone, & quasi Poëtico subindicare? Sed quid ego scrutor curiosè nimis τὰς ἐν ᾅδου τελαμῶνας? Suffecerit hoc:

» Cum Platonicorum recentium princeps ille Marsil. Fi-
» cin. c. l. suspicetur plus difficultatis inesse his verbis,
» quàm ponderis; Quippe cū & ipse fingat Musas Tragicâ
» quiddam tumiditate nugantes (verba Marsilii) perterren-

tesque

tesque animum puerilem ac simplicem, stuporemque adducentes: Quantò rectiùs illi, qui causas euersionis Reipub. quærunt in ipsa Repub. quod fecere Aristoteles 5. Polit. Bodin. l. 4. de Repub. c. 1. Danæus lib. 3. Polit. Christia. c. 5. & in eiusd. libr. Aphoris. Henning. Arnis. totâ 2. parte Politic. Non tam numerorum simulachra inania, aut Solis & syderum immutabilis ratio, vrbes & regna perdunt, quàm impietas primùm, deinde iniustitia, & virtutum expultrix luxuria. Dom. della Noue discursu Polit. 1. & Xenophon 8. Pædias Cyri, vbi malè Persarum regno ominatur, quod tantopere à maiorum virtute deflexerint, postquam multis ostendit eos, καὶ ἀσεβεστέρους περὶ θεοὺς, καὶ ἀνοσιωτέρους περὶ συγγενεῖς, καὶ ἀδικωτέρους περὶ τοὺς ἄλλους, καὶ ἀνανδροτέρους τὰ εἰς τὸν πόλεμον νῦν ἢ πρόσθεν ἀποδεδεῖχθαι. Ac ne grauissimis Philosophorum ita tantum placuisse censeas, audi philosophantem etiam Plautinam illam virginem, in Pers. Sc. Satin. Athenæ.

Si incolæ, inquit, *benè sunt morati, oppidum pulcrè munitum arbitror.*
Perfidia & peculatus ex vrbe & auaritia nisi exulant,
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum periurium, octaua indulgentia,
Nona iniuria, decimum quod pessimum aggressu, scelus:
Hæc nisi vnde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.

4 *Qualiter iudicandum sit de resistentia Principis?*

Periculi plenum est, de iis disputare qui possunt amputare: scribere de iis, qui possunt proscribere; & vt Marianæ lib. 1. de Rege, cap. 8. verbis vtar, vtrumque metuendum, ne assentari Principibus voluisse, aut offendere non esse veriti videamur, pari vtrumque vitio. De Tyrannis hîc multa disputant Politici; Sed nulla in rebus humanis vox est maiori cautione vsurpanda quam ista; nec facilè aut temerè cuiquam istud tam fœdum nomen, quo nullum ad Sathanæ naturam & appellationem accedit propius, tribuendum est. Est primo Tyrannus, qui (quod de Tarquinio Liuius pronunciat) nihil ad ius regni quicquam, præter vim habet aut fraudem, quos Politici Ty-

rannos sine titulo vocant, quibusque propriè hoc nomen olim datum. Hic quia hostis est apertus, idcirco vt hostis tractandus. Bod. l. 2. de Rep. c. 5. Althus. c. 14. Polit. Iohan. Mariana, lib. 1. de rege & reg. instit. c. 6. Iun. Brut. in vind. contra Tyr. q. 3. pag. 157. & seqq. Aut. lib. de iure Magistr. in subdit. quæst. 5. Ergo & lege Tyrannum necare permittunt Romæ Valerius, Athenis Solon; sed iste iudicatum, ille & inauditum: vtramque ita probat Bodinus citato loco, vt illam valere velit in Tyrannos, qui aperta iam vi dominium inuadunt, hanc verò in eos, qui occultâ adhuc fraude affectant. Atque ita Romæ M. Manlium Torquatum in ius prius vocauit Furius Camillus quàm opprimeret. Athenis verò Pisistratidas indictâ causâ sustulerunt Harmodius & Aristogiton; publicas statuas Deorumq; honores facto tàm præclaro meriti. Vt autem in omni legitimo bello; ita etiam hîc tũ demum priuato consilio res gerenda est, cum vacillat aut conniuet publicum, vt & monet Autor libelli de iure magistr. in subditos, quæst. 5. Atque hæc de Tyranno, qui Rempub. nullo iure inuadit, dicta sunto. Quod si verò populus, seu oppressus, seu delinitus, suo consensu illius deinde stabiliuerit imperium; ferat opinor iugum necesse est, quod subiit semel: Iun. Brut. in vind. quæstio. 3. neque facilè idem tunc iuris in eum esse crediderim, cum Bodino citato loco, quod ante erat. Ezechiam regem confirmat Propheta aduersus Sennacheribum, 2. Reg. cap. 24. & 25. At Sedechiam post fidem ritè datam, nulla acceptâ iniuriâ Nabuchodonosori rebellantem increpat Propheta alter, Ierem. 37. Ciceronem, Brutum, Cassium, quod Antonii Augustique restitere conatibus, non improbant multi: At post regiam, quam vocant, legem pro Augusto latam, seditiosam esse aiunt Cinnæ in eum coniurationem. Aut. l. de iur. magistr. q. 5. pag. 218. Iun. Brut. in vind. q. 3. pag. 160. Tranquill. in August. Itaque censent seruandas esse populo, quibus se obstrinxit leges, nisi vel istæ honesti & Naturæ legibus manifestè repugnent, vel ipse, quem malè cepit magistratum, insuper malè gerat. Iidem ibid. Nam in illum qui cum legitimus iam princeps esset, in Tyrannum degenerat, quem nostri *Tyrannum exercitio* vocant, quid

statuen-

ſtatuendum ſit, præcipua inter eruditos diſſenſio eſt. Alii omnibus omnia in eum permittunt; alii nulli ſubditorum quicquam, alii neque omnibus, neque omnia, neque in omnes. Probabiliſſimam ſententiam tenere ſe exiſtimant illi, qui ſtatuunt: *Poſſe Principem eodem ordine, vi & iure regno deiici, quo admiſſus eſt, ſi eas leges & pacta violet, ſub quibus admiſſus eſt.* Vt ita, quo arctioribus cancellis regum poteſtas initio circumſcripta eſt, eo minor ſit deinceps Tyrannidis metus. Neq; .n. his placent, qui Monarchiam nullam agnoſcunt, niſi lege omni ſolutam: vt nec illi vſquequaque, qui Ephoros aut Tribunos plebis nuſquam non quærunt. Quorum diſſidium vt tollant, triplicem ferè regnorum varietatem eſſe aiunt conſiderandam, & in ſingulis tria iſta: *Cui, per quem, & quomodo reſiſtere populum fas ſit.* Sunt, vbi penes Regem quidem præcipua Reipubl. poteſtas, ſed non tota reſidet, cum illius pars non exigua populo, aut qui populi vicem gerunt, Optimatibus certâ lege reſeruata ſit. Sunt deinde, vbi penes Regem & ſumma & vniuerſa poteſtas eſt, ſed regem, hoc eſt, rectè regentem moderantemque ſubditos. Sunt denique, vbi penes regem omnis ſine vlla limitatione poteſtas eſt: ita vt bona, libertas, vita ciuium ex vnius ipſius nutu dependeat, adeoque illius libido pro lege, &, vt Tartarorum reges in ipſâ inauguratione denunciant. Bod. lib. 1. de Repub. cap. 2. *illius vox pro ſecure, pro gladio ſit. Illi liberis videntur imperare, iſti ſubditis, hi ſeruis.* Primi modi Reſp. Principatus diſcriminis gratiâ cum Bodin. lib. 2. de Repub. cap. 5. & Arniſ. par. 1. Polit. cap. 11. & aliis ex Tranquill. in Calig. appellare licet, ita tamen vt regium propterea nomen illis cum iiſdem non adimatur. Proximos, Regna: Vltimos Dominatus iam olim Ariſtoteles appellauit. In principatu ergo, qualem olim Lacedæmone fuiſſe ex Xenoph. de Rep. Lacedæmoniorum & Romanorum ab Auguſto cœptum ex Tranquil. in Calig. Galliæque item priſcæ, ex Iulio Cæſ. de bell. Gall. lib. 5. cap. 8. apparet. Hodiéque de Danorum, Suecorum, Polonorum, Germanorum regnis aſſeuerat Bod. cit. loc. & de regno Franciæ reluctante licèt Bodino conſtanter tuentur Hotoman. de iure regn. Gall. Iun. Brut. in vind.

Autor. lib. de iur. Magiſtrat. paſſim, & ex illis Althuſ. cap.14. Polit. De Arragoniæ verò regno memorabilis illa, quam memorant Danæ. Polit. Chriſtia. l.6. cap.3. Iun. Brut. q.3. p.144. lib. de iur. Magiſt. q. 6. p. 249. Iohannes Mariana l.1. de Regno, c.9. Iuſtitiæ Arragonicæ formula ſat docet; hodie licèt abſoluta, ſi quid Bodino l.1. de Rep. c.8. credimus, l. In huiuſmodi, inquam, regnis non modo ei Principi, qui libidine & crudelitate immani ſæuiat, opprimat ciues, publicas priuataſque fortunas prædæ habeat, adeoque non ei tantum, qui honeſti æquique, verum etiam ei, qui proprias illiùs regni, ipſique adeò inprimis poſitas initio leges, quas *fundamentales* Dan. l.1. c.4. Polit. Alth. c 14. & 6. vocant, conſultò obſtinateque violat, imò etiam ei pro quorundam ratione regnorum, qui ignauiâ ſuâ & luxuriâ deſperata res imperii peſſum ire patiatur; eorum autoritate, qui ipſi quaſi cuſtodes additi fuerant, ſociique imperii, cuiuſmodi Lacedæmone olim *Ephori* fuiſſe dicuntur, Romæ *Senatus*, hodie in Germania *Electores*, in Gallia *Ordines*, reſiſti & poſſe & debere, nemo, inquiunt, erit, qui dubitet, niſi qui iuramenti, legum, pactorũ vim nullam putet. Vtique, inquiunt, citra omnem controuerſiã regnum illic rege ſuperius eſt; Ordines, Principes illi leges ferunt, ipſe iuſiurandum; certiſque ſub conditionibus, vltrò citroque approbatis ipſe imperat, illi parent. Quas ſi perfidè violet, quid iuris addere ipſi periurium potuit, vt quod regi denuntiatum eſt, in Tyrannum non liceat? Et quid obtendere deinceps ad imperium poteſt? aut quâ fronte quam ipſe fregit fidem, à populo depoſcere? Hanc rationem ſecuti, non modo Germanici Imperii Electores Adolphũ, quamuis huic iniuria facta videatur, & Wenceslaum: verumetiam S.P.Q.R. olim Neronẽ, Vitellium, Caligulam, Heliogabalum, Maximinũ, Tranq. & Valer. Max. l.6. c.3. & Franciæ ordines Childericũ, Sigibertum, Theodoricum, Eudonem, Carolũ Lotharii fratrem: Dani Chriſtiernum; Suedi, Guſtauum, Scoti, Mariam, & alios. Hotom. de antiq. iur. regn. Gal. cap.7. Iun. Brut. in vindic. q.3. Danæ. l.6. cap. 3. & l.3. c.6. Zoanett. parte 3. num.28. & ſequentib. Petr. Gregor. l.26. cap.4. Georg. Buchan. l.20. Rerum Scoticar. l.5. Nec

verò

verò aiunt, audiendi sunt illi, qui regium hoc pacto imperium tolli quiritantur, maiestatem imminui. Rectius olim Theopompus Lacedæmonum rex recens ad frænandam regum licentiam Ephoris in ea vrbe Tribunorum ad instar constitutis, domum inter populi plausus reductus, vxori conuicio expostulanti, quod suo facto imminutum imperiũ filiis relinqueret, *Minimè*, inquit, *sed firmius stabiliusq;*. Nam vt grauiter Mariana l.1. de Regno, c.8. ea demum vera tutaq; potentia est, quæ viribus modum imponit. Principes enim felicitati frænum inicientes, se, illam, subditos faciliùs regunt; obliti modestiæ & modi, quò altiùs conscendunt, grauiori casu præcipitant. Nec concedunt, Optimatum continuò imperium effici, licèt illi consiliis regem, consilia autoritate iuuent, cum tamen rerum gerendarum munus vni relinquant. Illum potius miserum inquiunt regem esse necesse est, qui suo ingenio omnia agit, nulla sapientum sciscitatur consilia, aut si sciscitetur, nulla sequitur: Et hos ideo reges esse negabimus, quia errare eis & perire non licet? Itaq; & firmitate imperandi pariter, & parendi securitate non conferunt modò absolutæ, quam vocant, Monarchiæ istam regendi rationem, sed propè anteferunt. De illa verè dici putant quod ait autor libri de iure Magist. p.238. si nullis cãcellis circumscriptum vnius sequatur libidinem, pestẽ magis esse populorum quàm salutem: hæc verò salubri moderatione ita temperata est, vt & quicquid commodi potest à Monarchiâ expectari, præstet, & quicquid incommodi metui, declinet.

Cæterum cum Ephoris (ita enim vocare eos solent Danæ. Althus. c.l. qui regiæ sunt licentiæ, frœnum) potestas illa committitur, pariter adimitur reliquis tùm priuatis, tùm inferiorum etiam ordinum Magistratibus: Neque enim fas est eos, quibus aut nulla, aut non ista demandata est Reip. functio, priuatis consiliis ea agitare, in quibus vniuersa Reip. vertitur salus: quem Populus regem esse iussit, suâ autoritate reiicere: alieni officii munia pro lubitu vsurpare. Illis dictum est, obedite Magistratui non tantum propter metum, sed & propter conscientiam; cui si resistitis, Dei ordinationi resistitis: Illi summum rerum iudiciũ diuinitus datũ, vobis obsequii

gloria relicta est. Tacitus 6. Annal. Calu. Instit. l. 4. c. 20. Lipſ. Polit. l. 6. cap. 5. Iunius Brut. in vind. quæſt. 3. Aut. lib. de iur. Mag. quæſt. 5. Zoannet. d. part. 3. numero 95. & ſeqq. Obrecht. de bello conſtit. Theſ. 184. Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 5. Inferioribus tamen Magiſtratibus, hoc eſt, illis, qui non regis domeſtici, ſed publicis Reip. muniis præſunt, ideoque non tàm à Rege quam à Regno ipſo pendent (illa enim duo plurimum in huiuſmodi præſertim imperiis diſtare oſtendunt Danæus l. 6. c. 2. & lib. de iur. Magiſt. quæſt. 5.) cuiuſmodi olim Romæ Prætores, Præfectus vrbi, præſides prouinciarum fuere; hodie in pleriſque Chriſtianorum regnis Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, olim officiorum, nunc dignitatum nomina: Ciuitatum item ſingularum Conſules, Senatores, Scabini. Hos, inquam, pro officii ſui ratione & modulo ſe ſuoque regimini concreditos, à manifeſtâ Tyrannide tueri & defendere poſſe iudicant Autor lib. de Iur. Mag. & Iun. Brut. & Althuſ. c. l. ſed defendere vim, non inferre; nec vindicare iniuriam, ſed tantum repellere.

Atque ita ſentiunt Politici illi de eâ Principatus formâ, quæ minimum concedit regi. De eâ verò, quæ plurimum, nempe Dominatu, diſputare quid attinet? Quæ inter regnum & Tyrannidem ambigua, huic tamen quam illi propior, barbaris placere inprimis dicitur ab Ariſtotele 3. Polit. cap. 10. Vt Perſis olim, Plutarch. Plato 13. de ll. Hodie Tartaris, Hatto Arm. in Tart. Hiſt. Pantal. in deſcript. Tart. Chinenſibus item, vt quidem vult Boter. 2. par. Coſm. l. 2. & in Africa Abyſſinis, vt apparet ex Aluareſio, Horatio Malaguccio, Damiano, Botero, Iouio. In Europa nemini, præterquam Turcis, de quibus Bodinus 2. de Repub. cap. 2. & Muſcouitis, Sigiſm. Bar. in Muſc. Hiſt. & Iou. in deſcript. Muſcou. Chriſtiani verò populi refugere eum perpetuò, neque illi tantum, ſed humaniores quæque cultioreſque paulò gentes. Atque hæ inprimis ad Septentrionem noſtræ, quarum animi præ reliquis libertatem ſpirant, ſi quid Bodino de nobis credimus, l. 1. de Repub. cap. 8. Itaque eum qui ab iſtis, Turcis dico & Moſchis, ſui imperii exemplar & typum petendi autor ſit regibus; publicum humani generis ho-

ſtem

ſtem habendum, exclamat Autor lib. de iur. Mag. in ſubd. eò quod, vt Auguſtinus ait alicubi, *regna ſine iuſtitia magna potius latrocinia ſint quàm imperia*; neque ſeruandæ humanæ ſocietati, ſed deſtruendæ nata. Et certè fieri non poteſt, quin ex Tyrannide trahatur plurimum, vbi vnius hominis nutu feruntur omnia. Sed ita ſunt Barbarorum ingenia ſeruituti nata, vt niſi ſub Domino ſalua eſſe non poſſint: Henning. Arniſ. cap. 11. Polit. Cum quod olim à Lacone Perſæ exprobratum, nec norint libertatis commoda, nec ferant. Vt ita quæ Tyrannis iure dici potuiſſet, quia lubentibus & volentibus imponitur, regni ſpeciem induat. Iun. Brut. c. l. Vt ſuperuacuum ſit quærere, num liceat illis, quod ne lubeat quidem, aut ſi forſitan deinceps adlubeſcat, quia aliquando in Dominationem conſenſum eſt, licere ſibi ne ipſi quidem paſſi fuerint, cum Tyrannidem accuſare non poſſint, quæ ex proprii regni eſt inſtituto, nec Tyrannum dicere, qui quod licet, agit. Iis verò qui iniuſtâ vi ſubacti idem iugum ferunt, vt ſunt non paucæ hodie ſub Turcæ imperio gentes, quantum licere Politici nonnulli exiſtiment, tùm expoſitum eſt, cum de Tyranno ſine titulo ageretur. Supereſt iam vt videamus, quo modo ex ſententia eorundem in imperio regio ſtrictiùs ſic dicto ſubditi ſe gerere debeant; quod eſt inter Principatum & Dominatum ita medium, vt nec facilè ſubditis quicquam in regem, nec tamen regi in ſubditos omnia permittat; cuiuſmodi olim Iudæorum, Macedonum, Romanorum, &c. hodie Angliæ, Hiſpaniæ; &, vt largiantur aliquid Bodino Hotomann. de iur. reg. Gall. Iun. Brut. in vindic. Althuſ. capite 14. Galliæ ſeu Franciæ regnum. Sunt qui nec ſingulis ciuibus nec vniuerſis fas eſſe ducunt ſummi Principis vitam, famam aut fortunas in diſcrimen vocare, ſeu vi ſeu iudicio conſtituto id fiat, etſi omni ſcelerum ac flagitiorum, quæ in Tyrannos conuenire poſſunt, turpitudine infamis eſſet. Bodin. 2. de Repub. cap. 5. Albericus Gentilis diſp. reg. 3. Wilhel. Barclaius contra Dialog. Buchanan. de iure regni Scotiæ: iſtis potiſſimum rationibus. I, Quod nulla magiſtratibus, multò minus priuatis in Principem iudicii poteſtas ſit, cum non ſolum ab eius vnius omnia omnium imperia pendeant,

ſed etiam eô præſente magiſtratuum & collegiorum omnium poteſtas conquieſcat: quod ſi in ius vocare non licet, multò minus opprimere. II, Quod Princeps omnibus legibus ſolutus, reſpectu ſubditorum. Siquidem omnia iura Maieſtatis ſolus per ſeſe habeat; Maieſtas vero nec maiore poteſtate, nec legibus vllis, nec tempore definitur. Bod. 1. de rep. c. 8. Arniſ. c. 11. Vt illi in quibus maieſtas ineſt, rationem rerum geſtarum nemini, præterquá immortali Deo reddere cogantur. Ergo vſurpant illud Tyberii: *Non aliter ratio conſtat, quàm ſi nulli reddatur.* Eos verò qui abſolutam hanc quam vocant poteſtatem non habent, regio nomine non dignantur. Ibid. Nam qui rex eſt, inquiunt ex Martiale, regem non habeat. III, Mala diuinitùs immiſſa ferenda ſunt. At à Deo reges. Anceps ergo, ſe qualiſcunq; Principis cæde cruentare. Ex Tacit. 15. Annal. Lipſ. l. 6. Pol. c. 5. & vt ait Caſus 4. Polit. c. 10. *Rex bonus eſt dextra, Tyrannus ſiniſtra Dei.* Agnoſce ergo in rege bono clementiæ, in malo iuſtitiæ inſtrumentum. Atque hanc rationem vrget inprimis Brunus lib. 1. de ſeditionibus: multum ille diuerſus à reliquis hodie Pontificiis, qui in quoſvis Principes hæreſis aut Tyrannidis ipſis ſuſpectos, vi, fraude, ferro, veneno, graſſari iubent. IV, Sunt exempla tùm ſacra, tùm prophana. Impios Iudæorum reges Deus non Iudæorum, ſed exterorum puniuit manu. Dauid pepercit Sauli. Ieremias nō gladio Iudæos armat aduerſus Nabuchod. ſed precibus pro ipſo: Chriſtus tributum Principi, non venenum dari iubet. Paulus ne verbis quidem, etiam malo Principi, maledicendum eſſe agnoſcit. Inter profana memorabile eſt, quod refertur lib. 3. decad. 4. Hiſt. Vngar. de Oſacco, qui proceribus quibuſdam Vngaricis ſocium cum regi Matthiæ exturbando poſcentibus abnuens reſpondit; *ſe quemcunq; ſacro diademate cinctum viderit, etſi vel bos fuerit, adoraturum.* Accedunt autorit. Theolog. Polit. Iuriſconſult. quas vide apud Alber. Gentil. diſp. reg. 3. & ap. Wilh. Barclaium. Sed reclamant iis illi, quos diximus Politici: Primò, inquiunt, conſtat Regem à Populo accipere imperium. Danæ. l. 2. c. 4. & accipere conditionibus certis: Hoc ergo pactum conuentumque, quod eſt vnicum Principatus ipſius fundamentum, ſi ipſe diſſoluat, quis non videt, &

ipſum

ipsum ab Imperio, & Populum ab obedientia liberum esse? Nam siue hæreditate ad illum siue electione regnū deuoluatur, illud ratio & natura demonstrant, non a rege populum eligi, sed à populo regē; nec subditos illius causa nasci, sed illum subditis. Primà enim conditione nascendi liberi omnes sumus, quod vnus reliquis præest, humana sanciuit prudentia. Neq; potuisset vnus in multos imperium gerere, animi & corporis virib. pares, nisi ex consensu ipsorum. Quod verò nonnulli reges per vim gentibus imperarunt, si iniusta illa fuit, victores quidem & Tyranni fuerunt, reges non fuerunt: si iusta, & aliis tamen lubentibus imperasse necesse est, per quos vincerēt, neq; hos iustè in iusto imperio prement. Ac sint licèt à Deo reges, non tamen eos populis aut inuitis obtrusit aut nesciis; ne Saulem quidem aut Dauidem Iudæis, 1. Sam. 10. 11. & 2. Sam. 5. & 2. sed in ipsorum voluntate suam disposuit, perq; ipsos elegit, quem sibi ille vicarium, illi rectorem vellent. Illud ergo efficitur, qui constituere regem potuerunt, eosdem si pacta conuentaq;, sub quibus admissus est, violet, abdicare eum meritò posse. At inquies, Populus summum perpetuumq; imperium in ciues, ac vitæ necisq; potestatem, legibus omnibus solutā, vni ex ciuibus tribuere potest: ita vt Rex non singulis modo, sed & vniuersis maior, nullo fœdere aut pacto deinceps suis subditis astringatur. Bod. l. 1. cap. 8. Enimuerò iure meritissimo illud Aristotelis 7. Pol. c. 2. à Danæo l. 1. Polit. Chr. c. 4. laudatur, nullam potestatem, quæ cuipiā conceditur, sic esse interpretandam, vt de libero Dominatu, hoc est, Tyrannico imperio illi permisso intelligatur. Nam quis putet, ideo sibi potestatem tradi, vt eâ in eorum qui tradidere, perniciem abutatur? Taceo quod & inter Dominum ac mancipium sit τὸ δίκαιον καὶ ἰσότης quædam, Coloss. 4. 1. Eph. 6. 9. Augustinus de moribus Ecclesiæ, c. 30. nedum inter Regem & subditos, liberæ conditionis homines: quodq; adeò illi Remp. ex ipsa Repub. tollant, cum ea nihil aliud sit, quam mutua regentium imperantiumq; in æquitate consensio. Illud tantum respondent ii qui leniter sentiunt; sicubi tanta vlli regi in subditos potestas sit, quam tamen iniquam esse & ferè Tyrannicam necesse est, non regium ibi imperium esse,

ſed aut manifeſtam Tyrannidẽ aut Dominatum, de quo antea diſſeruimus. Nam etiam ipſi à Dominatu regnum ita diſtinguunt, vt hîc ſaluam ſubditis libertatem & rerum Dominia eſſe velint, illic ex Regis arbitrio pendere. Bodin. l. 2. de Repub. cap. 2. Ergo vel iſte ſaltem imperandi limes regi eſt poſitus. Quod ſi in libertatem opeſq́ue ſubditorum ius nullum regi, multò minus vitæ neciſq; poteſtatem habet lege ſolutam. Itaq; non licet Regi gladium ſtringere in quem lex non iuſſerit, inquit Iun. Brut. quæſt. 3. Quod vt rectiùs fieret, priſci certè illi reges (verba ſunt notatu digna Dionyſii Halicarnaſ. l. 2.) qui hæreditarium principatum ſumerent, quosvè ſibi populus ipſe præficeret, conſilium habebant ex optimatibus, vt Homerus & antiquiſſimi quique Poëtarum teſtantur, neque vt fit noſtro ſeculo, veteres illi reges ex animi ſui tantum ſententiâ poteſtatem exercebant. Hæc ille. Quod verò aſſerunt, *Regis maiorem eſſe quam Reipub. vniuerſa poteſtatem*, tametſi negant Dan. Polit. Chr. l. 1. cap. 4. & l. 3. cap. 6. Iun. Brut. in vind. quæſt. 3. Lib. de iur. Magiſt. quæſt. 6. Ioh. Mariana de Regno & Inſt. Reg. l. 1. cap. 8. & ex illis Althuſ. c. l. grauibuſq; ibidem rationibus perſuadent, vt tamẽ concedam, neutiquam inde ſequetur, parẽ principi autoritatem ſi in Tyrannum degenerat tribuendam. Quin & illud quod in omnium ore eſt, *Regem legibus ſolutum eſſe*, reiiciunt iidem autores, & Georg. Buchanan. in Dialog. de iure regni Scot. Si enim Leges Reipub. vinculum, quidni aſtricti iis ſint reges, aſtricti ſubditi, diuerſa licèt vtriq; ratione: Illi nempe vt ſecundum eas imperent, iſti vt pareant: Vtrumque quo fiat rectius, regem decet non imperio eas tantum ſancire, ſed exemplo. *Digna enim vox eſt maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri.* Adeò de autoritate iuris regum pendet autoritas, & reuerâ maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum, vt aiunt Theodoſ. & Valent. Impp. l. digna vox, de conſtitut. Princ. l. ex imperfecto, de legat. 3. & l. ex imper. de teſtam. Ergo clarum omnibus ſeculis Traiani exemplũ cum iurauit is, per quem iuratum, & legibus ſe ipſe ſubiecit, legibus Cæſar, quas nemo Principi ſcripſit. Plinii verba in Panegyr. Quod ſi eò modeſtiæ Regem ſe demittere nolint, illud certè concedant

neceſſe

necesse est, vnam ei fixam legem, secundum leges imperare. Quod si abnuant, & regem illi è Republ. & legem tollunt. Nam quid Rex est nisi legum custos? Quid lex, nisi os sceptrumque regis? Et quid hanc ei potestatem tradito opus, quâ, nisi Tyrannus esse velit, vti non possit? Nam quid aliud est Tyrannum esse, quàm leges reiicere, propriam lubidinem pro lege sequi? Si ferunt, agnoscent credo nō ita absolutum esse Regis imperium, quin iusti primum æquique, deinde etiam legum regni, quas ipse vel tulit, vel approbauit, septis sit circumscriptum. Quod ipsum omnium euidentissimè cuiusque regni peculiaris consuetudo & leges, quas ne regi quidē ipsi mutare licet, ostendunt. Vt quod ad inusitata tributa imperanda, abrogandas sanciendasve leges, eas præsertim, quibus ipsa Reipub. fundamenta continētur, resistentib. imperii ordinibus impar sit vnius Principis auctoritas. Quod probant de Hispanico Ioh. Mariana l. 1. de Reg. c. 8. De Anglico & Gallico Iun. Brut. in vind. quæst. 3. p. 111. & 126. 143. quodque item dominium vt vocant alienare, publicum patrimonium distrahere, regnū regnive partem vendere aut donare, neutiquam regi licet, vt de plerisq; regnis idem demonstrat pag. 129. & seqq. & Hotom. de iur. regn. Gall. & Antimachiau. l. 1. Th. 3. Neque enim proprietarius dominus est, sed tutor curatorq; Reip. Althus. c. 14. Regis enim nomen non possessionem aut hæreditatem sonat, sed officium & functionem. Itaq; in solēni regum inauguratione non iuratur à subditis, nec corona Regi sceptrumq; committitur, nisi regni priuilegia ac iura se tuiturum rex ipse adiuret. Xenoph. l. 8. Pædias Cyri. Idem de Rep. Lacedæm. Dionys. Halicarn. l. 1. Spec. Saxon. l. 3. art. 54. Sleid. l. 1. & 2. Iun. Brut. Hotom. cit. l. &c. Ex quibus vniuersis effici aiunt; Regem certis legib. pactisq; populo obligari, quæ si violet, hoc est, ipsum sui principatus fundamentum conuellat, ipsum priuatum, populum liberum esse. Vrsin. l. 2. dispos. 42. & seqq. Zoannet. d. part. 3. num. 33. de defens. tripar. Petrus Martyr in Iudic. cap. 1. 36. & Danæus lib. 3. Polit. cap. 6. adeoq; eadem potestate & iure regnum posse Tyranno adimere, qua dedit Regi.

Atq; hoc ipsum multis præterea rationibus ostendere

satagunt: Vt, quòd iniuriam hostilem repellere, eã præsertim quæ notoria est & irreparabilis, Naturæ ius ipsũ permittit. Quod frenum Tyrannorum iniici infinitæ licentiæ ipsa societatis humanæ, & quæ illius pars melior est, Ecclesiæ efflagitat salus. Quod potiore vinculo obstricti Deo, illius etiam contra Tyrannos gloriam tueri quoquomodo teneamur. Quod inferiores Magistratus iustitiæ executores & vindices, ipsi reges esse iubent. Innotuit enim vox illa digna Traiano, cum ad Præfectum Prætorio, *Hoc*, inquit, *gladio pro me vtitor, si rectè imperare; sin Remp. læsero, contra me vtitor.* Adde quòd & Filio licet Parentis inhibere scelus, illiusque gladium à suâ ceruice repellere. Quòd & vxori Maritum, & seruo Dominum deserere, si ab ipso deseratur prior, iure diuino humanoque liceat. Quidni tantundem iuris Reip. in Regem sit reliquum, cui vt maxima in Populum potestas concedatur, maior tamen esse haud potest, quam Patris in Filiũ, in vxorem Mariti, Domini in seruum. Ita præ aliis acriter disputant Iun. Brut. in vindiciis in Tyran. Libellus de Iur. Magistratus in Subditos. Georgii Buchanani Dialogus de iure regni Scotiæ. Danæ. l. 1. Pol. c. 4. & l. 3. c. 6. & l. 6. c. 3. Vrsin. l. 2. disp. 42. & seqq. Pet. Mart. Iudic. c. 1. & 3. & alibi. Francisc. Hotom. de antiquo iur. regn. Gall. Mariana l. 1. de Regn. & Reg. inst. c. 6. 8. & 9. Sed & exempla adducũt tùm profana tùm sacra. Dauid aduersus Saulem armis sese munit, munitoq; oppido suam salutem credere, vim oppugnantium repellere cogitat. Lubnenses Ioramum deserunt, quòd ipse deseruisset Deum. Athaliæ sese summus Sacerdos opponit. Profana in Græcorum inprimis & Romanorum, itemque Gallorum, Germanorum, Anglorum, Danorum, Suecorum, & penè omnium nõ planè barbararum gentium historiis vbiq; obuia.

Hi tamen autores interea tria ista attendenda monẽt diligenter, cui, per quem & quomodo resistere populus possit, Tyranni vim dicunt inhibendam. Hoc autem nomine censeri præcipiunt non illum continuò, qui tractandis imperii gubernaculis impar est aut ineptus, quique non malitiâ quidem animi, sed mollitie Reip. obest. Sibi imputent qui talem susceperunt regem: & placeat deinceps necesse est qui semel placuit. Nec illum Tyrannum di-

num dicunt, qui in aliqua officii sui parte errat aut labitur, adeoq; qui fortè Tyrannicum aliquando quippiam egit, id quod vel optimis quibusq; Principibus contigisse legitur. Nam & homines sunt, & onus penè supra hominem gerunt. Calu.l.4.Inst.cap.20. sect. 24. & seqq. Zoannet part.3.num.1.2.3.tripart.defens.Lips. l. 6. Polit.cap. 5. Quid quod in subditis ipsis haud rarò durioris imperii culpa, Regum ducumque clementia non in ipsorum modo, sed in illorum qui parent, ingeniis sita est? Obsequio mitiganda imperia. Alexand. ap. Curt.l.8.& ex eo Lips.c.l.& Marian.l. 1. cap.6. Denique ne illum quidem qui multis licèt domesticis, aut vt loquuntur Danæus & Althus.c.l. personalibus vitiis flagitiisque laboret, publicum tamen statum aut vtcunq; conseruet, aut non magnopere lædat. Neque enim iis vitiis Tyrannis æstimari debet, quæ bonum virum esse prohibent, sed quæ regem bonum, vt præ cæteris asserit Arnisæus. Pol. cap. 11. Illum autem demum Tyrannum definiunt qui datâ operâ in id incubit, vt statum omnem euertat publicum. Huc enim redeunt reliquæ illæ Tyrannorum notæ, de quibus Politici; Tyrannus est inquiunt, qui non publicis, sed priuatis commodis imperat, & cui omnes seruiunt; ipse verò suis libidinibus, vt olim Diogenes Cynicus de Persarum Rege loquebatur, & latiùs diducit Cicero in Paradoxis, & Ludouicus Viues ad cap. 1. libri 1. Augustinus de ciuitate Dei. Tyrannus inuitis imperat & dolo ac vi regnum tenet, inquit Bodinus lib. 2. de Repub.cap. 5. quod tamen de Tyrannis sine titulo intellexerim. Tyrannus turpiter abutitur Imperio & Imperii subditis, cum extremo Legum contemptu, cum damno, interitu & ruina subditorum. Facta omnia Tyranni pendent ex ipsius beneplacito ac voluntate, vt loquitur Aristoteles 5. Polit. Tyranni notas decem collegit Gentilletus in Antimachiauel.præfat.l.3.quas ex Bartoli tractatu de Tyranniâ collectas fusiùs exequitur Middendorpius in Quæstionibus, quæst.16. Et Henricus Stephanus in Rege & Tyranno; sed fusissimè omnium Zwingerus in Theatro volum. 10. lib 6. volum. 12. lib. 3. & 9. lib. 1. Cui adiungi potest Casus in Sphær. Ciu. libro 5. capite 10. Tholosanus libro 6. capite 18. & 19. Bodinus libro 2. c. 4.

Althus. capite 14. Mariana libro 1. de instit. Regis, cap 5. In sacris literis vocantur *Leones*, Prouerbior. 28. *Vrsi esurientes*, ibidem, *Serpentes & Dracones*. Psalm. 58. Esaiæ 27. *Lupi*, Ezechiel. 22. *Apri*, Psalm. 80. *Canes*, Psalm. 118. *Vulpes*, Lucæ 13. *Draco qui est in mari*, Ezech. 32. *Deuoratores ossium & carnium subditorum, quorum exitus plerumque sit Tragicus*. Exodi 14 2 Sam. 21. 1. Regum 14. 2. Regum 9. Esaiæ 4. Ieremiæ 22. Iob. 20. 1. Maccabæorum 9. Ecclesiast. 10. Actorum 12. vide Spinæum de tranquillitate animi lib. 7. vbi prolixè ostendit, Tyrannos metuendos non esse.

Huiusmodi ergo Tyranno, tanquam hosti Reip. docent Politici illi, sese opponere debere ipsam Remp. non singulos, non priuatos, non seditiosum vulgus; sed eos qui Reipub. vniuersæ, quasi compendium, curam meritò vniuersæ gerunt, optimates, proceres vel ordines: ne, quod publicũ est, priuatâ auctoritate geratur, neve turbatam Remp. restituturi turbarum plus ipsi & habeãt & ferant. Ac ne sic quidem protinus ad arma ruendum esse monent, sed illud inprimis respiciendum, vt in legitimâ causa legitimo quoque modo procedant; nam & bona causa, mala malè agendo fieri potest, & arma quæ iusta esse poterant, si intempestiuè sumantur, seditiosa fieri. Itaque primò omnium Tyrannidem, latens plerunque malum, eoque periculosius quò occultius, in lucem è latebris produci volunt, oculisq; cunctorum pericula, damna, ruinam Reipub. conspicienda proponi, seu indicto publicè concilio, siue alia quacunq; ratione, ne seditionis vel sibi suspicionem pariant, vel aliis ansam præbeãt. Notis iam Tyranni artib. duo inprimis iubent attendi. Primò illud, omnia cõsilio prius quam armis tentanda; deinde, non tantum quid liceat videndũ, sed & quid expediat. Itaq; si necessitas & præsentissimum Reip. periculum ferat, monitis prius publicis, deinde precibus oppugnandum Tyrannum, deniq; minis. Desperatis irritisq; omnibus, sententiâ pronunciatâ licebit Reip. eius imperia detrectare, dein arma expedire, belli consilia explicare, ita tamen vt meminerint semper illud Liuii lib. 3. *Scutum potius in Tyrannos quam gladium sumendum*, hoc est, sui magis defendẽdi quã illius oppugnãdi gratia: magis

cōtra Tyrānidē, quàm Tyrannū gerenda arma, & gerē-
da quousq; Reip. sal⁹ postulet, vel saluo si quomodo fieri
potest principe, sublatâ modo Tyrānide; vel si spes nulla
de ipso sit reliqua, Tyranno pariter Tyrānideq; sublatâ.

Diuersi ab his abeunt alii: & dicunt, pessimum quidē
esse sub Tyranno degere, sicut optimū sub Rege, Anton.
Natta, lib. 2. nec tamen licitum vt occidatur. Tyrannum
absque titulo occidi posse, cùm non sit Magistratus, Ty-
rannum exercitio non item, Calu. l. 4. Instit. c. 20. sect. 24.
17. c. 15. l. 1. Sam. Dan. l. 6. cap. 3. Obrechtus de bello Thesi
155. Tolosan. l. 26. cap. vlt. Et hi expresè dicunt, periculo-
sè admodum sensisse eruditiss. alias Theologum Buca-
num, dum asserit, Dauidem potuisse Saulem iustè inter-
ficere, quod coniugem Dauidis alteri dederat, ipsum ac
parentes eius patriâ expulerat, Sacerdotes trucidarat:
habebat, inquiunt, Dauid alia remedia in manibus, & in
tali casu præstat occidi, quam occidere; quemadmodum
Tertullianus Christianos monet in Apolog. Si quis di-
cat, *Leges non solum populum, sed etiam Reges obligare*, id
aiunt accipiendum esse de Regibus eiusmodi, qui certis
pactionibus eliguntur, & qui ex contractu obligantur;
non de Regibus & Principibus superiorem non reco-
gnoscentibus: Quamuis hodie, vel pauci vel nulli repe-
riantur, quorum potestas capitulationibus certis non
sit valdè circumcisa. Nec possunt Principes absolutam
potestatem exercere in eos subditos qui non plenariè &
simpliciter subditi sunt, sed reseruarunt sibi priuilegia,
inquit ex Alciat. Comment. 3.4. l. 8. & Alberic. Gentil. de
absolut. Reg. potest. Waremund. ab Erenb. Est autem in
hoc argumento rigidus præ aliis Barclaius, non vulgaris
alioquin Politicus, qui disertè ita statuit: "Regem vel
"Principem absolutum ius maiestatis habentem, Leges
"contemnentem, rapientem bona subditorum, violan-
"tem virgines & matronas, congregatis proceribus re-
"moueri non posse: quomodo etiam disserit Æneas Syl-
"uius l. 1. Concilii Basiliensis: Et addit idem Barclaius
"l. 6. cap. 24. Expeditissimam viam euertendæ Tyrannidis
"esse in Contritione & patientia. Cedamus, leue fit quod
benè fertur onus. Haud flectes Tyrannum, ne quidem si
sanguine fleueris. Mortuis tyrannis flet etiam subditi ad

nouercæ tumulum. Tyrannis igitur vel obtemperandum, vel abeundum. De la Noue Discurs. 3. Optabile sub Tyranno exilium & fuga. Natta, l. 3. de principe: Tyrannide oppressis dulcis cib⁹ lachrymæ, donec omnis principatus & potestas hominis in hominem abrogetur & sit Deus omnia in omnibus, 1. Corinth. 15. Sarcerius in summariis super lib. 1. Sam. c. 8. Subditis conuenientius remedium contra Magistratum malum non datur quã vt precibus suis eius mortem accelerent: **Dann dieselbe (Oberkeit) zu todt beten.** Sed haud scio, an hæc sententia sit vsque quaque conformis sacris literis, quibus iubemur non malum, sed bonum, non mortem, sed vitam, etiam hostibus nostris precari, & orare pro Magistratus etiam mali incolumitate & vita, non autem imprecari ei mortem. Hæc nimirum ita in omnem partem à grauissimis æquè Theologis ac Politicis in argumento omniũ grauissimo & periculosissimo disputantur. Ipse quidem nolim tenere cum Milone manũ siue corpus inserere in hanc rimam aut fissuram. Interim tamen nec decere existimo, vt ea quæstio quam disputandam proposuimus, indecisa relinquatur: idcirco aliquot aphorismis rẽ circumscribemus. E quibus primus esto: Post mundi creationem & conseruationem maximum opus Dei est constitutio imperiorum. 2. Omne imperium est ordinatio diuina; & Deus ipse formã imperiis dat, idcirco omnis magistratus quatenus magistratus, id est, quatenus possidet istum ordinem, habet in se aliquid diuinum. 3. Hinc nulla est inter omnia humana periculosior actio & magis ardua, in qua facilius ac grauius peccari possit, atq; adeo ad quam tardius ac difficilius accedendũ sit, quæq; cautius attingi & tractari debeat, quàm resistentia contra Magistratum, etiam malum & vitiosum; qua de re grauiter Melanchthon in vita Conradi Secundi: Ordo in imperiis, vt & in rerum natura sine dubio est opus Dei. A Deo sunt boni ac præstantes humanoque generi vtiles principes, huius ordinis confusiones nec vult, nec approbat, nec adiuuat Deus, etsi permittit, certis metis cõstitutis quousque tolerandus sit, tandem autores confusionis grauissimè vlciscitur, sarcitque ac restituit labefactata. 4. Nulli magistratui minus resistendum, quàm ei, qui

Determinatio cõtrouers.

ei, qui absolutus, & qui regit forma illa perfectiori siue Monarchicâ. De qua quidem Resistentia hîc potissimũ agitur. 5. Principi ergo absoluto in nullo casu resistendum est, præterquam Tyrannidis. 6. Nec tamen omnis Tyrannidis, sed propriè dictæ, sed sæpè exercitæ, & exercitæ non in vnam vel alteram personam, sed in subditos vel omnes vel plerosq;. Distinguendum accurate est inter principem morosum, difficilem, grauem, acerbum, & inter Tyrannum. Paterfamilias morosus, seuerus, grauis, acerbus, nõ est lupus aut Tyrannus in domo: ita nec Princeps in Repub. Ferendi sunt næui parentum etiam graues, & obtemperandum parentibus morosis quoque & acerbis, monente ac præcipiente verbo diuino: Sic etiam obediendum principi graui, acerbo, moroso. 7. Habet princeps ius in subditum & gentem, & ciuile & diuinum, sed subditus in principem ius non habet, nisi Naturæ perinde vt filius in patrem. 8. Quare si principi absoluto (de hoc enim hîc semper loquimur) subditus legitimè resistere velit, necesse est id fiat tantum in casu legis naturæ, qui est extremæ necessitatis & defensionis vitæ, quo subditi possint vitam suã defendere aduersus Principem, qui eam tyrannicè petit. Si pater irruat in filium eum occisurus, potest filius aduersus patrem se ac vitam suam defendere. 9. Cum verò in defensione vitæ contra priuatum, obseruentur accuratè limites inculpatæ tutelæ, ita vt nouies ictus sit excipiendus, antequam tu lethalem inferas, prout ista ICti anxiè determinant, quantò grauiores & strictiores cautelæ obseruandæ fuerint in casu inculpatæ tutelæ aduersus principem. 10. Inter eas autem cautelas etiam ista est, quod ad defensionem aduersus priuatum sufficiat priuati sese defendentis voluntas; ad defensionem verò aduersus principem, tanquam personam publicam, requiratur consensus publicus. Quare si non consentiat tota Respub. non est aliquid moliendum aduersus caput Reip. sicut fiebat à Bruto & Cassio, & aliis paucis, qui clam conspirabant in Cæsarem. Et quia principi resistitur eo fine, vt publicus status emendetur & reformetur; reformatio autem status publici non est priuatorum, sed eorum, qui publicam authoritatem habẽt, idcircò resistentiæ autores nõ

debent esse priuati, sed tales, qui vel antè habent publicã aliquam potestatem, vel in quos publico consensu potestas publica in ea Reip. necessitate confertur. Vnde iterũ apparet, quanta sit difficultas, & quantum periculum in Resistentia. Nam primò id difficillimum fuerit probatu, omnes subditos, aut plerosq; saltē ita extremè læsos esse à principe, vt lex Naturæ defensionem postulet. Multò autem difficilius fuerit istius tutelæ ac defensionis limites non excedere; difficillimum verò habere omnes, aut saltem maximam partem subditorum consentientem in id, quod principi sit resistendum. Etenim in hoc casu, si in vllo alio maxima est voluntatum discrepancia & scissio in partes varias. Et quamuis initio consentiant, tamē facilè postea leui de causa mutant voluntatem, & te destituunt, secundum illud: *Vulgus mobile est vt mare; affluit & defluit.* Idcirco etsi iusta sit resistendi causa, tamen successus rarò sunt felices, quia nimirum plerunq; hîc peccatur in modo agendi; bona autem causa malè agendo corrumpitur. Et ausim dicere in huiusmodi negotio omnium humanorum negotiorum periculosissimo, aut nunquam aut rarò aliquid tentari posse, quin in modo agendi sub prima presertim initia grauiter peccetur. Vnde etiam fit, quod primi autores Resistentiæ rarò rem finiant, sed plerumq; ita intricentur, vt sese expedire non possint: Die ersten Anfänger führen es selten auß/dicũt Germani. Postea successores eorum exemplò moniti, vbi & qualiter in modo agēdi peccatum sit, rem vix demum ad feliciorem aliquem euentum deducunt. Sed & pro duodecimo ista inprimis cautio circa resistentiam obseruanda, vt illi, qui statum publicum mouere volũt, accuratè considerent, vtrum non maius malum ex ista cōmotione sit oriturum, quàm sit illa ipsa tyrannis, quam tolerant, atq; adeò an non corpus Reip. ita sit cacochymum, ita prauis humoribus plenum, vt si eos humores moueas, de vita ipsa sit periclitaturum. Medici sanè non mouent temerè humores in corpore cacochymo, & habent id pro mortifero. Idcirco & Hippocrateũ nobile & graue monitũ, τὰ πέπονα φαρμακεύειν; omnibus sapientib. nō tantũ Medicis, sed & inprimis Politicis fuerit magnifaciēdum. Sæpè princeps prauus est; sed & simul subditi;

sæpe

ſæpe morbus è corpore in caput regurgitat. In tali caſu non eſt reſiſtendum principi vtut peſſimo; quia ſi reſiſteretur principi, vtique ſubditis, qui ipſi praui ſunt, aperiretur feneſtra ad omnem effrænatam licentiam, & ad omnia diſciplinæ repagula refringenda, id eſt, introducetur Anarchia, quæ quauis tyrannide deterior eſt; vtpote in qua pro vno tyranni innumerabiles exiſtunt, ita vt nihil planè ibi ſit ordinis, ſed mera confuſio ac diſordinatio, vt ſic loquar; cum ſub tyrāno principe aliqua adhuc ordinis ſaltem particula remaneat. Illud enim Auguſtini, l. 1. de Ciuitate Dei, cap. 21. *ſub tyranno nullam eſſe Remp.* non ita abſolutè & ſimpliciter intelligendum eſt, cum Politici diſtinguant inter tyrannidem & Anarchiam. De quo etiam præclarè monet Chryſoſt. Homil. ad populum Antioch. *Præſtat*, inquit, *Regem tyrannum habere, quàm nullum*: & Tacit. lib. 1. Hiſt. *Melius ſub malo principe eſſe, quàm ſub nullo.* Et hactenus quidem de Reſiſtentia contra principem abſolutum.

§ *Qui fiat, quod, cum ante aliquot ſecula tot fuerint tantaque Gentium migrationes, proximis his tribus quatuórve raræ illæ fuerint, aut nullæ?*

Grauiſſimas non ſolum Rebuſpub. quibusq; maximis, ſed toti etiam humano generi mutationes pepererе illa bella, quæ ab exteris gentibus cum omni familiâ domo migrantibus, nouaſq; ſedes quęrentib. illata ſunt, non vt imperent incolis, ſed vt ſuccedãt, & patria illis terra fiat, q̃ hoſtilis erat, indigenis pulſis cæſiſve. Nam vt Saluſtius ſub finem belli Iugurthini narrat, Gallis, aut Germanis potius vel Cimbris in Italiam effuſis, Romanus populus, qui cum cæteris hactenus gentibus de Imperio dimicauerat, cum his de ſingulorum hominum ſalute pugnauit. In cæteris enim bellis, vt addit Machiauel. lib. 2. diſput. cap. 8. victori eos remouiſſe ſufficit, qui imperabãt; hîc ſingulorum vita appetitur atque fortunæ. Plurima eiuſmodi omnibus ſeculis extitere, & terris omnibus. Et vix vllam gentem reperias, cui vna tantum fuerit ſedes, quæ non ſuam patriam deſeruerit, vt alienã poſſideret,

pellens alios, ab aliis pulsa. Taceo reliquas gentes; vna nostra Germania cum confinibus illi populis, Septētrionē versus longè latéq; diffusis: quos vno nomine *Cimmerios* aut *Scythas*, deinde *Celtas* & *Galatas*, deniq; *Gallos*, siue quod ita vocarētur, siue ignoratione rerum nostrarum, Græci Romanique veteres appellarunt. Lazius de migratione gentium lib. 2. & 3. & 5. Philip. lib. 2. Chronic. sub Regibus Syriacis, & paulò antè sub Persicis: quàm validè, quam variè cum exteris nationibus, cum vicinis, secum ipsa conflictata est? Consulat, si quis volet Wolfgangum Lazium, qui toto illo volumine, quod de migrationibus gentium scripsit, nihil ferè agit aliud, quam de Germanorum migrationibus, mutationibus, translationibus. Itaque nullus Romanis terribilior hostis erat, quàm hæ gentes instar apum examinis, in amœniores istas terras effundi solitæ. Illi primi Romam ceperunt, illi vltimi, imò soli. Nam Celtas illos siue Gallos, qui Italiæ fertilissimam terram (Galliam Cisalpinam) insederunt, qui, vt ait Oros. 2. cap. vlt. infelices vix mille hominū reliquias, fame, peste, desperatione, formidine territas, subactas vēdidere mille auri libris; quos postea à Camillo exule fusos, fugatos narrat Liuius, officioso mendacio suæ ciuitatis solatus infamiam, vt asseuerat Bod. lib. 5. de Rep. c. 5. & Alber. Gent. lib. 1. de armis Romanorum, cap. 5. Quiq; postea, vt loquitur de iis Liu. lib. 8. Decad. 4. per asperrimam Illyrici oram, Pæoniam inde & Thraciam, pugnando cum ferocissimis gentibus, emensi, sedes in Asia fixerunt, Gallogræciæ nomē dederunt, Græcos oppugnarunt, & tandem ob spoliatum templum Delphicum, partim à Ptolomæo Euergete cæsi, partim à Græcis fulmine & procella adiutis fugati sūt ac dispersi. Pausan. in Phocide, Callimach. Lazius, lib. 2. Philip. lib. 2. Chron. Hos, inquam, Celtas, Teutonas fuisse seu Germanos multis ostendit Lazius cit. loc. & approbat Philippus. Illos verò, qui labente iam Romano Imperio, Romanorū armis exerciti, arma contra ipsos verterunt, & Imperiū, quod (vt testantur Boter. libro 9. cap. 2. Henric. Sauiles in Comment. de militiâ Rom. pag. 20.) diu defenderant, ipsi inuasêre Gothi, Vandali, Longobardi, Hunni, Burgundiones, Gepidæ, Franci, Heruli, Boii, Taurisci, Carni,

Sueui,

Sueui, Marcomanni, magnis vndique agminibus effuſi, quis dubitet Teutonicæ fuiſſe originis & gentis? Atque hinc illæ in omni Europa mutationes Imperiorum, linguarũ, morũ. Quid quod in ipsâ Germania vix vlla gens ſuam ſedem tenet: Plerarumque olim maximarum, hodie vix exiguæ reliquiæ reſtant, & ex illo gentium terrore nihil niſi nomen eſt reliquum. Neque minus crebrum aliis Nationibus fuit patriæ faſtidium. Nam quid ſibi volunt, inquit Seneca in Conſol. ad Helb. c. 6. in mediis Barbarorum regionibus Græcæ vrbes? Quid inter Indos Perſasque Macedonius ſermo? Scythia & totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus, ciuitates Achaiæ Ponticis impoſitas littoribus oſtentat. Non perpetuæ hyemis ſæuitia, non hominum ingenia ad ſimilitudinem cœli ſui horrentia, transferentibus domus ſuas obſtiterunt. Athenienſium in Aſia vrbs eſt Miletus, ea octoginta vrbium populum in diuerſa effudit. Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuſcos Aſia ſibi vendicat. Tyrii Africam incolunt, in Hiſpania Pœni; Græci ſe in Galliam immiſerunt, in Græciam Galli, &c. Vix denique inuenies vllam terram, quam etiam nunc indigenæ colant. Permixta omnia & inſititia ſunt. Alius alii ſucceſſit. Hic concupiuit, quod illi faſtidio fuit. Iſte vnde expulerat, eiectus eſt. Cæterum proximis hiſce ſeculis, inquietis cætera, ab hac vnâ re quies fuit, à qua olim minimè erat. cauſa vtriuſque rei quæritur, & affertur ab aliis alia: Cur olim tam crebræ populorum fuerint transportationes, eleganter declarat Seneca cit. loc. Alios, inquit, excidia vrbium ſuarum hoſtilibus armis elapſos, in aliena ſpoliatos ſuis expulerunt. Alios domeſtica ſeditio ſubmouit; alios nimia ſuperfluentis populi frequentia ad exonerandas vrbes emiſit; alios peſtilentia, aut frequentes terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis ſoli vitia eiecerunt. Quoſdam fertilis oræ in maius laudatæ fama corrupit; alios alia cauſa domibus exciuit ſuis. Et paulò ante: Inuenio, inquit, qui dicãt, ineſſe naturalem quandam animis irritationem commutandi ſedes, & transferendi domicilia. Mobilis enim & inquieta mens homini data eſt. Nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitatio-

„ nes suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga & „ quietis impatiens, & nouitate rerum lætissima. Vtique „ non ex terreno & graui concreta corpore, ex illo cœlesti „ spiritu descendit; Cœlestium autem natura semper in „ motu est, &c. Denique, addit: *Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam.* Quod postremum accu„ ratius tractat Lipsius lib. 2. de Constan. c. 11. Vt, inquit, ii, „ qui magna plantaria habent, arbores alias transferunt, „ alias inserunt, alias excidunt; eaque omnia peritè admi„ nistrant, & in bonum inque fructũ: sic in vasto hoc mun„ di agro Deus. Videt gentem illam retorridã & virtutum „ iam effœtam, eiicit. Aliam asperam & infrugiferam; „ transfert, & quasdam etiam inter se confundit, & velut „ insitione quadam miscet. Vos, labente imperio, ener„ ues & fracti Itali, quid optimã terrarum occupatis? Ce„ dite, & duri illi robustique Longobardi felicius exerce„ ant hãc glebam. Vos mali & molles Græci perite; & cru„ di illi Scythæ pangantur & mollescant in hoc solo Item„ que confusione quadam gentium; vos Franci Galliam, „ Saxones Britanniam, Normanni Belgicam & finitima „ occupate. Hæc ille. Iam facilius liquere potest, quid hodie gentes in suis sedibus teneat. potissima causa videtur, quod Septentrionales hæ regiones (hinc enim plerasque migrationes in meridionaliora loca institutas historiæ tradunt, vnde Iornandes *Scandiam*, Daniæ hodiernę partem, *vaginam gentium* vocat, de quo vide Bodin. lib. 3. Meth. Hist. c. 6. Richter. axiom. Polit. 25. Danæ. lib. 3. Politic. Christ. cap. 5. propter cœli, soli, gentiumque ipsarum incultam asperitatem) quod, inquam, istæ nunc omnibus rebus excultæ sint magis, quam olim, siue terram, siue homines ipsos spectes, qui variis, vtilibusque artibus ita sunt deliniti pariter adiutique, vt nec facilè alios inquietent, & ipsi sese facilius alant. Nec ita frequentes olim erant mercium deportationes & nauigationes, vt nunc sunt, vbi florente admodum mercatura ad loca quæuis, etiam incultissima, omnis generis necessaria, quoad victum & amictum, & alias commoditates deuehuntur, vt patriæ suæ defectus supplere possint. Nec ita etiam viuaces sunt homines, vt olim, itaque nunc citius vnus alteri cedit, vt ita abundanter prouinciæ vno seculo reple-

lo repleri non possint: Forsan & morbi oppidorum siue pestes tam crebræ ac frequentes non fuerunt, quibus hominum multitudinem mors ita demeteret. Hoc omninò crediderim, tot homines è patria sua nō peregrinatos fuisse, vt nūc; quia & incultiora loca erant, & itinera minus tuta, & peregrinandi commoditas penè nulla; Linguarum etiam exterarum peritia, ne comparanda quidē cum ea quæ nunc est. Sed & illi, qui nunc restant versus Septentrionē Barbari; Moschi, Tartari, Scythæ, oppositos sibi habēt Polonos, Germanos, aliosque viros fortissimos (verba Machiauel. cit. loc.) qui perpetuas habent cum iis dimicationes, eosque prohibent, ne transeant, &c. Quid quod etiam illa mentis humanæ mobilitas, & vagādi lubido, quam Seneca celebrat, magis, magisque in isto mundi senio torpere videtur, aut sicubi sese exerat, magis in singulorum hominum aut paucorum peregrinationibus, quæ hodie crebriores, quam vllo alio seculo, deferuere. Neque diuini hac in re consilii ratio nulla apparet: Nimirum inhibet summus ille Imperator minores hasce generis humani transportationes, vt maiorem paret; cum alios feliciori regno ac patriæ transcribet, alios æterno adiudicabit exilio.

6 *An Naturæ & Christianæ Religionis legibus repugnet bellum gerere?*

Inter veteres Tertullianus in lib. de Idololatriâ negat Christiani esse, interesse bello. Cui accedere videtur Lactantius diuin. Institut. lib. 6. cap. 6. In bellis enim, inquit, tollitur humanę societatis coniunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia; tollitur denique ipsa iustitia, quæ dissidium generis humani ferre non potest: & vbicunque arma fulserint, hinc eam fugari & exterminari necesse est. Nam, quomodo potest iustus esse, qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit? Itaque tantopere patientiā commēdant, vt nō priuatos modo hōmines ferre potius quiduis velint, quam armis decernere, sed regna etiam & reges. Hos sequuntur hodie Anabaptistę & Samosat. soboles, quibus nihil in veterib. prę ter næuos placet. Sed quàm lōgè illi aberrēt à naturę le-

gibus, quæ sui defensionem permittunt à Politicis & diuinis Magistratui gladium in manus dantibus, ne frustra eum gerat, id luculenter demonstratum à Patribus, quorum varias vndiquaque sententias Gratianus Caussa 23. Quæst. 1. & 2. compilauit; atque inprimis August. tum in quæstionibus in vetus Testamētum, Quæst. 44. in Num. & 10. in Iosuam; tum in lib. 1. de ciuitat. Dei, cap. 21. vbi inquit: *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides; qui Deo autore bella gesserunt*. Et in Epist. ad Bonifac. *Noli existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum præbuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti*. Et l. 2. aduersus Faustum, c. 73. & sermon. 19. de verbis Domini: *Militare*, inquit, *non est delictum, sed militare propter prædam est peccatum*. Cui suffragantur Ambros. serm. 7. Greg. l. 1. Ep. c. 72. & 73. Bernard. serm. ad milit. cap. 3. Inter recentiores Iohan. Caluin. lib. 4. Instit. cap. 20. sect. 11. Danæus lib. 7. Polit. Christia. cap. 3. Vrsin. in disposit. Theolog. l. 2. disp. 44. atque inprimis Petrus Martyr in loco comm. de bello. & ad c. 2. l. 2. Sam. præclarè multa hac de re disputans. Nam quod obiiciunt, nullum in nouo Testamēto vel testimonium vel exemplum bella tanquam licita permittere: Cædes verò, odia, iras vbique prohiberi; & infirmum contra bella argumentum est & falsum; nam nec prætermissum omninò est, quod flagitant: nec, si prætermissum esset, quicquam efficerent. Neque enim Politiæ formandæ, sed spirituale Christi regnum instituendi ratio in Apostolicis literis quærenda est. In veteri autem Testamento bellum gerere non permisit modò suis DEVS, sed & iussit. Neque vlla interea ex aduerso accessit ratio, quam propter quod olim licuit piis, nunc non liceat. Sed & in nouo Fœdere idem approbatum est. Nam si Christiana disciplina (Augustini verbis Epist. 5. ad Marcellum loquar) omnia bella damnaret, hoc potius militibus consilium salutis petentibus diceretur; vt arma abiicerent, seque militiâ penitus subducerent. Dictum est autem eis: *Neminem concusseritis, nemini iniuriam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum*. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.

hibuit. Ergo & centurio ad fidem Christianã primus ex Gentibus conuersus, nihilominus sub Caligula & Claudio Impp. militauit. Actorum 10. Idem & fulminatrix illa Christianorum legio, Marcomannorum victrix imitata est. Itemque alia sub Mauritio Tribuno militum in Segusianis à Maximino ipso Imperatore propter fidem cæsa; Christiani præterea omnes Reges Principesque diuino fauore palàm sæpius confirmati adiutique, vt Constantinus, Theodosius, &c. Neque verò quoduis promiscuè bellum approbamus, aut illorum patrocinamur ambitioni, qui libidinem dominandi, causam belli habent; vt ait Salustius in Catilin. & ex omni occasione quærunt triumphum, Plin. in Panegyr. qui in armis ius ferunt, Liuius lib. 5. & belli exitum spectant, non causam. Senec. Herc. Fur. Meritò hæc culpantur in bellis, meritò damnantur: Nocendi cupiditas (verba Augustini ad Faustum lib. 22. cap. 74.) vlciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, hæc nisi vbi absint, legitimum bellum esse non potest, ac ne bellum quidem, sed latrocinium. Danæus lib. 7. Politic. c. 3. Itaque prima illa belli cura esto, vt iustum sit. Tale autem censet Lipsius lib. 5. Politic. cap. 4. illud, quod tria hæc habet iusta: ***Autorem, Caussam, Finem***; adde & *gerendi modũ*. Auctor iustus est ipse Princeps, aut ille, qui in quaque Republica loco Principum. Lipsius, Danæus citato loco. Bodinus lib. 1. de Repub. c. 10. ἐὰν δέ τις ἰδίᾳ ποιῆται πρός τινας εἰρήνην ἢ πόλεμον ἄνευ τοῦ κοινοῦ, θάνατος ἔστω ζημία: sanxit lege Plato lib. 12. de Legib. Idemque sancitur in Codice Iustinianeo toto tit. vt armorum officia, nisi iussu Principis, &c. & confirmatur l. desertorem, §. De re militari, lib. 3. §. ad legem Iuliam Maiestatis. Cum enim hoc præcipuum sit inter iura Maiestatis, nemini cõpetit, nisi qui iura Maiestatis habet. Arnisæus part. 1. cap. 11. Bodinus lib. 1. cap. 8. Causa vero iusta duplex; Defensio & Inuasio. Lipsius citato loco, aut vt alii apertius; vel defensoria, vel vindicatoria: potior tamen illa, cum iniuriam repellimus nobis sociisque illatam, quam ista, cùm vindicamus. Illud enim est non modo iustum, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur: Cicero pro Milone; & vt Ambrosius de Officiis: For-

titudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriã, vel defendit infirmos, vel à latronib. socios, plena iustitia est. Sed & vindicare licet iniuriã Deo & Reip. illatam. Danæ. l. 6. Christ. Polit. c. 3. Lipsius cit. loc. & August. in Iosuam q. 10. Ius est, ait, petere bello gentẽ eam aut ciuitatem, quę neglexit corrigere id, quod turpiter & improbè à suis admissũ sit. Idẽ sentiunt Isidor. in tota causa 23. q. 2. & Plato in Alcibiad. Xenoph. lib. 1. de Pædia Cyri, Ioh. Caluin. cit. loc. Pet. Mart. ad c. 2. lib. 2. Sam. Vrsin. dispoſit. The. lib. 2. disp. 44. Thol. lib. 11. c. 1. Boterus de iure bell. c. 17. Althus. c. 7. & 19. Lælius Zecchus lib. 1. c. 5. sect. 4. & seqq. Iul. Ferret. de re mil. li. 2. Lazar. à Schwendi in discurs. bell. p. 7. & seqq. Eos verò, qui illud Liuii 11. vsurpant: iustũ bellũ, quibus necessariũ, & pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes, vt Machiau. in Principe: minimè probamus, nisi cautius necessitates illius legis definiant, quas plerique ambitione propria dominãdi, rebellandiq; libidine metiuntur, Antimach. lib. 3. Theor. 1. Sed & finis iustus accedat, qui et in bonâ causâ potest esse malus. Lips. lib. 5. Pol. c. 4. Itaq; tenendũ illud Cicer. lib. 1. de Offic. *Ita bellum suscipiatur, vt nihil aliud, quam pax quæsita videatur.* Et Salust. ad Cæs. *Sapientes pacis causâ bellũ gerunt, & laborem spe otii sustentant.* Deniq; modus etiã gerendi belli rectus sit. Sunt .n. & belli, sicut pacis iura; iusteque ea non minus, quàm fortiter debes gerere. Liu. lib. 5 Lips. lib. 5. Polit. c. 3. Nec gerere tantũ, sed & indicere, & priusquã arma proferas, ius offerre; ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα οὐ νόμιμον ὡς ἐπ᾽ ἀδικοῦντα ἰέναι. Archidamus apud Thucyd. li. 1. *In eum, qui iure agere & satisfacere paratus est, nefas bellũ sumere tãquam iniuriũ.* Qua in re summa olim fuit Roman. Religio, qui nũquã arma mouerunt, quin prius ex formulâ veteri mitterent clarigatũ, id est, res raptas clarè repetitum. Plin. 22. Natur. histor. c. 2. & peculiares habuerunt huic rei Feciales à Numâ constitutos, de quorum iure, officiis, ritibus vide notatu digna apud Dionys. Halicarn. lib. 2. Quod ipsum tanti æstimant Cic. 1. Off. Hent. Rantzou. in Com. de bell. c. 5. lib. 1. vt legitimum bellum esse negent, quod non sit indictum. De quo latius vide Iohan. Valtrinum lib. 1. de re militari Romanorum cap. 11.

7 *An expediat Principem ipsum bellis & prœliis interesse?*

Principis

Principis in bello præſentiam magnũ afferre momen-
tum ad victoriam, conſentiunt plerique Politici, Bodin.
lib.5.de Rep.c.5. Toloſ.lib.11.de Rep.c.4. Franciſ.Patrit.de
Rep.lib.7.tit.2.pag.429.& l.9.tit.2.p.579. Danæ.in Aphor.
Polit.lib.7. Richt. Axiom. Polit.424. Boterus de Polit. Il-
luſt.lib.3.c.2. Ille .n. in exercitu veluti Numen quoddam;
ex quo milites ſpiritus animosq; ſumunt: Propius illius
imperiũ, vt qui inter ſuos agit; fidelius, vt qui de ſuis; cer-
tius quoque & expeditius, vt qui ſuperiorem, à quo pen-
deat, nõ habet. Adſit ergo exercitui ipſe Imperator debi-
tus, membris caput; Naui gubernator; neq; alii clauũ in
manus tradat, & imperii neruos, cũ contẽptu ſui ac da-
mno: Adſit idem ſpectator virtutis ſuorũ, idemq; calcar.
Cuiꝰ in oculis quiſquis pro ipſo mortẽ fortiter oppetet,
immortalẽ ſe gloriã adeptum ratus, nec dolorẽ ſentiet,
nec mortem. Nimirũ vrget præſentia Turni, vt Maronis
illud habet, & ſæpè exercitũ fugæ proximũ voce reuoca-
uit Princeps, aut proprii corporis obiectu in hoſtẽ repu-
lit. Multi .n. illius reuerentur imperiũ, qui alienũ recuſa-
rent; illius periculo erubeſcunt, qui alienum contemne-
rent. Quid Alexander M. & Iulius Cæſ. in ſummo prælio-
rum diſcrimine, præcipuè aduerſus Marinos, & deinde
Pompeii liberos pręſtiterit, notũ eſt. Illud verò memora-
bile, quod nonnunquã Principis etiamnũ infantis ſolus
in acie conſpectus tantũ animorũ addere militibus po-
tuerit, vt victi antehac, tũc victoriã de manibus hoſtium
extorquerent: Quod Macedones olim contra Illyricos;
Franci pro Clotario cõtra Childebertum; Brabanti pro
Godefrido ſuo contra Bartholdos feciſſe leguntur; af-
fectui illarum gentium & amori in ſuos Reges imputan-
dum. Patritius cit.loc. Ianſon.in princip.lib.6. Mercurii
Gallobelgici. Richterus cit.loco. Cæterum cuiuis pro-
pterea periculo Regis caput ac vitam obiicere, nec Regi
conſultũ videtur, nec militi. In cæteris enim vnius qui-
dem hominis, iactura eſt; in ipſo vniuerſi exercitus verti-
tur ſalus. Henr. Rantzou.lib.2.Comment.bell.c.3. Itaque
ſuadent Politici, Principem debere quidem intereſſe
bello, grauiori præſertim; ſi ipſe conſilio, virtute, pru-
dentia valeat, ac reliquis Imperatoriis artibus, quas ac-
curatè recenſent Lipſ. in Polit. lib.5.c.15. Leo Imperator
de bellico apparatu, cap. 2. atque inprimis Xenophon

in laudatissimo suo Cyro lib.1. Sin verò ab his destitutus, duces circa se præclaros habeat, præstare aiunt horum consilio & autoritate bella geri. Quod Imperator Iustinianus secutus Belisarii & Narsetis Ducum virtute Gothos Italiâ, Vandalos Africâ expulit, Persarum tumultus compescuit. Ipsius virtus pacis operibus enituit; felicitas virtute Ducum æstimata est. Sin verò, vt optandum, bello sit ipse idoneus, omninò debet non interesse modò, sed præesse castris: prælio tamen & aciei se suumque caput haud temerè credere, neque quod M. illi Alexandro crebrò olim vitio datum, feliciùs quàm consultiùs in aduersa arma ruenti, suam, imò totius exercitus salutem vni veluti ictui exponere. Scipio dixit: *Imperatorem me mater genuit, non militem*, nempe gregarium, qui omnibus armorum periculis obiiciendus sit. Grauioribus suam virtutem reseruet periculis. Ita bellum gerat, vt quàm minimum sibi sit belli. At si laborare suos in acie animaduertat, iamque Imperatorem omnes respicere, tum verò superueniat suis auxilium, hosti nouus de integro terror, aciem restituat, suos fidenti animo, vultu, voce recreet, ignauos imperio premat; ac si extrema necessitas vrgeat, ipse cum lectis in aduersos hostes feratur, pudore suos ac æmulatione & metu incensurus.

8 *Quantus debeat esse iusti exercitus numerus?*

Græcus ille scitè monet: χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ, καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν: *Manibus opus est in bello, non nominibus multis.* Nam vt Veget.1.cap.8.ait, in omni conflictu non tam prodest multitudo, quàm virtus. Cui vsui, inquit Lipsius lib.5. Politic.cap.5. quamuis magna equitum peditumque multitudo, si ignaua, imperita, & tantum multitudo? Non vires ea habet, sed pondus: Estque impedimentum magis, quàm auxilium. Vbi, inquit Cyrus apud Xenophont. lib.5. Pædias, timidi sunt milites, quo plures sunt, tanto maiore atque insigniore terrore tenentur. Et paulò post: Quod si in bellicis operibus ex multitudine victoria pendet, meritò nobis metueremus, & in præcipiti versaremur periculo. Sin ab iis, qui forti-

ter pu-

ter pugnant, de præliis fit iudicium; præsente nos animo esse iubeo. Nam Diis iuuantibus, multò plures apud nos inuenies, qui pugnare velint, quàm apud hostes, &c. Hæc ille. Itaque haud vanè Seneca lib. 6. de Benef. cap. 31. introducit Demaratum Lacedæmonium Xerxi multitudine exercitus tumido vaticinantem; ipsam illam quâ sibi placeret multitudinem indigestam & grauem, metuendam esse ducenti: immodica nunquam regi posse, nec diu durare quicquid regi non potest. Ob hoc ipsum, inquit, te Græcia vincet, quia non capit: vti toto te non potes. Præterea, quæ vna rebus salus est, occurrere ad primos rerum impetus, & inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire ac firmare labentia. Multò antè vinceris, quàm victum esse te senties. Nec est quod exercitum tuum ob hoc sustineri putes nõ posse, quia numerus eius duci quoque ignotus est: nihil tam magnum est, quod perire non possit; cui nascitur in perniciem, vt cætera quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa. Acciderunt quæ Damaratus prædixerat; tanti exercitus ducem trecenti stare iusserunt; stratusque per totam passim Græciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. Itaque præstantissimi quique Duces oculos ad virtutem magis, quàm multitudinem adiecerunt. Alexander M. tribus myriadibus peditum, & quatuor millibus equitum Orientem domuit. Et qui illius nomen tulit Georgius Castriota, cum nunquam sub signis suis vltra sex millia equitum duceret, multas splendidas ab Amurathe & Mahomete Turcicis tyrannis victorias reportauit. Sertorius legitur crebris suorum militum exercitiis tantum effecisse; vt octo circiter millium suorũ militum manu, aduersus quatuor Romanos duces bellum gesserit, etsi sub iis peditum centum viginti, Equitum septem millia essent. Cottam nauali prælio superarit, Phidium Prætorem in fugã egerit: Domitium Iberiæ Consulem contriuerit: Toranium (*Torium* Florus vocat) cum toto exercitu deleuerit: Metellum in tantam necessitatem compulerit, vt L. Lollius ex Narbonensi prouincia, & Pompeius M. ex vrbe summâ cum festinatiõne ad eum mitterentur. Quin & lege diuinâ permissum, timidis & formidolosis abire exercitu; Causa addita; ne si-

mili pauore commilitones inuoluerent. Deut.20. Idem domesticis curis intentis concessum; maiore apparet, fortitudinis quàm numeri militum ratione habitâ. Simile Hannibalis institutum; qui expeditionem in Italiam suscepturus, septem millia Hispanorum, quorum pusillanimitatem animaduerterat, domum remisit, corruptioni magis, quàm paucitati exercitus sui metuens. Quis ergo, inquis, sufficiens in exercitu numerus? Scitè olim Archidamus Lacedæmonius, Bellum, dixit, definita non quærere; πόλεμος ἀπύθμενον πίθος. Sunt qui tanti virtutem sui militis æstiment, vt de numero non sint admodū solliciti. Fronsbergius Dux celebris scribit 1200. milites ad quamuis præliorum dimicationem sufficere. Alii & virtutem in exercitu & numerum requirunt; illam enim sine isto parum profecturam; istum sine illa etiam obfuturum: Exercitum ad virtutem & vitia esse æqualiter pronum; ad alterutrum ducem habeat, tantò plura in vtroque editurum facinora, quantò numerosior ipse fuerit. Ad Turcicum bellum in conuentu Ratisbon. anno 1594. propositum est opponendum Turcis exercitum 60000 virorum. De la Noue Disc.24. Pol. ad Turcam quadriennio omni Europâ pellendum præter nauales copias, quas ad hanc rem necessarias iudicat, requirit 40000 equitum, 50000 peditum. Sed vt diximus, tota huius rei definitio ex circumstantiis pendet. Videat Dux prudens, quid hostilis potentia postulet, sua ferat; illa tantum prima cura sit, vt milites habeat, non nomina; nec turbam alat, sed exercitum.

9 *Vtrum præstet equitatus an peditatus?*

Vtrumque in bello, & equitem & peditem necessarium esse, in confesso est. Nam nec in prælio tuti ac firmi equites, nisi peditatu subleuentur; neque in oppugnandis vrbibus, itemque in locis palustribus & montanis vllum vsum habent. Contra verò ad protegendos pedites, tùm ad excursiones & prædas agendas, ad fugientes hostes persequendos, atque etiam ad equitatum hostilem sustinendum sunt necessarii. Machiau.lib.2.c.8. Lipsius lib.5.c.7. Boter.de Polit.Illust.l.10.c.9. Animaduertit hoc Archesilaus, Lacedæmoniorum Dux aduersus Persas.

Xenoph.

Xenoph. Hist. Græc. l. 3. & in Agesil itemque Xenophon Græci exercitus Imp. aduersus Tissaphernem. Xenoph. de exped. Cyri minoris, lib. 3. cum in itinere ab equitatu hostili lacessitus, nec progredi posset, nec consistere, nec si pugnare vellet illos fugiẽtes insequi, quòd ipse equitẽ haberet nullum. Itaque & ille, & iste ad equitatum comparandum, vbi animum adiecisset, tum demum par hosti fuit. Atque etiam Cyrus libro quarto Pædias, ne alieno equitatu egeret, cum suis consilium init de parando proprio. Nos Persæ, inquit, iis quidem armis instructi sumus, quibus hostes nobiscum pedem conferentes videmur in fugam vertere posse. Verùm in fugam actos, quosnam equitum aut sagittariorum aut capere possimus, aut interficere, quum equis destituti simus? Et quid trepidabunt nos aggredi ac lædere, quũ certò sciant, nihil esse periculi, ne plus à nobis detrimenti capiant, quàm à consitis arboribus? Illud tamen ambigitur, vtrius maior in omni bello vsus, & in quem plurimum sumptuum expendere Respulica debeat. Plerique peditem præferunt. Henricus Rantzouius libro 1. Comment. bell. cap. 11. asserit, nostrâ hac tempestate equitum robore plus semper effectum, cùm in acie hostili perfringendâ, tùm in ipsis hostibus aut opinione celerius circumueniendis, aut ab iisdem commeatu & auxiliis auertendis. Et Polyb. peritus alioquin scriptor lib. 3. *Melius est ad belli vsus, dimidiam partem peditum habere, & præualere numero equitum, quam omnia paria hostibus nactum in aciem descendere.* Sed contrariam sententiam Machiauellus lib. 2. cap. 18. tuetur, & Lipsius libro quinto Politicorum, capite septimo, Boterus libro decimo, de Polit. Illustr. cap. 9. eamque tum exemplis veterum Ducum, præsertim Romanorum, tum rationibus probare nituntur. Xenophon ad suos milites libro 3. de expeditione Cyri. Quod si quis vestrum, inquit, minus fidenti est animo propterea, quod ab equitibus destituti simus, quorum copiam hostis habet, cogitetis velim, Equites CCIƆƆ. nihilo plus esse quàm CCIƆƆ. homines. Nam ab equi vel morsu, vel calcitratione nemo facilè in prælio periit: Viri sunt, per quos in pugnis omnia geruntur: Atque nos quidem

„ multò quàm equites tutiore vehiculo vtimur. Nam illi
„ ab equis pendent, neque nos tantum metuunt, sed illud
„ etiam ne ab equis excutiantur: nos terræ firmiter innixi
„ vehementius feriemus, & certius. Vna tantum re nobis
„ præstant equites, securiùs quàm nos fugam arripiunt.
Iam vt cæteros bellatores mittam, Lacedæmonas, Græcos, Macedonas, quos plus semper peditum robori confisos, quàm equitibus, apparet passim ex Herodot. Thucyd. Xenophon. Curt. Iustin. Romanorum quoque illud fuit institutum solenne, plus semper in pedite habere ac sperare virium. Machiauell. cit. loc. Legionibus suis orbem terrarum subegerunt; in quibus equites vix decima pars erant. Polyb. lib. 1. pag. 6. & 3. pag. 101. & 6. p. 180. dum scribit de libera Repub. vnicuique legioni attribuit ducentos, & graui aliquâ ac insolitâ de causâ trecentos. Legio autem peditum erat sub Romulo quidem trium millium. Dionys. lib. 1. & 2. Plutarch. in Romulo. Varro l. 4. de lingua Lat. Qui numerus postea continenter adscendit modo ad quatuor millia, modo altius; Polyb. lib. 1. pag. 6. & lib. 2. pag. 101. & lib. 6. pag. 180. Appianus in Mithridatico pag. 141. quinque legionibus dat equos mille sexcentos. In Macedonico, anno V. C. 581. Legioni tribuuntur trecēti triginta equi. Liu. l. 43. In Epitomâ l. 130. habemus, in bello Antonii Parthico sedecim millia equorum pro octodecim legionibus, insolito pro antiqua consuetudine numero, quòd ipsis res esset cum gente, cuius vires præcipuè in equite. Sæpe reperimus ducētos equos vni legioni assignatos; ita vt vix vnus eques viginti peditibus respondeat, proportione nimis dissita, Henric. Sauiles, de milit. Roman. p. 4. Ex quibus apparet, quāto plus spei ipsis in pedite fuerit. Quinetiam in ipsis præliis apparet sæpius, quantum equiti peditem prætulerint, vt cum laborantibus suis iussêre equites descendere, & iam pedites succurrere fessis, vt in pugna cum Latinis ad Regillum lacum, itemque cum Samnitibus in Satriculæ obsidione, & in pugna Cannensi. Quin & Germani olim peditem maximi fecere. De Cattis Tacit. de morib. German. *Omne*, inquit, *in pedite robur*. Additque: *alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum*. Neque rationes illorum sententiæ desunt. Pediti multa sunt peruia,

quæ

quæ equiti inuia. In montibus, ſyluis, vallibus, paluſtribus equitis quis vſus? Quis item in oppugnationibus vrbium, in defenſionibus? Lipſ. Boter. Henr. Rantzou. cit. loc. Qua in re tamen potiſſima hodiernæ militiæ ratio ſita eſt. Quid quod pedes ordinem & ſeruare facilè poteſt & reſtituere; Eques ordinis turbationem nec cauere facilè poteſt nec corrigere, Machiau. cit. loc. Adde quod vt inter homines, ita & equos magna diuerſitas; generoſi alii, alii inertes. quod ſi iam, vt ſæpe fit, audax equus ignauum ſeſſorem nactus, aut vir fortis equum inertem, alterius ſemper virtus, alterius vitio corrumpitur. Contra pedes nullius virtuti præterquam ſuæ fidit; expeditius hoſtem ferit, ſeſe defendit certiùs, firmiùs ſtat in acie: neque quicquam reſpicit præter hoſtem & ducem. Denique parabilior idem, & ſimul maior numerus peditum impenſa faciliore nutritur. Veget. 2. c. 1. Atque ex his quidem colligitur equitem pedite cætera quidem inferiorem eſſe, ſuperiorem verò in prælio; ac ne in omni quidem, ſed illo, quod in planicie committitur. Quanquam Lipſius ac Machiau. ne hic quidem equiti multum cedant. *Tardius*, ait ille, *vincit fortaſſe pedes, ſed certius*. Nam equeſtrium virium proprium citò parare, citò cedere victoriam. Tacitus de morib. German. Quin ipſum illum impetũ equeſtrem facilè excipit, ſi idoneus illi ordo & arma. Nam ſine ordine, inquit Ariſtot. 4. Polit. c. 13. inutilis pedeſtris armatura. Atque inde factum, ait, quod apud antiquos omne fuerit in equite robur; ratio enim & peritia ordinandi illis ignota. Imò Machiauellus aſſerit, citius equitum ordines à peditibus, quàm horum ab illis turbari poſſe. Et de la Noue Diſcurſ. Polit. 18. Paradoxo 2. modum præſcribit, quo quatuor mille pedites, bis mille cataphractos ſuſtinere in planitie poſſint. Itaque Lipſius ita rem definit, vt cenſeat in vniuerſum æſtimanti, plus penes peditem roboris eſſe; ideoque quod & Machiauel. poſtulat, eſſe Ducis boni, qui ſe non prælio debet parare, ſed bello, curare inprimis, vt peditatum quàm firmiſſimum habeat. Sed iſta, vt & alia in Politicis ita vniuerſaliter determinari non poſſunt, cùm pendeant à circumſtantiis Locorum, Temporum, Perſonarum.

9 *An miles auro argentoque ornare se in exercitu debeat?*

In vtramque partem exempla sunt & argumenta. Sertorius, summis ducibus annumerandus, auro & argento interpolata arma militem suum habere voluit, paludamentaq; pretiosa, conspicuis coloribus distincta. Cæsar milites habebat, inquit Sueton. tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret; simul & ad speciem, & quo tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Et Scipio in eadem sententia. Bot.l.9. cap.5. Et Asiatici, inquit Xenoph. l.4. Pæd. cum expeditiones instituunt, res maximi precii secum sumunt. Aiunt enim, se pugnandi magis esse cupidos, cùm charissima quæ habent, adsunt. Nam alacriter hęc tuendi sibi necessitatem imponi. Fortassis, addit Xenoph. ita se res habet, aut etiam hæc fortassis, vt voluptati indulgeant, faciunt. At Hannibal Antiocho exercitum pretiosis armis vestibusque, & auro argentoque politum ostentāti, quęrentique sufficerent-
„ ne hæc Romanis; Herclè vero, inquit, etiàm, si auarissi-
„ mi sint; aliorsum ac ipse quæsierat respondens, simulque
„ illius vanitatem irridens, qui non animaduerteret, ista
„ hosti plus animi additura ad prædam, quàm suis ad pugnam. Mithridates exercitum suum superbis armis nitidum Romano succubuisse animaduertens, serò tandem aurum argentumque chalybe ferroque mutauit. Ad hos accedit Lips.l.5. Pol.c.13. statuitque ex Liu.9. *Hor-*
„ *ridum militem esse debere, non cælatum auro argentoque, sed*
„ *ferro & animis fretum.* Quippe illa prædam verius quàm
„ arma esse: nitentia ante rem, deformia inter sanguinem
„ & puluerem. *Vanus auri argentique fulgor nec tegit, nec vul-*
„ *nerat.* Tacit. ad Agric. Neque tamen tantorum Imperatorum autoritatem aspernari possumus; quanquam ille Cæsaris autoritatem eleuet, quod rigidæ & priscæ disciplinæ adeo non fuerit retinens, vt sit iactare solitus, *Milites suos etiam vnguentatos benè pugnare posse.* Itaque sic arbitramur: Huiusmodi arma non cuiuis concedenda, sed veteranis tantum, aut illis, quorum virtus multis periculis spectata est atque exercita; simul & præmium virtutis & calcar. Verisimile enim est, vbi ad pristinam glo-

riæ eu-

tia cupidinem, damni quoque metus accesserit, multò acrius pugnaturos. Tales ergo erāt Cæsaris, Sertorii, Scipionis milites; Antiochi, Mithridatis, Asiaticorum minimè tales. Ita Macedonibus istis, quos ex Curt. 3. memorat Lips. non auro neque discolori veste, sed ferro atque ære fulgentes: Persarum deinde Orientisque victoribus permisit Alexander, imò dedit argento auroque polita arma, vt inde *Argyraspides* dicerentur. Illos autem, qui militiæ adhuc sunt tyrones (Tyrones verò non annis, sed animis æstimādi sunt) quis putet armorum precio excitari posse, quos aut vitæ, aut gloriæ cupido non erigit? Altera cautio est, ne in luxum res ista degeneret, neve sumptus in talia effusi Ducem pariter exercitumque exhauriant. Ducem ipsum Boter. l. 9. c. 5. de Polit. illust. mauult esse contemptorem talium, magisque bonis armis delectari, quàm pulchris. Rectè autem Senec. Ep. 77. gladium bonum esse dicit, non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus.

II *Quomodo pecunia dicatur neruus belli?*

Machiauell. lib. 2. disput. c. 10. acriter disserit aduersus tritum illud; *pecuniam esse neruum belli*: Politicorum Ducumque omnium calculis approbatum. Mucian. apud Dio. in Vespas. exclamat: *Non belli modò, sed imperii neruos esse pecunias*. Lipsius lib. 4. Polit. cap. 9. vocat *eas neruos, caput, pedes*. Summa disputationis est: Non pecuniam, sed militum ducumque virtutem belli neruum esse. Illa vbi adsit, auri parandi copiam deesse non posse: vbi absit, pecuniam nihil esse aliud, quam hostium irritamentum, domini proditorem. Ferro bella geri, non auro. Aurum ferro eripi. Neque pecuniâ milites parari; sed militibus pecuniam. Si thesauri bella conficerent, potuisse à Dario Alexandrum; ab Antiocho Romanos; suaque memoria Heluetios à Carolo Burgundico superari. Titum Liuium censuisse, si Alexandro Magno cum Romanis bellum fuisset, non auri argentique copiâ certamen illud dirimi potuisse, sed militū virtute; ingenio Imperatorum; vi fortunæ, per omnia humana, & maximè in res bellicas potentis. Ac vera quidem illa sunt, quæ de virtu-

tis militaris præstantia differit. Et fatemur eam primariam victoriæ & præcipuam causam, atque adeo cor, caputque belli esse, aut si mauis manus, pedesque: Vt verò sine neruis nec progredi, nec agere quidquam possis; ita frustra militaribus istis manibus corripere hostem coneris, sine his pecuniæ neruis. Instrumentū eæ sunt subsidiumque belli necessarium; sine quo nec viuere miles potest, nec vincere. Taceo iam, quantas in exercitu seditiones sæpè denegata aut dilata stipēdia excitarint; tantamque in milite fingo modestiam, vt Ducis egestatem fideli, suam æquo animo ferat: certè cum natura pugnare miles non potest, quantumuis fortis; vt hostes vincat, famem non vincet: Commeatu ergò opus: at vnde ille nisi pecunia præstò sit aut opes? Itaque Cambyses Cyri pater apud Xenoph. lib. 1. Pæd. illum ridet, qui professus se artem militarem Cyrum docuisse, nihil tamē de commeatus, nec de pecuniæ parandę ratione, aliisque Imperatoris officiis monuisset; Cyrumque corripit, quod solis Cyaxaris opibus fretus, nihil de hisce ipse cogitaret. At, inquit Machiau illa ex hostico paranda sunt. Rectè verò; idem enim ferè consilii suo Cyro ibidem Cambyses dedit: paranda sunt: Necessaria ergo; nec subsistere sine iis militia potest. Quid vetat ergo neruum belli vocari, sine quo nec stare illud, nec progredi potest; quodque summè necessarium dux habet, siue ante possideat, siue deinde adquirat? Stultitia verò foret, si inops qui esset, militem spe futuri conduceret. Alia est Alexandri & Romanorum ratio, quorum milites aliquandiu sine stipendiis militarunt. Supplem. Curt. Machiauel. lib. 1. c. 51. Dionys. l. 4. Ac ne sic quidem pecuniis carere potuerunt. Romanorum quanta anxietas erat bello secundo Punico, exhausto ærario, quantum periculum, nisi priuatorum liberalitas egestatem publicam subleuasset? Quid Alexandri Pater, an non plura pecuniæ, quàm armorum vi in bello confecit? Nec frustra illi oraculum dixit: Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα νικήσεις. *Hastis pugna argentatis, atque omnia vinces* Illud ergo concludimus: Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων: *Opus sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus.* Demosth. Olynth. 1. Illæ socios & milites dabunt: illæ hostes & vrbes perdent:

omnia

omnia castella hæc machina deiiciet, in quæ modo asellus onustus auro possit ascendere. Deniq; vt Thucyd. lib. 1. ait, Bellum est non in armis modo, sed in expensis & sumptibus, per quos efficacia arma & vtilia fiunt.

12 *Liceatne aduersus hostem dolis & stratagematis vti?*

Hostem oppugnandi duplex via est: Vis atq; consiliũ: Et consilio quidem solo sæpè multa efficiuntur & magna: *Vis verò consili expers mole ruit suâ.* Itaq; magni plerique duces plura consilio, quàm vi perfecere. Tacit. 2. Annal. & plus sibi ex illo laudis tribuêre, quàm ista. Spartæ è Ducibus, qui se abdicabant, illi qui rem consilio aut suasione perfecerant, bouem immolabant; qui prælio, gallum. Minorem scilicet maioremq; victimam pro re tali, Plutarch. Marcell. Consiliorum verò alia recta sunt & manifesta, quæ nihil habent simulationis aut doli. Obliqua alia sunt, quæ astu hostem, & tectis fraudibus fallunt. Illorum specimen præclarum dedit Lips. lib. 5. c. 16. His vti an liceat, ambigunt nonnulli; asserentes viri esse, nõ fraude, neq; occultis, sed palam & armatum hostes vlcisci. Vir nemo mentis altæ clanculum velit occidere hostem. Eurip. in Rheso. Laudat Achæos Polybius lib. 13. quòd ita abhorrerent à machinationibus istis & struendis dolis, vt nec hostes suos vellent per fraudem vincere: Censentes, neque splendidam, neque firmam vllam victoriam, nisi quis palàm & ex condicto depugnãs, animos quoq; deiecisset aduersariorum. Facile insurgũt iterum, qui dolo sese victos, non virtute putant. Itaque fraudes & viris indignas & bonis; abiuratas Christianis; Annibali Pœnisq; perfidis relinquenda: Satis multas iã esse corruptelas virtutis: fulmineas machinas pridem inuentas, satis iam virtuti infestas; quod si doli etiam accedant, nullum ei in bellis locum deinceps fore. Georg. Lauterb. im Regenten buch l. 3. c. 4. Illa optima esse & honestissima strategemata, quibus hostes in virtutis nostræ admirationem rapimus; animos hostiles bonitatis & fidei, & virtutis nostræ opinione frangimus. Talibus Romani Pyrrhum & Faliscos vicere, cum ipsorum proditores vinctos ipsis remitterent, & hostes hostem à ciuium

machinationib. tutum præstarent, maiore omnib. victoriis gloriâ. Talib. Scipionem vsum, cùm in Hispania captam nobilem virginem spōso suo illibatam restitueret, memorabili beneficio omnium sibi Iberorum animos cōciliaturus. Cætera versuta fortassè & callida, hæc honesta, ingeniosa, prudentia; cætera corporib. insidiantur & sanguini: hæc occultâ viâ animos ipsos honestissimis insidiis victos, victorib. captiuos tradunt. Cætera vt M. Alexand. Parmenioni ac aliis nocturnas ei fraudes suadentib. respondit, *latrones decēt ac fures*, Curt. Hæc duces, imperatores, reges. Quod si ita Ethnici senserunt & prophani: quid nobis faciendum? qui tantum à dolis abesse debebamus, quantum illi à pietate abfuerunt. Verùm enimuerò eorum qui ita sentiunt, inter quos Georg. Lauterb. c. l. vt candorem laudamus, ita æquitatem requirimus. Magna in manu & gladio laus est; maxima in virtute & clementia; sed quia nec illâ semper, nec istâ vti licet, media quædam via est, in ingenii maximè viribus sita, cuius gloria hac quidem minor est, sed maior illâ; quæ ita fallit, vt non fidem aut dignitatem propriam lædat, sed hostium tantum stultitiam puniat. Illa. n. duo cum Flor. l. 1. c. 12. & Lips. l. 5. c. 17. salua esse volumus, Fidem ac dignitatem. Fidem, ne quid in pactis aut fœderib. fallat, quod si fiat, nec pax vlla constitui, nec bella geri possunt. Vide Iacob. Scultet. in Quæst. *an Hæret. seruāda fides*. Henric. Rantz. comm. bell. lib. 6. c. 11. atq; etiam Machiauellū l. 3. c. 40. Georg. Lauterb. cit. lib. c. 6. & 11. Quod ipsū multis rationib. probare superuacuum videtur, cum naturæ iure & bonorum omnium consensu firmatum sit. Dignitatem, ne abiecta aliqua & improba ratione hostem tollere velit: vt si quis veneno grassetur, aut clàm immisso emptoq; percussore, aut aliis veteratoriis sophismatibus abutatur, cuiusmodi memorat Rantz. l. 6. comm. bell. c. 8. Werner. Gebbart in fürstlichen tischreden l. 1. c. 20. Impiū illud erat, hoc turpe & flagitiosum. Sunt. n. & belli iura gentium recepta consensu, nec omnis in bellis æquitas exulat, quæ propter æquitatem sunt ipsa. Illa ergo aut armis, aut consilio in hostem ire iubent; cæteras ad infamem victoriam vias reiiciunt. Quod si vero hostium inertiam callidis artib. circumuenire, & quod loco sapientiæ est,

tiæ est, alienam liceat stultitiam operiri, Tac. 2. hist. *nihil ad iustitiã interest*, inquit August. in quæst. super Ios. q. 10. *vt apertè quis pugnet, aut ex insidiis, modo bellum ipsum sit iustum.* Hostis. n. est, in quem ea vsurpamus, quem perdere mos fasq; est: & quid refert quomodo? Tritũ illud Poëtę innotuit: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Imò verò & tutior est, & laude dignior, & vt Spartani iudicarunt, homini conuenientior victoria, ratione & mente obtẽta, quàm illa per vim aut robur. Plut. Marcell. Cui accedunt Machiau. l. 3. cap. 14. & 40. Hippolyt. à Collibus in Principe cap. 22. Itaque boni duces, non aperto Marte, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant. Veget. lib. 3. cap. 9. Polyb. ille Achæorum paulò antè admirator lib. 9. inquit: *Facinorum militarium ea esse minoris laudis ac momenti, quæ propalàm & per vim patrantur, his quæ ex occasione & per dolum.* Romani quoq; bonũ quendam dolum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant; si aduersus hostem latronemve quis machinaretur. Vlpian. lib. 1. de dolo Agesilai vox: *Fœderatũ iniustè fallere, impium; at hostes, non solum iustum, sed etiam suaue & fructuosum.* Plutarch. in Apophth. Inprimis verò elegans est apud Xenophontem locus lib. 1. Pædias. Interrogat Cyrus patrẽm, quo pacto hostibus euadat superior. Pater, rem magnam, inquit, & multiplicem rogas. Scire enim debes, qui hoc pręstiturus sit, & insidiatorem esse oportere, & dissimulatorẽ, & fraudulẽtũ, & deceptorem, & furẽ, & raptorẽ, & quauis in re hoste superiorem. Arridens Cyrus, Deus bone, inquit, qualem me virũ esse, pater, iubes? Qualis, inquit, si fueris: & iustissimus sis, & legum obseruãtissimus. At qui fit, ait, vt nos pueri quùm essemus, & adolescentes his contraria docueritis? Imò verò, inquit ille, etiã nunc: nimirũ erga amicos & ciues: Verùm an nescis multa vos maleficia discere, vt hostes lædere possitis? Nam cur sagittãdi artem discebatis? cur iaculandi? cur rationem capiendi apros & retibus & foueis? cur ceruos pedicis & laqueis? &c. An non animaduertis hæc nihil esse, nisi maleficia, deceptiones, fraudes? Sunt verò, inquit Cyrus, sed aduersus feras; in homines non eadem licent. Nimirũ, ait pater, neq; sagittandi

„ artem in homine, sed in scopo vos docuimus; vt in bello
„ possetis etiam homines configere; ita decipiendi artem
„ in feris tradidimus, vt aduersus hostes vteremini. Deinde varias strategematum rationes addit, & varias venationum insidias elegantissimè ad militares accommodat. Deniq; vtile Imperatoribus monitum addit; ne iisdem frequenter molitionibus vtantur, sed nouas semper ipsi inueniant. Nam etiam in Musicis, quæ noua sunt, & ipso quasi in flore, vehementer illa quidem celebrantur; verùm multò magis bellicis in reb⁹ nouæ machinationes laudem merentur: quippe quæ hostem faciliùs fallant. Atq; harum variè struendarum rationem non huius est loci ostendere. Hauriet ea princeps tùm ex historiis Romanis, Græcis, tùm ex illis scriptoribus, qui ex professo hanc materiam tractarunt, vt ex veteribus, Frontino, Polyæno; hodie tùm alii, tùm pcipuè Henricus Rantzouius in peculiari de Strategematibus lib. & in suo comm. bellico, varias furtorum belli rationes accuratissimè explicat, quibus vti possis in acie, in castris, in itinere, in oppugnanda vrbe, in propugnandâ: in fluuiis transmittendis, angustiis euadendis, commeatu parando, literis celandis transferendisque, hostibus terrendis, tuis animandis, & si quæ alia ad militarem requiruntur astutiam.

13 *An præstet hostem foris adoriri, an domi expectare?*

Pleriq; ita sentiunt; præstabilius esse, anteuertere hostem, quam auertere; præuenire, quam præueniri. Richterus in axiom. Polit. 223. Bodin. lib. 5. de Rep. c 5. Crœsus apud Herodot. lib. 1. Danæus in Aphoris. Polit. p. 102. Boter. de Polit. Illust. lib. 6. cap. 7. Machiau. vero lib. 2. cap. 2. accuratiùs paulò rem discutit, & varias in vtramque partem rationes affert & exempla. Domi faciliùs commeatum parari, & omnia bello necessaria possunt: hostium conatus faciliùs eludi & impediri, tùm ob locorum peritiam, tum quod ille in hostium, nos in amicorum agro simus. Maioribus illi viribus obuiam iri posse, minore periculo. Nam nec magnus exercitus sine ingenti sumptu educi potest; nec sine internecione vinci, quod in- hostili

hostili & ignota terra pauci fugâ possint euadere. Domi contrà, vt pessimè res cadant, etiam victas facilius est vires restaurare; & plurimos ex infelici pugna seruari, quòd nec longinquâ fugâ opus sit, nec in terrâ ignotâ. Quin etiam accendi militem patriæ, parentum, liberorum, vxorum conspectu, vt vitam pro illis velit effundere, sine quibus vitæ nulla iucunditas. Itaq; Athenienses domi semper victores, in Sicilia ad internecionem cæsi sunt. Huc pertinere de Antæo poëtarum fabulam, qui Herculi tam diu par fuit, quàm diu vires à matre Terrâ, id est, à patria posset resumere: vbi verò in altum ab Hercule sublatus est; victoriam cum vitâ perdidit. Sed respondent alii: commeatum quidem faciliùs ex hostium agro, minorique cum damno peti posse, quàm ciuium: sumptus quoque vel inde petendos, vel certè victoriæ commodo pensandos; cur tamen in hostico solo sint maiores, quàm proprio, haud apparet. Locorum verò hostilium non minorem Duci peritiam, quàm suorum, necessariam esse. Illud verò non tam argumentum videri possit, quàm ignauiæ solatium, quod tutior domi sit, quàm foris fuga: ita potiùs magni Duces censuére, tum optimè pugnari, vbi maximum est in fuga periculum. Boterus lib. 9. c. 17. Lips. l. 5. Polit. c. 16. Reprehensi ex fuga pugnabunt, quia fugere non possunt. Ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est. Curtius 5. & 6. Scipionis laudata sententia est, *viam hostibus, quà fugiunt, muniendam.* Veg. 3. c. 21. Rationem Pyrrhus addidit; non solùm, ne fortiùs ex necessitate resisterent, sed vt postea quoque faciliùs cederent. Frontin. 2. c. 6. Addunt cladem domi illatam periculosiorē esse; hoste mœnibus propinquo, & iam ante portas armis sonantibus. Tum enim formidini omnia plena esse necesse est, nullo spacio recolligendis animis dato; quod contrà accidit hoste procul absente. Animos verò militis ad pugnam acui vxoris ac liberorum præsentia, negat Boterus, quin minui potius ait, lib. 9. Pol. c. 9. miles enim, vt illis se seruet, vitæ ac valetudini parcit. Pro contraria porro sententia multæ rationes, quas Cyrus apud Xenophontem in lib. 3. eleganter explicat, dum suadet Medo, vt communes secum in Assyrium copias educat: Quum enim, inquit,

modò tua in regione ſimus, multę res tuæ per nos etiam inuitos detrimentum capiunt. At ſi hoſtilem in terram diſcedamus, cum voluptate res eorum atteremus. Præterea magno ſumtu tuo nūc alimur; at ſi extra fines tuos exercitum educamus, ex ipſorum ditione alemur. Militum quoq; animos longè alacriores firmioreſque ſumus experturi, ſi aduerſus hoſtem contendemus, & non inuiti aduerſarios ſpectare videbimur. Itidem illi multò nos magis metuent, quum nos non domi deſidere perculſos, ſed vltrò accurrere; neque operiri, dum noſtra regio detrimento afficiatur, ſed ipſos eorum terram vaſtare viderint. Illud verò in lucro nobis inſigni ponendum eſt; cùm prælia animis magis, quàm corporum viribus decernantur. Hæc credo ſecutus Annibal Antiocho ſuaſit, vt, ſi Pop. Rom. ſubigere vellet, bellum ad mœnia Romanæ vrbis gereret. Agathocles Carthaginenſes non prius à ſua vrbe ſubmouit, quàm ipſorum adoriretur. Romani Annibalem, Annibal Romanos in aliena terra vicit: In propria alter ab altero victus. Neque Romani vlla periculoſiora bella geſſere, quàm in proprio ſolo, vt Porſennæ, Coriolani, Gallorum, Pyrrhi, Hannibalis. Itaque vix placet aliis, quòd Machiauell. citato loco ita hanc controuerſiam definit, *vt ei principi, qui viros fortes, & loca munita habet, domi expectandum hoſtem ſuadeat; ei qui nec viros, nec loca bello apta habeat, foris quærendum.* Et Romanorum ea de re adducit exemplum, quos, ſi tres illas ab Hānibale clades extra Italiam tuliſſent, funditùs euerſos fuiſſe arbitratur. Imò verò inquiunt, contra potiùs res ſeſe habere videtur. Nam nec ſocii, & Italia tota eos continuò deſeruiſſet, nec tantus ex propinquitate hoſtis incuſſus eſſet metus, quantum memorat Liu. Ita ergò cenſent: Hoſtem, cui pares ſimus, ſemper foris aggrediundum, niſi ſi in noſtros fines illectus, loci beneficio circumueniri aliquà poſſit, vt vel anguſtiis includatur, vel commeatu excludatur, vel deniq; alia quacunq; neceſſitate atteri vehementer poſſit; aut niſi idem nobis in ipſius regionibus metuendum veniat. Hinc Boterus libro ſexto, cap. 7. De la Noue Diſcurſ. 22. illorum deplorant inertiam, qui ſatius ducant, Turcicorum armorum ſtre-

pitus in

pitus in mœnib. & portis nostris exaudire, quàm in Turciam ipsam copias nostras abducere. Heluetii cum Austriacum iugum excuterent, permisere facilè, vt Austriaci Principes magno exercitu Heluetiam ipsam ingrederentur. Nimirum fidebant Heluetii profundis suis & anfractuosis vallibus, intra quas exercitum coarctabãt, & ex montibus præruptis imminentibus deturbatis in hostem saxis, penè nullis aliis armis vsi hostilem exercitum opprimebant. Sed & hîc memores nos esse oportet, consilia ac determinationes politicas à singularibus circumstantiis potissimum sumendas. Si hostis imperitus, si negligens rerum suarum, atque securus veniat, quid ni opportunitas attenditur, & obuiam ei itur? Si item is, qui bellum gerit, tã potens sit, vt vires exercitus sui partiri possit, atq; exercitum distrahere, & foris belli aleam ita subire, vt domi satis instructus maneat, eat hosti obuiam. Imò etiam impressio fiat in ipsam eius ditionem, si præsertim hostis sit perpetuus, & à quo nulla spes pacis, quique perpetuò sit ditioni tuæ insidiaturus. Sæpe etiam Princeps suis subditis non satis fidere potest, sæpe periculum est, ne, si hostis in principis ditionem veniat, proditiones oriantur, & seditiones à propriis subditis clam vel palam cum hoste conspirantibus. Ibi tum foris bellũ geratur. Quin & tranquillitati nostræ ditionis, atque agricolarum, opificum, mercatorum securitati consulitur, si bellum foris geratur. Adimitur etiam peregrino & auxiliari militi quem in nostro exercitu habemus, occasio moliendi aliquid aduersum nos. Ita Angliæ Regina foris oppugnauit classem Hispanicam Anno 1588. & Hispani vires non in Indiis solùm, sed in ipsa Hispania ac Lusitania per fortissimum illum Nauarchum Fr. Drakerum attriuit. Belgæ bellum extra Hollandiam perpetuò gesserunt; & tum demum Hispanum vrserunt maximè ac territarunt, quando frequenti classe Indias ipsius attentarunt, & Hispaniæ ipsi minitati sunt. Sed ista hîc cautio sit, ne, cùm vrbs vna aliqua aut arx ab hoste potẽti, & integra aliqua gente oppugnatur, ne, inquam, foras exercitum educat, & hosti obuiam eat. Ista enim nimis periculosa Martis alea futura est.

14 *Quomodo cura religionis ſpectet ad principem; adeoq́; an illi, & quatenus imperium ſit in perſonas Eccleſiaſticas?*

Diſcernendum diligenter eſt inter officium & ſcopũ principis abſolutum, qui eſt Honeſtas, ſeu bonum ciuile publicum, & inter officium ac ſcopum conſideratum cũ gradu eminentiæ, qui eſt Pietas, Religio, & Bonum ſpirituale ſiue æternum. Quod poſtremum is princeps, qui Chriſtianus eſt, omninò ſpectare etiam debet; proinde vt paterfamilias abſolutè conſideratus, honeſtatem Oeconomicam ſpectat. Conſideratus autem cum gradu eminentiæ, quâ Chriſtianus, non tantum in id incumbere debet, vt familia ſit honeſta, ſed etiam, vt ſit pia. Plutarchi vox eſt: *In legum conſtitutione primum eſt & maximũ de Diis opinio.* Itaque ſi terrâ obeas, inuenire poſſis vrbes muris, literis, regibus, domibus, opibus carentes; vrbem templis Diiſque deſtitutam nemo vnquam vidit. Vt faciliùs vrbem condi ſine ſolo putem, quàm opinione de
» Diis penitus ſublatâ, ciuitatem coire aut conſtare. Nam,
» vt ciuitatem noſtram ſtabiliamus, inquit Plato 4 de Le-
» gibus, ante omnia Deus inuocandus, obſecrandusque, vt
» nos exaudiat, & nobis propitius ſit, ac benignus; ad nos
» veniat, legeſq; ipſe nos doceat, noſtramq; ciuitatem ad-
» ornet. Nam, ait ibidem libro de Regno, ſicut ad beſtias
» conſeruandas regendaſq; hominis prudentiâ & curâ o-
» pus eſt: ita homines ad felicitatem ſuam dirigi non poſ-
» ſunt, niſi Deus moderetur, & quaſi manu ducat. Itaque meritò prima principis cura eſſe debet, illum deuotè colere, cuius ipſe imaginem inter homines gerit; primum officium duci ad pietatem, & ducere; religioſum eſſe, ſuoſque tales efficere. Ita enim ſtatuat, ſuam ſuorumq; in eo incolumitatem ſitam; mores patrios, legum ſanctitatem religionis incolumitate ſtare. Non ſolùm, quia Numinis ſubleuantur fauore, qui Numen timent; verùm etiam, vt Ariſt. l. 7. Polit. cap. 8. iudicat, quòd ſubditi regem maioris æſtiment, iniurias nec ſibi ab ipſo metuant, nec illi inferant, quem Dei amicum, Deoq; protectore tutũ arbitrentur, quod magnopere approbat Lipſ. in Monit. & Exempl. Polit. Monit. 1. & Cyrus apud Xenophon. l. 8.

Pæd. religio-

Pæd. religiosam suorum pietatem sibi quoq; vtilem sperabat, quum rationem eadem sequeretur, quam illi, qui cum religiosis potius, quàm cum iis, qui designasse aliquid impie videntur, nauigare malunt. Præterea ratiocinabatur fore, vt si omnes ciues religiosi essent, minus aliquod impium facinus, tum inuicē, tum aduersus se designare vellēt. Ergò & Principes, licèt impii, ea quæ vana esse nouerant Religionis nomine tanquam vera suadebant: hoc modo eos ciuili societati velut arctiùs alligātes. August. lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 32. approbāte Machiau. lib. 1. Discurs. c. 11. & 12. & Bod. lib. 4. c. 7. de Rep. Qua in re Romani meritò primi, qui cùm penè omnib. dominarētur gentibus, omnium errorib. seruiebant, & magnā sibi videbantur assumpsisse Religionem, quia nullā respuerent falsitatē. August. de Ciuit. l. 18. c. 57. Leo de SS. Apost. Pet. & Paul. vt Cic. in orat. de Harusp. responsis arbitretur eos non robore, numero, virtute reliquas gentes, sed religione superasse. Itaq; haud mirum videtur Valer. Max. lib. 1. c. 1. si pro eo imperio Pertinax Deorum indulgentia semper excubuit, quod tā scrupulosâ curâ paruula quoque momenta Religionis examinaret. Bonus verò princeps parem aut maiorem in vera Religione colenda tuēdaq; ardorem adhibebit, non simulando, vt Machiau. l. 2. c. 22. velle videtur; sed verè colendo, vt qui putet simulationem nec subditorum fauoris, nec diuinę gratiæ custodem bonum esse ac diuturnum; imò tantò citiùs illorum odium, illius iram excitaturum, quantò & illi falli, & ille eludi sese ægriùs feret. Antimach. l. 2. Theor. 1. Neque id tantum operam dabit, vt ipse Religionis Deique cultor sit eximius, verùm etiam subditos ad eādem, quò ipse tendit, felicitatem ducat, præceptis & exemplo; cùm enim, vt Gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria; ita ipsi beata ciuium vita proposita esse debeat; non ea præcipua Reip. felicitas est, vt sit opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, Cic. lib. 5. de Republica, Epist. ad Atticum, lib. 8. verùm vt Augustin. lib. 9. de Ciuit. Dei, c. 14. & lib. 5. c. 24. definit, *vt Dei sit amans, & amata Deo, illum sibi Regem, se illius populum agnoscat.* Cæterùm hoc eius officium & curam nonnulli angustis nimium finibus includunt, neq; vltra quicquam permittunt,

quàm Ecclesiam gladio tueri: sacrorum Antistitum decreta fideliter sequi, seueriter exequi; repugnantes exquisitis suppliciis afficere; ipse verò à sacris inspiciendis abstineat, controuersias Ecclesiasticas dirimendi nullã sibi auctoritatem sumat. Ribadeneira l.1. princip. Christ. c.22. neque sacrorum ritus & cæremonias mouendi, leges Ecclesiasticas mutandi, de rebus diuinis statuendi facultatem. Mariana l.1. de Reg. cap.10. Interim ad curam Reip. viros sacratos admittat, arces eis ac oppida vel tradat, vel tradita permittat, ne in vnius principis capite Reipub. ac Religionis incolumitas versetur. Nequenquam ex sacrato ordine supplicio, quamuis merito subiiciat. Ad templa quasi ad asyla confugientes, concessâ à maioribus libertate, non spoliet. Præstat scelera impunita relinqui, quàm refigi leges ipsâ vetustate sacrosanctas. Idem ibidem: Quod si enim princeps quilibet in sua prouincia ad suum & suorum arbitrium reuocet, quid de Religione sentiatur, qui possit inter omnes concordia atq; consensus cõstare, vt non aliud Germanus, aliud Hispanus de Deo sentiat; vna sit Franci & Itali, vna Angli & Siculi de rebus diuinis sententia. Interroget ergò Sacerdotes Legem: Sacerdotum labia custodiunt scientiam, Malach.2. Aggai.2. & concordiam tuentur, cùm ab vno capite Rom. Episcopo pendeant, cui sacrorum cura, cæremoniarum tutela, legumque sacrarum, quibus alii per orbem principes obtemperarẽt, commissa est: cuius imperium cuncti respicerent, ministri sacrorum maximè, hac de causa ab imperio aliorum principum liberi, decreto maiorum, diuinis legibus cõsentaneo. Idem cit. loc. At verò longè plus Magistratui Deus, cuius ille vices gerit; plus antiquæ Ecclesiæ autoritas concessit. Eusebius lib.1. de vita Constantini dicit; Constantinum quasi communem Episcopum a Deo constitutum; Et Constãtinus in Epistola ad Nicomedienses *se ministrum Dei* appellat, qui habeat potestatem Episcopos improbos cohercendi. Vide Theodoretum lib.1. hist. Eccles. c.19. Apparet manifestè ex historia Ecclesiastica, Constantinũ, & sequentes Imperatores, vsq; ad Phocam habuisse & vsurpasse ius conuocandi & dimittendi Synodos, quibus & intererant & præerant siue ipsi, siue ipsorum Legati, ordina-

ordinationem Episcoporum confirmasse aut improbasse, disciplinæ Ecclesiasticæ turbatores cohercuisse, siue ii essent spirituales, siue seculares. Et fuisse tempore Iustiniani Ecclesiam sub potestate Imperatoris, testatur expresse Nouella Constitut. 3. 5. 6. 19. 37. 38. 39. 67. 83. 117. 133. 146. Testatur etiam Iohannes Secundus Pontifex in Epistola ad Iustinianum Codici inserta. Quod notandum est contra Pontificios scriptores, inprimis verò contra recentiores nonnullos, nempe Bozzium in libro de iure diuino & naturali Ecclesiasticæ potestatis, & Guilhelmum Rossæum libro de Reipubl. Christianæ in reges impios autoritate, vbi Magistratui omnis simpliciter in rebus Ecclesiasticis potestas adimitur. Quibus tum manifestæ rationes opponi possunt, tum etiam autoritates aliorum autorum Pontificiorum, vt Ferrariensis, Francisci de Zabarellis, & inprimis nobilis Iurisconsulti Hispani Couarruuiæ, qui disertè scribit, *non esse de iure diuino, quòd Ecclesiastici nolint subesse magistratui.* Disputatur ista quæstio solidè ac plenè in aliquot scriptis egregiis, quæ pro causa Veneta contra Papam isto & præcedenti anno edita sunt, & collegit multa ad hanc rem memorabilia argumenta, & testimonia Waremundus ab Erenberg in lib. de Regni subsidiis, cap. 1. & 12. Et capite quidem 1. inter alia sic scribit: Sæpius, inquit, memoriâ repeto sermonem magni viri Politici confirmantis è Repub. esse Imperatorem Romanum, non tantum Imperatoriam, sed etiam Pontificiam autoritatem coniunctim tenere; & laudantis Imperatorem Maximilianum I. qui conatum hunc habuit, vt apparet ex epistola Imperatoris ad Baronem Paulum à Lichtenstein scripta Anno 1511. 19. Septembr. Et cur non? cum Pontifex duplicem hanc dignitatem sibi vendicarit. Bonifacius enim Octauus ense accinctus, & corona Imperiali coronatus in publicum venit exclamans: *Ego sum Cæsar & Pontifex.* Vide Paralipom. Vrspergensis, & Cuspinianum in vita Alb. Hactenus Waremundus; quæ qualia sint, nunc non disputo. Id tantum pro conclusione huius disputationis dico; *Magistratum omninò suam habere etiam in Ecclesiasticis potestatem; & idcircò posse quoque Autonomiam & Libertatem Religionum dissidentium in Repub.*

sancire ac tolerare, necessitate Reip. ita postulante; quod argumentum prolixè & diligenter est tractatum à multis in Germania & Polonia præstantib. viris; & nuper adeo etiam in specie à Iusto Springero in Tractatu de pace Religionis per Germaniam. Attingitur ea res in Systemate Polit. Præsidis mei, qui cõstituit eam materiam pleniùs aliquando, Deo dante, pertractare. Hoc loco sufficiat, quod ipsi Pontificii Pontificios alios de hoc negotio acerbissimè sentiẽtes, vt est inprimis, Lensæus, Rossæus, Mariana, Ribadeneira, & alii; quod, inquam, tales refutent ipsi Pontificii. In Cõcil. Basiliens. Anno 1431. sessione quarta, *Hussitis Bohemis datur libera potestas vnà in Concilio disponendi, concludendi, terminandi*; sic.n. expressa verba habẽt. Et in appendice istius Concilii, p. 143. Tom. 3. Concil. cõceditur Bohemis ac Morauis Communicatio sub vtraq; specie, & ita pax cum iis sancitur. Iohan. Molan. S. Theolog. Professor in Acad. Louaniẽsi l. 1. de Fid. hæret. seruan. c. 23. p. 44. disertè scribit: *Catholicum principem debere libertatem religionis sub certis conditionibus concedere; ne, si minus malum tolerare nolit, maiora in Rep. sua perpeti cogatur.* Eam sententiam, etsi nonnulli Iesuitę improbent, tamen non pauci sunt ex ipsis Iesuitis, qui probẽt. Sicut quidem nuper Moguntiæ *Martinus Becanus* Iesuita præsidio suo defendit disputationem publicam, quam de fide hæreticis seruanda ibi proposuit Ioh. Ludou. ab Hagen, quę disputatio est epitome quædam methodica librorum Iohan. Molani antè citatorum, sicut autor ipse fatetur: Istius ergo disput. c. 10. p. 102. 103. & 104. hæc verba extãt: Tametsi Princeps aut Magistratus Catholicus omnib. modis impedire debeat Libertatem religionis, vt dictum est; si tamen id facere non possit sine grauiori incommodo boni publici, potest eam tolerare tanquam minus malum, ad euitandum maius, quod alioqui sequetur. Hæc conclusio fundatur in illo communi axiomate: *Ex duob. malis minus eligendum est*, scilicet si vtrumq; euitare non possumus. Et ratio est, quia in tali casu, illud minus malum nõ eligitur præcise, vt malum quoddam est, sed vt medium vtile ad euitãdum maius malum; ac proinde eligitur sub ratione boni vtilis. Ita sentiunt grauissimi autores. D. Thom. in 2. 2. q. 10. artic. 11. vbi ex hoc principio probat,

ritus

ritus gentilium & hæreticor. tolerari posse ad maius malum euitandum. Caietanus ibidem, Gregor. de Valentia tomo 3. disp. 1. q. 10. p. 7. Molin. tract. 2. de iure & iustitia, disp. 335. & alii plures. Consentit D. August. l. 2. de ordine, c. 4. cùm ait: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.* Multa in eandē sententiam scribit Gregorius apud Gratianum distinct. 13. c. Nerui. Idem confirmatur ex parabola zizaniorum, quam adfert Christus Matth. 13. Cùm. n. quærerent serui à patrefamilias; *Vis imus, & colligimus ea?* Respondit: *Non; ne fortè colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem.* Vult Christus significare, hæreticos aliquando tolerandos esse in medio Catholicorum, præsertim cùm periculum est, ne, si eradicentur hæretici, simul etiam euellantur Catholici. De qua re disputat Maldonatus in illum locum. Quinta conclusio: Si Princeps vel Magistratus Catholicus paciscatur de toleranda libertate Religionis cum hæreticis, quam sine maiori detrimento impedire non potest, sine dubio fides seruanda est, probatur ex dictis: Nam fides seruari debet in omni pacto licito & honesto: atqui licitum & honestum est, tolerare libertatem religionis ad maius malum euitandum, & de ea toleranda licitè & honestè pacisci potest Princeps Catholicus: Ergò si paciscitur, fidem seruare debet. Hactenus disputator Moguntinus. Porro publica religionum discrepantium exercitia qualiter moderanda sint, & ad quas religiones quomodo restringenda, id alia occasione dicetur vberiùs; hoc loco id saltem subiecerim: *Patremfamilias in sua domo posse bonâ conscientiâ tolerare homines diuersa religionis*; & videmus optimos quosq; & piissimos patresfamilias ita facere, vt non extrudant aut affligant statim famulos vel famulas, etsi nō sint eiusdem religionis, cuius sunt ipsi; *Bonus autem Princeps*, vt Xenophon inquit, *id planè est in Rep. quod bonus paterfamilias in domo.* Vnde quid concludi possit, facilè Lector intelligit; nec ego prolixè deduco, quia visum est Disputationem hanc Politicam penultimam, satis alioquin amplam ac copiosam, nunc concludere.

FINIS.

AD DN. RESPONDENTEM.

REGNORVM *varios qui ſcit deſcribere caſus,*
Quo duce firma manent, quo duce Regna cadūt:
Qui docet indomiti quæ ſint diſcrimina Martis,
Bella docetq; animos poſcere, bella Viros:
Quô ſeſe extendant Regum, quô iuſſa Tyranni,
Cultus quo ſacros condere iure queant:
Quis neget hunc magnum verè meruiſſe trophæum?
Ingenio, arte, animo, qui modo victor ouat.
Victor ouas BERGI, *noſtrum decus, arma repone;*
Laurea te decoret digna animo, arte, viro.

ANTONIVS SHORTVS
Anglus.

CVRSVS PHILOSOPHICI PRIMI

Atque adeo etiam

DISPVTATIONVM POLITICARVM VLTIMA, QVÆ EST

De

POLYARCHIA,

Deque

POLITICA SPECIALI.

IN GYMNASIO DANTISCANO die 29. Martii publicè habita.

Respondente

NICOLAO SIENNICKI de Siennica.

Illustri & Magnifico Domino

Dn. NICOLAO COMITI AB OSTROROG, Domino in Krilhow, &c.

CASTELLANO BELZENSI, SONCELIENSI CAPITANEO; Domino & P. trono gratiosissimo;

ET

Generosis ac Nobilissimis

Dn. IOHANNI SIENNICKI, CAPITANEO TARNOGORIENSI,

Dn. IOSEPHO SIENNICKI.

Dnn. Patronis ac Tutoribus obseruandissimis S. D.

MEntem ipsam meam atque animum dudum vobis consecro, Illust. ac Magnif. Dn. Comes, Patrui Generosi ac Nobiliss. Quidni etiam mentis atq; animi mei fructus? Nimirum qui fundum atq; agrum alteri addixit, is idem fruges quoque omnes debebit. Et ego me debere agnosco. Idque vt tester, en offero has studiorum meorum, recens germinantes in politico agro primitias. Offero autem ita, vt fructus posthac promittam diuinâ benedictione maturiores in doctrinis hisce talibus, quæ proximè sunt ad scopum meum. Missus enim sum vestro consilio ac patrocinio in eum locum, & missus tali commendatione, vt eximia quædam occasio diuinitus mihi aperta videatur, ad feliciter proficiendum in iis studiis, quorum gratia me ablegastis è patria. Ablegastis autem propterea, vt in patriam aliquando diuino fauore redeam salutaris ciuis. Quod vt possim, enitar sedulò, Deumque animitus precabor, vt patriam, cui omnia mea deuoui, ex his quibus agitatur motibus, in tranquillum propitius restituat: Vosque magnos Patriæ amatores eidem patriæ ac mihi, diutissimè atque optatissimè sospitet. Valete. Datum Dantisci, Anno MDCVIII. *15. Calend. Martias.*

Vestræ Illustri Magnif. ac Generositatib.
deditissimus

NICOLAVS SIENNICKI de Siennica.

THESES
DE STATV PVBLICO, ORTO ET SECVNDARIO; NEMPE DE POLYARCHIA ET EIVS ſpeciebus; deque *Politica* ſpeciali.

1 PEREGIMVS primariam ac perfectiorem generalis Politicæ partem, quæ eſt de ſtatu primo ac primario, nempe de Monarchia ſeu ſtatu Magiſtratus Principis; ducit iam nos doctrinæ via ad Statum ortum ſiue ſecundarium, atque adeò ad *Polyarchiam*, in qua non vnus gubernat, ſed multi.

2 Polyarchia ergo ſpecies eſt regiminis imperfecta, perinde vt Accidens ſpecies Entis: idcirco Polyarchia tota à Monarchia pendet, & tum demum bona eſt, cum monarchiæ ſimilitudinem in ſe recipit. Quæ ſimilitudo conſiſtit in eo, vt ſicut in Monarchia ab vnius mente & voluntate omnia pendent: ita in Polyarchia illi multi qui imperant, ad vnitatem reducantur, & vnum fiant mente ac voluntate, ſiue conſenſu in conſiliis & eorum executione.

3 Atque hinc eſt quod in Politicis breuiſſimè ſaltem doceri poſſit & debeat de Polyarchico ſtatu; quia tota doctrina tum regendi, tũ parendi, quæ fuit in Monarchico ſtatu, ea, inquã, tota etiam pertinet ad ſtatum Polyarchicum; & Polyarchæ pariter ac Monarchæ habent ſui Regiminis

fundamenta, suas normas, suas gubernationis distinctiones & obiecta varia; vt nempe vel homines gubernent, vel res extra hominem, sua denique gubernationis instrumenta siue Reditus & operas subditorum, perinde vt ista ordine in statu monarchico, tanquam perfecto ac primo tractauimus. Subditi etiam siue qui parent in statu polyarchico, perinde vt in monarchico, referuntur vel ad Regentes, vel ad eorum administros, vel ad se inuicem.

4 In norma ergo & administris & partibus, & instrumentis Regiminis conueniunt *Monarchia* & *Polyarchia*. Discrimen autem est primo in subiecto, quod ibi vna persona habeat ius Regiminis siue Maiestatis, hic autem plures. Deinde in modo illos plures reducendi ad vnum, & curas Regiminis, quas vnus sustinere debebat, inter plures partiendi: Quod quidem postremum in generali politica tradi non potest; quia totum pendet à particularibus circumstantiis Locorum, Temporum, Personarum. Idcirco in speciali parte Politicæ circa cuiusque Reipub. polyarchicæ gubernationem ista fuerint in Politicis explicanda.

5 Porro polyarchia consideratur vel absolutè & primariò, vel comparatè & secundariò.

6 Absolutè & primariò considerata Polyarchia est, quæ habet summum & plenum ius Maiestatis in illa Rep. cui præest; nec superiorem agnoscit, vt status polyarchicus Venetus, & Helueticus, &c. Et hic status polyarchicus perfectus est, respectu polyarchiæ secundariæ, ac lōgè propius accedit ad monarchici status similitudinem.

7 Estque

7 Estque vel simplex vel mixta.

8 Simplex polyarchia est vel *Aristocratia*, vel Democratia.

9 Aristocratia est, cum ex omni multitudine optimates siue præstantiores aliquot imperant. Huic opponitur Oligarchia, cum inter optimates pauci quidam ad se trahunt maiestatem & imperium, quod pluribus debebatur. Sin verò vnus arripiat, appellatur *tyrannis*, siue *oligarchia tyrannica*.

10 Democratia est, cum ex omnibus, vel saltem plerisque ordinibus Reip. etiam inferioribus, vt opificum, &c. deliguntur, qui imperium & ius maiestatis habeant. Huic maxime opponitur *Ochlocratia*, cum omnes pariter ac simul imperare volunt, nemo autem parere. *Vt in Cyclopum Repub. vbi nemo neminem in quoquam audiebat. Ista Ochlocratia est Anarchia, quia regere & parêre sunt Relata; vbi ergo nemo est qui pareat, ibi nullum planè est regimen. Anarchiam autē Aristoteles docet longè esse deteriorem tyrannide.*

11 Sic de pura & simplici polyarchia: Mixta est, in qua diuersi status inter se contemperantur. *Quæ contemperatio ita est difficilis & ardua, vt nonnulli Politici, & inter hos inprimis Bodinus existimarit*, Mixtam formam Reip. nullam esse formam; *quæ sententia recipi non potest. Si enim ignis & aqua, quibus nihil magis est contrarium, misceri inter se, & contemperari ad vnius corporis constitutionem possit: quidni & Monarchia siue status Reipub. perfectus misceri ac temperari queat cum statibus imperfectioribus?*

12 Mixtis formis, ĕt mixta cōtraria opponun-

tur; vt ex simplicium formarum oppositis facilè intelligi potest.

13 Est autem Polyarchia mixta vel facilior, vel difficilior.

14 Facilior, & vt ita dicam, compatibilior, est vel sublimior, vel inferior: Sublimior est, in qua contemperatur Monarchia & Aristocratia. *In quo statu Aristocratici siue optimates*, Ephori *dicuntur, quasi dicas*, inspectores *&* curatores Reip. *Monarchæ adiuncti ad eius potestatem limitandam & continendam intra certas metas.*

15 Eaq; iterum distinguitur vel ex temperie exacta, vel ex prædominio alterutrius formæ, népe vel Monarchiæ, vel Aristocratiæ.

16 Inferior est, in qua contemperatur Aristocratia & Democratia, siue in qua optimates simul imperant cum delectis è populo. Et distinguitur etiam in Exactam, & eam quæ est cum prædominio vel Aristocratiæ, vel Democratiæ.

17 Sic de forma mixta faciliori: difficilior est vel magis vel minus vsitata & ordinaria; è quibus illa est tripla, quæ ex Monarchia, Aristocratia & Democratia componitur. Quæ & ipsa imprimis distinguitur in exactam & prædominantem, in qua vel Monarcha vel Aristocratici, vel Democratici prædominantur. Hæc temperies in magnis Rebuspub. tam est difficilis, vt diuinâ quadam prudentiâ opus habeat, tum ad fundandum & constituendum, tum ad conseruandum. *Dicuntur hic Ephori tum Aristocratici, tum certi quidam delecti ex Democraticis.*

18 Estque vel eminentior, vel minus eminés.

19 Eminentior est, in qua inter Democraticos

non

non aſſumuntur, niſi honoratiores & nobiles perſonæ. *Vt in Poloniæ regno.*

20 Minus eminens, vbi ex omni ordine, etiam plebeio, deputati certi ad ius maieſtatis, & partem regiminis aſſumuntur.

21 Extraordinaria & velut crudior mixtura, eſt ex Monarchia & Democratia, quæ non ita vſitata eſt, niſi extraordinariis & neceſſariis belli temporibus.

22 Porro omnis Polyarchia tã ſimplex, quàm mixta diſtinguitur in maiorem & minorem.

23 Maior eſt cum integra prouincia, aut etiam plures ſimul prouinciæ, quæ regni nomine veniunt, polyarchicè regitur: Vt Regnum Poloniæ, Status Venetus, Hollandia cum confœderatis prouinciis, item Heluetia.

24 Minor eſt, cum tantum vna vrbs, aut minor aliquis oppidorum & pagorum diſtrictus polyarchicè regitur, vt Reſp. Geneuenſis.

25 Sic de Polyarchia abſolutè & primariò conſiderata: Polyarchia comparatè & ſecundariò conſiderata eſt cum polyarchici regunt quidem, ſed non abſolutè; vtpote ſubiecti alteri cuidam principi ac magiſtratui ſuperiori.

26 Et talis polyarchia eſt vel liberior, vel minus libera.

27 Liberior eſt, quæ non penitus abſolutè ſubiecta eſt ſuperiori, ſed certis conditionibus, ita vt magnam maieſtatis partem retineat eorum reſpectu qui iſti polyarchiæ parent. Et hæc polyarchia retinet nomen Reipub. Vt ſunt ciuitates liberæ ſub imperio Romano; & ſub aliis nonnullis Regnis.

28 Minus

28 Minus libera eſt, quæ abſolutè ſubiecta eſt ſuperiori, ita vt parũ, vel nihil maieſtatis retineat in eos, qui ſubditi dicuntur. Et talis polyarchia nõ vſurpauerit cõuenienter titulum Reipublicæ.

POLITICÆ DISCIPLINÆ PARS POSTERIOR, QVÆ eſt ſpecialis, adumbrata breuiſſimè.

29 Atque ita complexi ſumus Methodũ compendioſiſſimam prioris & generalis partis Politicæ diſciplinæ; ſupereſt, vt poſteriorem ac ſpecialem partem diſponamus.

Quod breuiſſimè fieri neceſſe eſt propterea, quia Politiæ ſpeciales infinitæ ſunt; idcirco ſi methodo comprehendi debeant, neceſſe eſt eas reuocari ad primarias aliquot paucas. Si quælibet in ſpecie Reſpub. quodlibet Regnum, principatus, ciuitas ſuum Regimen per omnes partes accuratè & plenè & methodicè deſcriptum haberet, felicior ac facilior multò foret gubernatio. Dico autem, haberet; *nam vt edat, etſi optandum foret Politicæ ſtudioſis, tamen non fuerit ſemper ex vſu Reipublicæ. Habet enim neceſſario quælibet Reſpub ſuas particularitates vt ſic dicam, ſiue ſpecialiſſimos modos ac media Regiminis ſui; quæ pendent à ſingularibus circumſtantiis Loci iſtius, & iſtorum hominum, aut etiam Temporum. Quæ quidem Rerump. ſpecialia arcana non dici tantum, ſed & eſſe & manere debebunt.*

30 Eſt ergo politia ſpecialis vel Antiqua, vel Recentior.

31 Antiqua politia vel abſolutè ſpectatur, vel quoad gradum finis eminentioris.

32 Abſolutè ſpectata eſt vel monarchica, vel polyarchica.

33 Monarchia eſt vel vniuerſalior, vel particularior.

34 Vniuersalior est Monarchia per excellentiam dicta, vt Assyria, siue Chaldæa, Persica, Græca, Romana.

35 Particularior vel magna vel parua.

36 Magna est vel Orientalior, vt Regnum Ægyptiacum, Lydicum, Sicyonicum, Argiuorum, Macedonicum, Parthicum, Troianum, Italicum vetus, Ponticum.

37 Particularior Monarchia parua, fuit minorum prouinciarum, districtuum & vrbium; olim enim singulis etiam vrbibus Reges præerant, vt Rex Hiericho, &c.

38 Polyarchia vetus fuit Respub. Achæorum, Spartanorum, Atheniensium, Corinthiorum, Thebanorum, Romanorum ante Monarchiam.

39 Politia considerata respectu finis eminentioris, id est, Religionis, est Iudaica vetus, quæ singular formâ gubernata initio fuit magis immediatè à Deo, post magis mediatè sub Regibus.

40 Sic de antiqua Politia: Recentior Politia est vel cultior, vel incultior.

41 Cultior Politia est vel vniuersalior; vt Romana Monarchia; vel particularior. Eaq; iterũ vel Regnum, vt Hispanicum, Gallicum, Anglicũ, &c. vel Electoratus, vel Ducatus magnus, vel Ducatus simplex, vel Marchionatus, vel Lãdgrauiatus, vel Comitatus, vel Baronatus, vel Dynastia Nobiliũ; vel deniq; Resp. eaq; vel amplior, vt Veneta, Belgica, Heluetica; vel minor, vt Noribergensis, Argentoratensis, Coloniensis, & quæ his inferiores.

42 Incultior & barbarior Politia est dominatus; isq; vel maior, vt Turcicus; vel minor, vt Dominatus Tartaricus, Moscovit. & similes. *Sicut quidē*

Aristoteles medium facit dominatum inter Regnum, in quo subditi liberaliter ad virtutem reguntur & excoluntur; ac inter tyrannidem. De Turcico imperio existimarim, quoad originem planè illegitimum esse; non item penitus quoad continuationem. Melanchthon tamen in præfatione Chronic. Turcicum imperium, *inquit*, prorsus à Monarchiis seiungo, quas Deus legum & disciplinæ causa constituit.

Sic ergo, diuina gratia, totius philosophiæ Practicæ tã Communis illius, quæ *Ethica* dicitur, quam particularis, nempe, *Oeconomicæ* & *Politicæ* Systemata concinnauimus breuissimâ quadam ac compendiosissimâ docendi formâ, pro iis nempe qui ad hæc studia recens accedunt, quique adeò primam ac generalissimam Practicarum Disciplinarum comprehensionem & impressionem parare prius debẽt, quàm comprehensionem secundam & tertiam aggrediantur. Faxit Deus, huic nostro iuuentutis iuuandæ desiderio ac studio suus fructus atq; vtilitas constet.

PROBLEMATA.

1 *Polyarchicus status quatenus sit laudabilis?*

REgimen omne vel Monarchicum est, vel Polyarchicum. Monarchicum est, in quo vnus & solus summæ rerum præest. Atque hoc genus in disputationibus publicis

publicis hactenus fuit. De Polyarchico itaque statu præsens potissimum disputatio, Deo adiuuante, instituetur. Id ergo primum omnium videndum, quatenus scilicet Polyarchicus status & esse & probari possit. Quod enim est, & esse per naturam potest, bonum est, & laudabile. Atque hæc equidem controuersia, vel in ipso ortu societatis humanæ mota est, semperque disceptatum fuit, quonam potissimum modo, regimen hominum (quod difficillimum esse testatur Xenophon) institui deberet. Nec tamē quicquam apud Monarchico statui assuetos, Polyarchici: nec apud hos Monarchici profecere facile: Sed prout mores populi, inquit Tholosanus lib. 5. c. 3. de Repub. dispositi erant, pro eo formam Reip. affectabant: Sic vt Ægyptii non potuerint esse sine Rege, Athenienses & Romani non potuerint Monarchiam ferre. Neque visum nunc pluribus disceptare de Monarchiæ & Polyarchiæ contentione. Monarchia est virtutis perfectæ exercitium in vno dirigente alios omnes, vt virtute, ita potestate inferiores. Cum ergo Ens vnum, & bonum conuertantur, vt Philosophi docent, vtique illud Regimen maximè erit Ens, & maximè bonum, quòd maximè habet vnitatē. Et quia id quod maximè est Ens & bonum, etiam maximè ordinatum, ideo in Monarchia ordo omnium inerit. Quod si ergo Regimen absolutè spectes & simpliciter, quatenus regimen, nec rationem vllam ducas qualitatum aut conditionum earum, quæ requiruntur in eo, qui regere alios debet; vtique optima, perfectissima omnium forma regiminis est Monarchica. Eâ enim regit is, qui vnus omnium est optimus & perfectissimus, nempe DEVS. Sin verò non regiminis naturam tantum, sed naturam simul & conditionem hominis qui regit, aut regere debet, consideramus; tum vtique illa tam perfecta Respub. ægrè quadrabit conditionibus & imbecillitatibus humanæ vitæ. Demus vnum hominem omnes in vniuerso mūdo homines sibi subiectos habere: hæc enim perfecta foret Monarchia, non qualitate tantum, sed & partibus ac quantitate. At quomodo is vnus omnes gentes reget, aut vbi reget? aut quamdiu reget? & quo successu? Nondum dimidium mundi sub se complexa est illa Monarchia Romana sub Augusto augu-

ſtiſſima, & tamen mole ſuâ nutabat, ac ruebat, cum vix cœpiſſet. Sin dicas nō omnium hominum Monarchiam conſtituendam, ſed certæ gentis, & certi regni: primum is Monarcha perfectè & per omnia abſolutè non erit; quia plurimi erunt ipſi pares, plurimi qui ipſius regimen impediant, qui interturbent, qui etiam oppugnēt, & in quos ille nihil planè poſſit, imò à quibus etiam ipſe & ſubiugari poſſit, & capi, & in ſeruitutem dari. At erit tamen Monarcha reſpectu eorum, quos in ſuo regno ſibi ſubiectos habet: Erit vtique; ſed primo pauciſſimi & rariſſimi ſunt, in tam fragili humani generis conditione, homines, qui ea ſint intellectus vi, eâ prudentiâ, eâ virtute, quæ in Monarcha requiritur; & illi ipſi qui ſunt, quam facilè & periculosè degenerant ac mutantur in contrarium? Etſi maximè tales reperiantur, quorum tam eminens & conſtans ſit virtus, vt digni ſint, qui alios abſolutè regant, vbi poteſtas erit, & ius imperandi? Hanc enim poteſtatem & hoc ius imperandi Deus nulli hodie hominum dat niſi mediatè, imò ſemel tantum dedit olim Sauli & Dauidi: de quibus tamen & ipſis adhuc diſputatur, *an fuerint abſoluti Monarchæ à Deo conſtituti.* Dat, inquam, DEVS mediatè vel per natiuitatem ſiue ſucceſſionem, vel per aſſumptionem ſiue electionem. Huius ciuilis ſocietatis & Reip. Rector ab alio, quàm ab ipſamet Rep. conſtitui non poteſt, iuſtè, & abſque tyrannide. Siquidem ab ipſo Deo conſtitutus non eſt, neque electus cuilibet ciuili ſocietati immediatè Rex aut Princeps. Saulem equidem, eiuſque poſteros tantum à Deo iure poſitiuo diuino per Prophetas, vel ore Dei Reges in regno Iſraelitico electos fuiſſe conſtat ex ſacris teſtimoniis: præter hos nullus vnquam Rex aut Princeps à Deo immediatè conſtitutus eſt; tametſi Deus populum Hebræum ferè 40. annis inſtar regni per vnum gubernauerit, nempe per Moyſen, & eius ſucceſſores iudices. Cæteris verò gentibus Deus ipſe & ipſo iure naturæ liberam feciſſe videtur poteſtatem ſibi principes, Reges & magiſtratus conſtituendi. Ergo quælibet Reſp. diuinitus naturæ lumine erudita, ciuilem poteſtatem quam habet, poteſt & debet in alium vel alios transferre, qui Regum, Principum, Cōſulum, aut alio-

rum

rum magistratuum titulis ipsius communitatis regimen suscipiant. Ita præclarè scribit Couarruuias magni iudicii Politicus & IC. lib. 1. pract. Quæst. c. 1. Cum ergo potestatem imperandi tribuat ipsa hominum cōmunitas, & verò homines naturâ sic affecti sunt, vt ægrè velint sub vnius hominis absoluto dominio viuere; idcircò dum sibi Principem constituunt, valde limitabūt ac coarctabunt ipsius imperium ac potestatem, nec permittent ei, vt absolutè dominetur: circumspicientes præsertim ad exempla funestæ tyrannidis, quâ eæ gentes premuntur, quæ vel ita seruili, vel simplici ingenio natæ fuerunt, vt absolutam imperandi potestatem in vnum hominem & eius successores trāsferrent. Accedit & hoc, quod ii Principes, qui quōdam absoluti vel fuerunt, vel videri voluerunt, in eas necessitates vel ab hostibus, vel alio casu sæpe incidant, vt subditorum opera ac defensione egeant; vt autem hanc impetrent, coguntur de absoluta sua potestate plurimum remittere, & subditis eas immunitates libēter indulgere ac cōcedere, quibus in iura maiestatis, atque imperii partē veniant. Atque ita Monarchiam absolutam conuertunt in formam Reip. mixtam ex Aristocratia & Democratia. Sed & familiæ sæpe principū absolutorum ita extinguuntur, vt si post aliquis alius, qui ex priorū principum familia nō est, sit assumendus, plurimum de absoluti principis maiestate ac potestate ei detrahant, ipso vltro consentiente, vt principatu potiri possit. Nihil nunc dicam de eo, quod dubiū videri possit, *vtrum vnus homo in alium absolutam potestatem sibi debeat vendicare.* Homo enim post lapsum amisit plenā potestatē ac dominatum in bestias: Si in bestias, vtiq; dicet aliquis, multò magis in homines. Sed hoc argumentū facilius fortasse solui possit, quàm illud. Absoluta potestas hominis in hominē est imago q̄dā monarchiæ ac gubernationis diuinæ. Idcirco eū, qui hanc potestatē vsurpare velit, oportebit Deo esse vt potestate, ita quoq; virtute similimū inter homines. At ista imago & similitudo Dei nunc corrupta & obliterata est, & nō reperias facile hominem Deo ita similem, vt is esse debet, cui Monarchica potestas debetur. Vnde cōcluserit aliquis, Monarchiam absolutam tunc demum instituendam esse, cum homo reperietur, qui ad Dei imaginem & similitudinem

propius accedat, quàm ii, quibus absoluta, id est, diuina quadam potestate imperat: Interea homini in hominem, humanam tantum potestatem tribuendam esse, id est, talem, quæ proportione correspondeat conditioni humanæ in iis virtutibus, quæ in hominem in hac maximè imbecillitate cadere possent. Hæc, inquam, ita possunt disputari, sed nos controuersiam decidimus ista eadem limitatione, quâ in prima disputatione Politica vsi sumus, distinguendo cum Aristotele 3. Topic. inter βέλτιον & αἱρετὸν, siue inter perfectum & inter vtile, siue expetendum & eligendum. Monarchia est perfecta & præstantissima forma Reipub. Sed non est semper, nec vbique, nec quibusuis eligibilis, propter illas ipsas circumstantias certas Personarum, Locorum & Temporum. Vinũ suâ naturâ est præstantius quàm aqua, aut decoctum hordei: sed vinum tamen propterea non semper est eligibile aut vtile: sæpè propter certas circumstantias personæ vinum noxium est & mortiferum; aqua autem siue decoctum hordei salutare & vtilissimum. Nimirum formæ istæ Rerumpub. Monarchia, Aristocratia, Democratia non sunt ipsæ virtutes, sed sunt ex genere rerum mediarum, siue adiaphorarum, quibus quis malè aut bene vti possit: & quæ idcirco pro diuersitate circumstantiarum, vel retineri, vel repudiari, aut mutari & possunt & debent.

2 *Consilia in Rebuspub. polyarchicis quomodo institui debeant?*

Aristoteles lib. 4. Polit. cap. 14. tres ordines in Repub. distinguendos esse grauiter monet, nempe ordinem Senatorium, Magistratuum & Iudicum. In Senatu consilium est quærendum, in Magistratu imperium, in Iudicibus iustitia & æquitas. Cuius distinctionis vsus in Polyarchico statu maximus est. In Monarchia enim vnius authoritate, nutu ac voluntate res aguntur, ac ob id nulla munerum distinctio futura; aut si futura est aliqua, nõ ex necessitate status, sed ex mero principis arbitrio; in cuius manu & consilium & imperium, & iudicium sita sunt. At in Polyarchico statu, cum non vnius sit vel consiliis moderari Rempub. vel imperio regere, vel eidem

dem iuſtitiam adminiſtrare, ſed quorundam, ſed multorum, omnium confuſio metuenda eſſet, niſi diſtributione munerum Reipub. æqua & iuſta auerteretur. Vt autem à conſilio omnis in Repub. actio pendet; ita eius maxima ac prima ratio, vt in Monarchico, ſic inprimis in Polyarchico ſtatu habenda eſt. In Monarchia enim princeps votorum conſultantium non tam numerum attendit, quàm pondus & valorem; In Polyarchia autem numerantur plerumque vota. Nec arbitrium adminiſtrantium in conſiliis retractandis vel mutandis ſpectandum; ſed neceſſitas parendi imponitur magiſtratui, inquit Tholoſanus lib. 24. de Repub. cap. vlt. & lib. 22 cap. 1. & 2. Itaque cum numeret vota, non ponderet ſtatus hic Polyarchicus, ſicque numeret, vt plurium conſilium neceſſariò ſequendum & exequendum ſit; conſiliorum in quibus ſalus Rerumpub. conſiſtit, accurata ratio habenda erit. *Res ſacræ*, inquit Bodinus lib. 6. cap. 4. *ſi execratæ fuerint, reſecrari poſſunt, & prophana, expiari; arcana vero imperii in difficultatibus Reipub. ſine eius interitu, aut certè ſine dedecore diuulgari non poſſunt.* In hoc ergo ſtatu conſilia pro temporum exigentia, atque adeò pro pacis bellique & periculorum modo, habenda & inſtituenda ſunt. Ac in pace quidem & ſummis quibuſque viris Politicis viſum eſt, vt ſecretiores & minus ſecretæ conſultationes, habeantur; quod ipſum præſtantiſſimarum Rerumpub. vſu comprobatum eſt. Apud Romanos conſulta quædam tacita fuiſſe annotat Alexand. ab Alexan. lib. 4. cap. 11. quæ palam enunciare non licebat, quæ in ſecretiori Senatu, & concilio arcano, tanquam in receſſu ſemoto aſſeruabantur. Quibus decernendis neque Scribæ, neque ſerui publici intererant, ne communicatio conſilii fieret, cauebaturque ne quis enunciaret. Quæ quidem arcana patrum conſilia, quanto ſilentio obtegerentur, illud argumento eſt, quod Q. Fab. Max. cum de tertio bello Punico, quod in arcano concilio decretum erat, Craſſo in itinere obnunciaſſet, à Senatu grauiter increpatus & conuiciis affectus fuit. Atque hoc etiam ſanctius ſecretiuſque conſilium Athenis fuiſſe proditum eſt: ſine quo aliquid grauius decerni, aut ferri ad populum Solonis lege vetabatur. In hoc itidem

Regno, vel potius Republ. nostra Polona Senatus consilium secretius habetur, cui interesse ne Senatoribus quidem omnibus licitum est. Nam qui districtuum quorundam minorum *Castellani* nuncupantur, quamuis Senatorum personam & officium gerant, abesse his cõsultationibus tenentur, in quibus de secretioribus negotiis tractatur. *Geneuenses* ex Senatu viginti quinq; viros cum perpetua potestate secretiori consilio præficiunt; qui totius Reip. arcana pertractant, teste Bodino lib.6.cap.4. In *Noribergensium Rep.* Senatus de suo corpore tredecim viros ad arcana imperii tractanda seligit. *Veneti*, vt annotat Contarenus, summa quæq; in Rep. *Septemviris* aut *Sapientibus*, quos vocant deliberanda, sæpiusq; decernẽda committunt, ne arcana imperii in vulgus manare possint. Tempus autem belli, quod moram consiliorum respuit, in quo rapienda potius, quam capienda consilia, extraordinarias consultationes requirit. Pericula enim tum temporis imminentia & ingruentia ex communi consensu res vni vel paucissimis committendas suadent. Ita enim futurum est, vt quandoquidem summis & extremis vrgeatur Resp. non tam numerentur quàm ponderentur consilia, prouideaturque ei & succurratur periclitanti salutari vel vnius consilio, quàm multorum inutili & futili opprimatur & perdatur. Syracusani, si quid arduum & perdifficile, si quid Reip. periculosum & damnosum imminebat, solius *Thimeleonis* (id erat apud eos nomen officii) summi Ducis velut sancto arcanoque consilio decernebant. Ætolis quoque *Apocleti* fuêre consilii loco, quorum consultatione, si quod instaret periculum, decerni oportebat. Romani autem laborante Repub. & trepidis in rebus, vel communem libertatem, vel summam rerum attingentibus, *Dictatorem*, à quo prouocare non licebat, & qui summum Romæ imperium tenebat, sæpius dixisse & creasse leguntur. *Trepidi*, inquit Liu. lib.6. *patres ad summum auxilium decurrunt, dictatorem dici placet*. Et cum Annibal Italiam quateret, exitiumque vrbi Romanæ minitaretur, *ad dictatorem dicendum*, inquit, *remedium tam diu desideratum, ciuitas confugit*. Et Spartani necessariis temporibus, cum ardua consilia belli ex

tempore

tempore promenda essent & exequenda, Regem eligebant. Belgæ quoque, cum habeant Democraticam regiminis formam, quamprimum ventum est ad ardua negocia, reliquis exclusis, paucissimos eligunt & adhibent ad ista consilia, quæ non minus celare, quàm citissimè exequi volunt. Has oras Borussiæ, vel ciuitates quasdam salutari consilio vsas fuisse, historiis proditum est. Borussi vnidicandæ à Crucigeris libertatis consilium, paucis ex numero sui selectis, commiserunt, quorum cura & arcano studio quod optarant, citius quam sperare potuerunt, obtinuerunt. Germanicis verò Principibus, contra Carolum V. belligerantibus, nil magis obfuit, quàm quod consilia bellica inter Iohannem Fridericum, Electorem Saxoniæ, & Philippum Landgrauium Hassiæ diuisa, ac ob id minus conclusa fuissent. Polyarchiæ enim regimen, si quo alio tēpore, certè belli ac tumultuum quam maximè ad vnitatem reducendum est. Hic etenim error commissus, totum statum deformat, & ad interitum deducit. Qui etiam, inquit Sleidanus lib. 18. & principium calamitatis, & victoriæ Cęsaris initium ac causa fuisse à nonnullis putatur.

3 *Iurisdictio quomodo exerceri debeat in Polyarchico statu?*

In hoc statu enim, inquit Althusius in Politic. cap. 32. exercitium & vsus iurisdictionis nō est penes quemlibet in solidum, nec à quolibet in solidum exerceri potest. Nam quod omnibus magistratibus in Polyarchia commune est, id solus absque insigni iniuria & contumelia reliquorum nequaquam vsurpare possit: nisi perfractis Polyarchiæ limitibus & terminis, Monarchiam inuehat. Consultum igitur est & vtile, vt in statu Reip. Polyarchico communi & concordi suffragio vsus iurisdictionis communis, per ministrum communiter & iuridicè exerceatur, id suadet etiam Couarruuias practic. quæstio. vlt. Sed tamen eiusmodi exercitium per ministrum, tum solummodo æquissimum esse censet, quando vsus iurisdictionis commodè diuidi non potest: cum autem diuisio commoda fieri potest iuxta portionem & partem, quam quisque maiorem vel minorem

in territorio eodem habet, putat diuisionem posse etiam esse æquissimam. Verum cauendum est, ne tali diuisione iurisdictionis Polyarchicus status degeneret in Regna, & in diuersas formas imperii migret. Ius enim potestatis in aliquo territorio, si alicui plenum concessum fuerit, quid obstabit quo minus se Regem, Ducem, aut Principem gerat? Quandoquidem qui potestate armatus est, regia authoritate armatus esse videatur. Et innuit id quidem ipsum Althusius citato loco, vbi in-„ quit: Quando iurisdictionis fit pro ratione territorii „ cuilibet assignatio, putarim constitui eo ipso duas sepa-„ ratas & diuersas species imperii, neque posse amplius di-„ ci Polyarchiam, sed duo separata regna aut Resp. Qua-„ lis diuisio fuit regni Iudaici sub Roboam Rege, filio Sa-„ lomonis. Item in imperio Romano, cum Antoninus Pius, L. Vero, Valerianus, filio Galieno; Diocletianus, Dalmata, Maximiano; Constantius, Licinio: Theodosius, Honorio; Valentinianus, Valenti; & alii aliis exercitium iurisdictionis in prouinciis quibusdam concesserunt. Siquidem isti collegæ distributas inter se prouincias rexerunt, & longè à se abfuerunt; tantum abest, vt speciem aliquam Polyarchici status constituere potuerint. Talis itidem diuisio iurisdictionis imperii occidentalis & orientalis diuisionem peperit, quam adhuc intueri licet. Itaque ne quid accidat simile in Polyarchiis, tutius arbitratur Boërius decis. 5. alternis mensibus, vel annis, prout maiorem vel minorem partem iurisdictionis habet quisque iurisdictionem concedi. Hæ etenim vices & imperium summum mollirent, & Polyarchicum statum tuerentur facilè: In perpetuo autem imperio non item; id quod Alexandri successores testātur. Hi enim mortuo Alexandro Magno, cum Aridæum fratrem inuiti Regem accepissent, isque propter inualetudinem regno commodè præesse non posset, præfecturas inter se partiti sunt, & quousque iurisdictionis exercitiū quilibet eorum polyarchicè, non monarchicè, in qualibet imperii parte administrauit, Polyarchiæ nomen status ille imperii retinuit; verum munus perpetuum animos eorum ad instituenda regna allexit. Quod & factum est: Siquidem non magno post tempore,

tempore, inquit Iustinus lib. 13. quasi regna, non præfecturas diuisissent, reges ex præfectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, sed & posteris suis reliquerunt. Itaq; consilium Boërii tenendum, vt vices mensiū, annorumq; in conferendis magistratibus nimiæ potentiæ obseruentur. Id quod Romani cum in aliis munerib. Reip. dandis, tum in prouinciis conferendis factitarunt. C. Gracchus enim, ne diuturna imperia essent, lege latâ cauit. Item, Magistratus & honores geri vltra annum, annuariâ lege prohibitum fuit. Iulius verò Cæsar lege sanxit, ne prætoriæ prouinciæ vltra annum, neve consulares plus biennio obtinerentur; Vel, si difficile in tam lubrico solo firmum retinere pedem, planè etiam putarem, ait Althusius, posse plures coniunctim, singulis, vel maiori parte consentiente, & ex communi approbatione decernente, vti iurisdictione communi. Sic enim & Polyarchia reuera manebit, & quo minus iurisdictio negligatur, melius plures vno & tutius prouidebunt.

4 *Vtrum in Aristocratia optimatum successio, an electio preferenda; & , si electio, vtrum sorte, an populi suffragiis fieri debeat, atq; adeò an solius virtutis respectus esse debeat?*

Quandoquidem vt in regnis, Rex summas obtinet partes; sic in Aristocratia optimates; non immeritò disceptatur, vt de regum fundamentis constituentib. sic de optimatum. Quæri itaq; etiam potest de optimatibus; *vtrum successione, an electione; & , si electione, vtrum sorte an suffragiis populi regimen committendum sit.* Nec ita facilè successio, vt certissima & remora difficultatū perturbationumq; in Rebusp. contemni & negligi debet. Implantatas esse virtutes quasdam Nobilium familiis certū est, & quædam peculiaria dona & bona animi, tanquam hęreditario iure concessa esse. Brutorum enim familiam libertatis amor commendat. Decios, Fabios, & Horatios amor patriæ. Quin & merita parentum tanta esse erga Rempub. solent, vt in munera & officia publica grauia & summa posteri parentibus succedant. Itaq; Cæsaris fa-

milia ius principatus tacito consensu populi Romani obtinuit, vel ob id maximè, quod fessa & lassa ciuilibus bellis patria, diuque iactata procellis dissensionum, tandem ad portum trãquillitatis & securitatis opera patris I. Cæsaris, mox plenius filii Augusti adducta fuerit. Et profectò tales si supersint posteri, qui vestigia maiorum terant, iisque patriam defendendo, & eius bono fideliter consulendo insistant; vel à summis magistratibus minimè arceri debent. Nec præripienda occasio iis, qui, cum a natura ipsa ad imperium facti esse videantur, patriam iuuare vtilissimè possint. Sed pace Nobilissimorũ quorumque dixerim, paucissimos ex eorum numero esse, quibus virtus maiorum, si quæ fuit, ob oculos obuersetur. Multi enim ex præclarissimis familiis orti, præclarè sunt de patria meriti. At dixerim plures, nisi infiniti fuerint, qui patriæ damno ac exitio fuere. Et quorum maiores patriam, Remquep. summis affecere meritis, eorum posteri paulo pòst aut perniciem patriæ machinati sunt, aut eam funditus euerterunt. Ne itaque Resp. fallatur, & virtus intra septa paucorum contineatur, Electionem præferunt nonnulli. Non enim stirpis ac originis cuiusvis, sed virtutis solius rationem habendam esse ducunt; quandoquidem imperium non genere ac ortu clarissimo, sed virtute spectatissimo & dignissimo tribuendum est. Sed neq; adhuc explicatur nodus; nam electio aut sorte fit, aut suffragiis, iisque vel populi, vel optimatum: quo igitur ex his modo electio institui debeat, in dubio est. Sorte nequaquam eligendos esse censet Bodin. lib. 2. c. 7. de Rep. Virtuti enim cum fortuna nihil commercii, nec ad rerum honestarum consultationes, multò minus ad eorum, in quibus Reip. summa versatur, electiones, casus admitti debet. In quo assentimur Bodino, cum talem informemus Aristocraticum statũ, qui nomine & re virtuti conformis sit. Excipi tamen is casus debet, si noua Reip. fundamenta ponenda sint, & ciues Aristocratiam instituere velint; tum enim sors locum inuenerit, ad auertenda odia ac simultates, & ad declinandam inuidiam, quâ, qui primi arripiunt apud suos imperium, laborare solent. In alio casu aut rarissimum, aut nullum sorti in eligendis optimatibus damus locum;

locum; multò minus populo, si simplicem, de qua iam agimus, Aristocratiam spectes. Nam si, inquit Bodinus, populum ad suffragia cieri placeat, sui dissimiles, id est, optimos non seliget, sed quā maximè similes, id est, stultos, improbos, impudentes. Sed quamuis in eo durior in populum videatur esse Bodinus, id tamen permittere periculosum est. Populus enim potestatem in electos optimates sibi vendicabit. Sed & cum ignominia coniunctū est, de prudentibus & veris optimatibus à populo iudicari. Census & diuitiarum rationem habiturus est, potius cum maxima contumelia virtutis, & eorum, qui huic dediti sunt; aut si ne census quidem aut diuitiarum, spurcissimus quisque de fece populi summæ rerum nonnunquam præficietur. Restat igitur, vt optimates eligantur ab optimatibus ipsis, quam electionem simplici Aristocratiæ maximè competere cum Tholosano arbitramur. Hanc enim esse ait lib. 4. cap. 5. de Repub. cum præstantissimus ius habet sui similem eligendi, & hic electus tertium eligit, tertius quartum, & sic deinceps, donec numerus regnantium impleatur; defectusque vel ob mortem alicuius, vel ob discessum suppleatur. Optimates ab optimatibus eligi debent, si puram Aristocratiam & simplicem Aristocratici retinere velint. Qua ratione fiet etiam, vt nullam rimam populo aperiant, quâ possit ex ipsorum potestate elabi, ipsos autem optimates subiugare. Talem creandi rationem optimatum vigere annotat Bodinus lib. 2. c. 6. apud Genuates; in quorum Rep. quæ quam proximè ad Aristocratiam accessit, mortuo Senatore, alius ex optimatum 200. cœtu in Senatum à Senatu eligitur, census aut diuitiarum respectu habito vel nullo, vel saltem secundario.

5 *Quid de pura & simplici Aristocratia statuendū?*

In amoliendis controuersiis de Aristocratia, accuratè distinguimus simplicem Aristocratiam a mixta. Quod idem Aristoteles lib. 4. c. 7. fecisse videtur, ac duas itidem species Aristocratiæ constituisse, simplicem & mixtam, seu alio quouis temperatam. *Simplicem* ait esse, quæ ex optimis viris simpliciter, & ex virtute constat: atque adeo in qua simpliciter idem est vir bonus, ac

bonus ciuis. *Mixtam* triplicem tradit; primam minus mixtam, in qua virtus cum diuitiis in administratione Reip. coniungitur; seu, in qua bonis viris & virtute præditis, diuitibus tamen Respub. committitur. Hic mixtio quædam est cum statu eo, qui *potentia paucorum* ab eodẽ Arist. vocatur. Secundam, in qua virtus, diuitiæ, & populus vnà dominatur: qui status ex optimatum paucorum, id est, diuitum, & populari potentia constituitur. Talis Carthaginensis Reipub. ætate Aristotelis administratio fuit. Postremam, in qua virtus & populus imperium tenent exclusis diuitibus. Quæ forma Aristocratiæ ex optimatum & populari statu componitur. Et hoc modo Lacedæmoniorum ciuitas gubernata fuit, teste eodem Aristotele. Itaq; hac distinctione Aristocratiæ posita, facilis est decisio controuersiæ, quâ quæritur; *Vtrum detur simplex Aristocratia.* Simplicem enim, in qua sola virtus regnat, si natura hominum non esset feracior & appetétior mali, facilè dari posse nil obstaret. Cæterùm cum celeriori pede, inquit Casus lib. 4. c. 7. ad malum, quàm ad bonum feramur in hac imbecillitate vitæ humanæ, nullum locum eam habere posse liquidũ est. Hæc enim solam admiratur & suspicit virtutem, diuitias & opes negligit; popularibus & plebeis nullas partes regiminis, quâ è plebis numero sunt, sed quâ virtute præstantissimi, concedit. Talis autem Respub. raro reperitur, idcirco à Philosopho, veluti meta Rerump. proposita fuit, ad quam contendentes mediocritatis viam saltem tenere possimus. Itaq; eam ad eminentissimum regimen Aristocraticum referimus, in qua summa perfectio, eminẽtissima, ac maximè cum virtute coniuncta administratio, semota ab inopi vita humana, in qua magistratus sanctissimè ac incorruptissimè præsit, ciues fidelissimè subsint, ac non modo officia ciuium bonorum, sed virorum quoq; optimorum vtriq; adimpleant. Vt non videam, quid sibi velit Bodinus, quando Regnum Poloniæ, & Daniæ, Imperiumq; Romanum, & cæteras item ciuitates Imperii & Italiæ, Aristocratiâ, & quidem simplici gubernari ait. Tandemq; in hanc vocem lib. 7. c. 6. erumpit: *Siue igitur optimi, siue flagitiosissimi summum imperium teneant, modò ciuium minor pars extiterit, Aristocratiam appellamus.*

lamus. Mira hæc doctrina, & quam facilè redarguit vel ſola Ariſtocratiæ & ſtatus optimatum appellatio. Neq; ab opibus, ſed à virtute optimi dicimur. Nec eſt quod hæc diu moremur. Illud quæri ſollicitè ſolet à Politicis: *Cum pura & ſimplex Ariſtocratia non facilè detur, cur in ea præceptis Politicis ita elaboret Ariſtoteles?* Diſtinguendum nimirum eſt inter eſſentiam & exiſtentiam. Poteſt eſſentiam habere id, quod exiſtentiam non habet. Perfecta virtus inter homines non exiſtit, & tamen virtus reuera aliquid eſt, & eſſentiam ac definitionem ſuam verè obtinet. Politici fuit munus, non ſolum quid ſit Reſp. communiter, ſed quæ ſimpliciter excellens, inquirere: cuius quidem Reip. licèt exiſtentia ad oculum monſtrari non poſſit; Eſſentia tamen, quo minus ſit, nihil impedit. Sunt enim quædam, quæ cum excellentiſſima ſint ac perfectiſſimæ naturæ, in vſu aut raro, aut nullo inter homines exiſtunt, ac ob id à ſimplicioribus nullo modo eſſe exiſtimãtur. Vulgus ea tantum eſſe putat, quæ ſenſibus percipit; Philoſophi autem, qui nequaquam ſerui ſunt ſenſuum, ſed his potius in miniſterio vtuntur, non id tantũ contemplantur, quod in mundo exiſtit (id eſt, certo loco ac tempore eſt) ſed id etiam, quod licèt non exiſtat, re verà tamen eſt, id eſt, eſſentia eius, ab omni circumſtantia loci & temporis ſeparata, reuera dari poteſt. Talis eſt Reſpub. Ariſtocratica ſimplex ac optima, quæ nihil cum fortuna, boniſq; eius, nihil cum temeritate plebis, ſed cũ ſola virtute commune habeat. Itaq; de ea ſic ab Ariſtotele, ſic à nobis quoq; hoc loco traditur, proponiturq; tãquam præcipua, & maximè perfecta, vt ſit menſura Rerumpub. Polyarchicarum: ad cuius amuſſim, dũ aut inſtituimus Reſp. aut conformare eaſdem ſecundum ſolã virtutem cupimus, feliciter id præſtare valeamus. Et licèt minus hoc quod optimum eſt, id ſaltem quod mediũ & ab extremo vitio remotius eſt, aſſequamur. Huius enim finis gratia optima in ſublimi collocatur Reſpub. vt ad eam tam magiſtratus quam ſubditi ſummis contendant viribus, & quam fieri poteſt, perfectiſſimi euadant. Nam, vt inquit Caſus lib. 4. c. 1. Pol. Quemadmodum in " contemplatione naturæ de qualitate ponderis & vndiq; " perfecta elementorum cõmixtione, non ineptè diſſerũt "

„ Philoſophi, & vt medici de admirabili cōſenſu & eucra-
„ ſia humorum, quæ nuſquam in corpore humano extitit,
„ acutè diſputant: ita Politici de auguſtiſſima, maximéq;
„ ſecundum virtutem Ariſtocratiæ forma præcepta tra-
„ dunt, tametſi eiuſmodi nuſquam emergat & emineat.
Illi etenim, Philoſophi dico & medici, hęc duo tanquam exactiſſima media, eò ante oculos figunt, quò melius, quanta ſit à medio declinatio, intelligant: Ita hanc formam Reip. deſcribunt Politici, vt qualis potiſſimum futura ſit adminiſtratio Ariſtocratica, atq; ex ea aliarum Polyarchiarum, monſtrent & demonſtrent. Ita Cicero excellentem nobis oratorem deſcripſit. Plato diuinam Reip. ideam ſcriptis adornauit. Etiam peritiſſimi ſagittarii non ſemper attingunt ſcopum; ſatis eſt, ſi metam aliquando colliment. Sic Politici viri inſignem hanc Ariſtocratiam intuendam exponunt, vt eandem quaſi metā intuentes, ad ſummum virtutis culmen pro viribus dies ac noctes ciues ducerentur.

6 *Quid ſtatuendum de Rebusp ub. quæ aut ſolos locupletes, aut Patritios & nobiles, aut quaſdam ciuium familias ad honores & magiſtratus, atque adeò ad gerendam Remp. admittunt?*

Ariſtoteles ſpecies Rerump. in rectas & vitioſas diuidit. In numero vitioſarum *Oligarchiam*, ſeu *paucorum potentiam* ponit, vtpote quæ vitium eſt Ariſtocratiæ, eiuſq; proprius morbus, atque adeò mors. Ea eſt, quando pauci ex numero plurium optimatum, cæteris conſortibus & collegis excluſis, imperium inuadunt, & pro ſua cupiditate leges inflectunt, ad reliquam multitudinem opprimendam conſpirant. Verum tamen lib. 4 Polit. de eadem aliquot capitibus pertractat. Et cap. quidem 5. & 6. quatuor genera Oligarchiæ ponit; primum, cum cenſus & opum habita ratione magiſtratus mandantur; pauperibus autem, qui plures ſunt, aditus ad Rempub. intercluditur. Secundum, cum mediocres quidam, ſed tamen maiores reliquis genere, & digniores magiſtratus obtinent

obtinent: Tertium, cum filii succedunt iis, qui paucorum potentiam exercuerunt. Vltimum, cum pauci pro libidine dominantur: quod genus, cap.5. inquit, perinde se habet in Aristocratiis, vt tyrannis in monarchiis: priora autem tria continent quandam Reipub. formam, in quibus non libido dominantium, sed leges imperant. De *Oligarchia* ergo sic Aristoteles docet, vt eam interdum sumat pro imperfecta quadam Aristocratia; quæ forma erat tum vsitatissima, prout & hodie est adhuc. Plurimi enim extiterunt, qui dum statum Reipub. vel ex arbitrio suo, vel suorum suasu aut instituerent, aut reformarent, Aristocratiam, in qua maximè secundum virtutem viuitur, intendebant, & apud suos conformare auebant. Sed cum facilis sit ab eo declinatio quod optimum est, raroque contingat assequi id quod præstantissimum est, ii qui primitus vel fundarunt, vel reformarunt Respub. aberrantes a perfecta Aristocratia, in imperfectiorem delapsi sunt. Hinc nonnulli paucorũ potentiam meram instituerunt: nonnulli virtute eandem contemperarunt: plurimi populo diuites immiscuerunt; itaq; inde status secuti sunt Rerump. eiusmodi, in quibus aut diuites soli rerum summæ præfuerunt, & adhuc præsunt, aut nobiliores quidam, aut paucissimæ familiæ exclusis omnibus. Titus Flaminius Proconsul, vt testatur Liuius lib.34. eam partem ciuitatum Thessaliæ potiorem fecit, cui salua, tranquillaq; omnia magis esse expediebat. Et multas alias Respub. enumerat Bodinus, quas aut locupletes, aut nobilium quidam, aut locupletes, nobiles, populus vnà administrat. Rhagusiorum Rẽpub. quos antiqui *Epidauros* nominabant, nobilissimæ & antiquæ gentes gubernant; id est, gentes viginti quatuor; nec plures, honorum ac imperii participes sunt, cæteri nobiles & plebeii semoti. Genuæ Andreas Doria Anno 1528. in constituenda Repub. familias viginti octo, tum ex nobilitate, tum ex plebeis eorum ciuium, qui sex in vrbe domos haberent, Reip. præfecit. Lucensium quoq; ciuitas antiquiores quasdam familias ad societatem imperii admisit. De his talibus, & ad hunc modum constitutis Rebuspub. quæritur: *Num Aristocratia dici*

debeant, nec ne? Affirmat Bodinus lib. 2. c. 6. quæ eius assertio inde nata est, quod paucitate tantum & multitudine Aristocratiam & Democratiam definiat, quod nequaquam cõsistere posse docet Arist. lib. 4. c. 4. Nam si essent, inquit Aristoteles, omnes mille trecenti ciues, & horum mille locupletes essent, trecenti egeni, diuites autem illi in hos egenos imperium tenerent; non statum popularem, sed factionem paucorum esse quis non videat? aut si egeni trecenti in diuites mille imperium gererent, nequaquam paucorum status dicendus erit, sed popularis. Itaque vt in paucorum potentia diuitiæ splendorq; generis, in Democratia paupertas & ignobilitas summa sunt, quæ aut Oligarchiam, aut Democratiam constituunt: Sic in Aristocratia virtus sola, quæ optimatum regimen à reliquis discernit. Attendendum enim est ad id, quo differunt essentialiter Resp. Nam multitudo & paucitas communia accidentia sunt, nec faciunt differre paucorum statum & popularem, sed quod in iis potissimum est, diuitiæ ac opes; quæ quamuis accidentia quoque sunt ciuitatum, tamen hi, qui eas possident, diuersâ administratione Reip. gaudent. Diuites excellere volunt ob affluentiam rerum, generisque splendorem; egeni æqualitatem prætendunt, ac Democratiam obtrudunt. Sublatâ itaque definitione Bodini, tanquam eâ, ex quâ hic error de Aristocratiis natus est, sequitur Respub. eas, quæ aut solos locupletes, aut nobiles quosdam, aut familias nonnullas gubernaculis præficiunt, nullo modo propriè dici posse Aristocratias: Vtpote quæ non virtutem, sed censum, sed dignitatem generis admirantur & suspiciunt. Nam Flaminius Proconsul diuitum instituit in Thessalia statum; his enim expedit, salua esse trãquillaque omnia. At diuites nil refert, sint ne optimi, an pessimi, teste Bodino. Non enim eatenus, sed quatenus diuites sunt, imperium obtinent. Non igitur poterunt optimatum constituere regimen, quod ab iis, non qui diuites, sed qui optimi sint, siue sint diuites, siue pauperes, administrari debet. Est igitur status hic Reip. in quo census ratio habet, atq; ea prima est species Oligarchiæ Aristotelis. Vbi autem aliqui nobilium dominatur, vt apud Rhagusios, Lucenses, & alibi, vt annotat Bodinus, est secunda

cunda ſpecies Oligarchiæ. Et, ſi horum imperium in poſteros quoque deriuetur, tertia ſpecies Oligarchiæ erit. Sed ſi populus aliquas partes regiminis obtinet, vt in pluribus Rebuſpub. liberis, in Imperio Romano, & alibi; tum mixta erit Reſpub. ex paucorum & populari potentia, quam Ariſt. lib. 4. Polit. cap. 8. nomine *Politiæ* ſeu *Reip.* appellat. Quæ ſi inclinat magis ad rationem popularem, *Reſpub.* dicitur; ſin magis ad paucorum potentiam, à quibuſdam, inquit Ariſtoteles, *ſtatus optimatum* nominatur. Diuites enim ac nobiles (qui paucorum potentiam conſtituunt) virtute præſtantes videntur: *videntur*, dico; quia non ſequitur, vt neceſſariò ſint: Itaque ſecundum veterum & vulgi ſententiam, teſte Ariſtotele hic ſtatus Reipub. qui *Politia* vocatur, aliàs Reſpub. aliàs optimatum ſtatus dictus fuit. Putabant enim veteres, ac idem exiſtimat vulgus, nobilitatem eſſe virtutem: nobilitatem autem definiebant, nihil aliud eſſe, quàm antiquas diuitias. Vnde ſtatum diuitum & nobilium optimatum ſtatum eſſe & olim falsò perſuaſum erat, & nunc etiam apud multos. Sed diſtinguit accuratè ibidem Philoſophus inter illud quod propriè tale eſt, & quod ſecundum vulgi & quorundam opinionem tale eſſe cenſetur: quæ propriè *Ariſtocratia* dici debeat, & quę per Analogiam ſeu ſententiam quorundam, id eſt, impropriè. Impropriè poſſunt eiuſmodi Politiæ diuitum aut nobilium Ariſtocratiæ dici, quatenus ad ſtatum optimatum ſimilitudine quadam regendi accedunt: propriè loquendo fieri non poteſt, vt Politia ſeu Reſpub. ad Oligarchiam, ſeu diuitum & nobilium potentiam tẽdens, optimatum ſtatus, ſeu Ariſtocratia vocetur & habeatur. Nam hi duo ſtatus diuerſos fines habent; vtpote cum Oligarchiæ rerum affluentia, Ariſtocratiæ ſola virtus ſit deſtinata ac propoſita. Propterea in Ariſtocratia honores virtuti tantum tribuuntur, in Oligarchia diuitiis, & qui eas poſſident. Eiuſmodi ſunt itaque omnes ferè ſtatus, quos Bodinus *Ariſtocratiarum* nomine dignatur. Sunt enim in quibus aut cenſus ratio habetur, aut Nobilitatis, aut populi, aut in quibus diuites, Nobiles, & populus imperat. Venetæ Reipub. regnique Poloniæ alia ratio eſt. In hoc enim, vt in Repub. Veneta,

omnes nobiles, quos Veneti Patritios, Poloni Equites vocant, ad capessendam Rempub. admittuntur, exclusis ignobilibus & plebeis: Vtpote qui in talibus Rebuspub. qualis Polona & Veneta, ciues primariò dicti non sunt, ex illa definitione Aristotelis, quod ciuis is sit, qui non solum commodorum Reip. sed etiam dignitatis publicæ siue magistratus capax est.

7 *Vtrum Democratia numeranda sit inter status Reipublicæ?*

Democratia ex omni Rerumpub. genere imperfectissima est: sic vt quærere quidam non dubitarint, vtrum sit status Reipub. nec ne. Id namque in ea deprehenditur, quod maximè omnium obnoxia sit mutationibus, imò quod ipsa sit mutatio quædam, & deflexio à rectioribus Reipub. formis. Hinc Plato, *Mera Democratia*, inquit, *non est Politia, sed est velut forum venale omnium Politiarum.*
» Et Tholosanus libro 5. de Repub. cap. 8. inquit: Videtur
» bene considerantibus Democratia noua quædam perti-
» nacia rebellandi aduersus superiorem potestatem, &
» præsumptio quædam stulta cum furore & vi mixta. Tale iudicium est grauissimi Politici de hac Reipub. forma: Cui assensisse Casparum Peucerum Richterus annotat
» ad Axioma 6. Politicum, cuius hæc verba recenset: Ve-
» rum est, quod senserunt Philosophi omnes, nullum sta-
» tum deteriorem esse Democratiâ. Et ante eos Plutarchus, Democratiam, dixit, insanum quendam morbum, non leuiorem ipsa tyrannide. Et Aristoteles meram Democratiam, meram tyrannidem esse dictitabat. Bodinus libro 6. capite 4. allegat Xenophontis de statu Atheniensium sententiam ex lib. eius de Rep. Atheniensi
» conscripto: Ego, inquit Xenophon, statum Atheniensi-
» um probare non possum, quòd eam Reip. formam am-
» plexantur, in qua improbi & flagitiosi meliori sunt con-
» ditione, quàm viri boni & innocentes. Si tantus vir, addit Bodinus, ita sentit de Atheniensium Repub. omnium, quæ extiterunt, popularium laudatissima; vel, vt Plutarchus scribit, omnium minimè vituperanda; qualem sententiam de cæteris popularibus laturum esse putamus? Multa ibidem Bodinus tum ex sua, tum ex

aliorum

aliorum ſententia contra Democratiam diſputat. Obiicit Democratiæ iniuſtitiam, vtpote in qua maxima ſit ſcelerum impunitas. Taxat leges Romanas, quibus ſeueriſſimè cauetur, ne verberibus ciues cædantur. At verò diſtinguere oportet rem à rerum vitio, Democratiam à furore plebis. Equidem non inuitus fateor, mutationibus præ cæteris maximè obnoxiam eſſe Democratiam, atque adeo ab Idea & perfectione regiminis lõgius diſcedere, & declinare ab vnitate ad multitudinem: Sed diſtingui debet id, quod ſimpliciter præſtans eſt ab eo, quod eſt vtile & eligibile, vt ſupra monuimus. Si naturam regiminis abſolutè & in ſe ſpectes, ipſa multitudo, quæ confuſionis mater eſt, imperfectitudinem & debilitatem ſtatus huius arguit; ſin ſpectes peculiares circumſtantias nonnullorum locorum, temporum & perſonarum, eligibile eſſe poteſt Democraticum regimen, vt multa ſunt in humanis, quæ licèt ſua natura non ſint præſtantia, eligibilia tamen ſunt propter circumſtantias, & optimis quoq; optabiliora. Et ii, quibus Democratia vtilis & cara eſt, rationes excogitant, quibus occurrant confuſioni iſti, quæ eſt ex multitudine. Eſt enim ratio humana mirè ingenioſa in ſaluandis & ſanandis iis, quæ ipſi placent & allubeſcunt. Facilè ibi medicamenta inuenit & parat. Hinc factum, quòd nonnullæ Democratiæ ſatis felices fuerint & diuturnæ. Xenophõtis locus de Democratia malè conſtituta accipiendus fuerit, atque adeò de Democratia illa particulari Athenienſium, qualis tum fuit propter Demagogos & oratores nonnullos, populi ſeductores & adulatores, aut incitatores certas Democratici ſtatus peſtes. Quod ad ſcelerum impunitatem attinet, ei obuiam iri poteſt, per tribunalia ab ipſo populo ſemel publico conſenſu conſtituta & confirmata. Interim obſeruandæ ſunt iſtæ iudiciorum cautelæ, quæ à prudentiſſimis Politicis annotantur; quod nempe hæ leges & ſtatuta in ea vtiliſſima ſint, ac maximè neceſſaria, quibus cauetur, ne pœna publicationis & confiſcationis bonorum extendatur in ciues, ne nempe atterantur & exhauriantur vires popularium. Itaque & illud vtile ac neceſſarium eſt, vt publicæ popularium accuſationum querelæ ſint rariſſimæ,

& magna pœna statuatur in eos, qui magni criminis falsò alios accusant. Nam si multi publicæ accusationis causa damnentur, si grauia scelera & enormia crimina multis publicè impingantur, decrescet popularium authoritas & numerus, & expeditior iis, qui ad Monarchiá & Aristocratiam aspirant, via futura est.

8 *An detur aliqua temperies & mixtura simplicium formarum, Monarchiæ, Aristocratiæ & Democratiæ?*

Bodinus lib.1.de Rep.cap.1.peculiarem quandam tuetur sententiam de formis Reipub.quamuis sibi in ea non videatur constare. Ad tres determinatas Reipub. formas, nempe ad Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam, reliquas omnes formas, partim ab Aristotele, partim à Platone, & alias propositas Bodinus reuocare conatur. Addit ibidem, se ex duabus & pluribus mixtam Rempub. nullam admittere. Hanc eius sententiam citat honorificè Richterus ad Axioma Polit. 57. Non negat Bodinus vnam formam ratione gubernandi, alterius posse temperatam esse, veluti Monarchiam ratione Aristocratiæ, vel etiam Democratiæ; at verò hoc ipsum est quod volumus, nempe posse inter se temperari simplices istas Reipub. formas. Cum autem Monarchica administratio sit iuxta leges secundum Aristocratiam vel Democratiam conformatas, vel Democratica & Aristocratica secundum Monarchiam, quid aliud erit quàm mixtio quædam statuum, qui status miscentur administratione mutua? Id enim statuimus, quod status hi tres, aut ex his duo misceantur & contemperentur, vel aliquis vnus in alterutrius naturam transmutetur & migret, nec vt confundantur substantia, vt loquitur Tholosanus libro quinto, capite primo, de Republica; sed vt aliqua Respub. participet nonnulla, vel de omnibus simplicibus Reipub. formis, de Monarchia, Aristocratia vel Democratia, vel de aliquibus ex iis. Nec sic confusas, vt tam penes Monarcham, quàm Aristocraticos & Democraticos solos, & singulos ex iis suprema & absoluta potestas permaneat, sed vt temperata ac moderata sit. Nihil itaque pugnabit, penes omnes esse summam potesta-

potestatem, si hi omnes vniuersim & collectim considerentur; pugnabit, si separatim & diuisim. Fiet igitur quædam harmonia regibus tutior, subditis optabilior. Sic enim Theopõpus Lacedæmoniorum Rex, cũ ipsi ab vxore cupiditate absolutæ dominationis percita probri loco obiiceretur, quod regum maiestatem, quam ampliorem à maioribus accepisset, cum Ephoros instituisset, diminutam fecisset, respondit; *Maius accepi, tutius & diuturnius relinquam. Moderata enim diuturniora sunt; violenta sua mole concidunt.* Sed & ipse Bod. l. 2. c. 6. admittit statum Aristocraticum populariter mixtũ, & ciuitates quæ populi imperio moderatę sunt, stabiliores esse docet, vt apud Bernates, Lucernates, Friburgos & alios. Si igitur hæ duæ formæ Rerump. miscentur, cur non itidem tres misceri poterunt? Tholosan. insuper, dum lib. 5. c. 1. mixtionem hanc negare vult, videtur aliquantum sese contradictione implicare; ait enim *formam mixtam accipere nomen à prædominante potestate*: cum paulò ante dixisset, *eas nequaquam ob diuersitatem earum misceri posse.* Si est prædominans forma, necesse est quoque sit id, quod minus est prædominans; quod si adest, aderit aliqua mixtio & temperies. Atque id de iis Rebuspub. à Tholosano dictum est, in quibus prædominatur aliqua Reipub. forma: quid si æquilibrium teneant aut tres simul, aut ex his duæ? id est, si nulla prędominetur, sed peculiaria habeant, quibus suam maiestatem tueantur, ad quamnam formam & speciem referent eiusmodi statum? si negabunt eum dari, definiant velim statum eum qualis sit, in quo Rex potestatem habet Comitia indicendi, & tam Democraticos, quàm Aristocraticos conuocandi, magistratum & honores conferendi. Democratici ius bellum indicendi, & pro eo tributa statuendi. Tempore interregni Aristocratici Democraticos conuocandi; legationes aliò mittendi, & ad Rempub. missas absoluendi, exercitu & reditibus ex sua sententia vtendi, & pro necessitate regni disponendi, & alii alia obtinent, quibus pro se quique excellant; fatebuntur profectò quibusdam regem supra Aristocraticos & Democraticos excellere, quibusdam Democraticos & Aristocraticos. Hæc etenim talia sunt, quæ

Monarcha pro placito ſuo, Ariſtocratici item & Democratici tractant. Eſt itaque aperta temperies, & eſt duplex, quædam prædominans, quædam æqualis; illa quęque ſtatum ſuâ prærogatiuâ, ſuis priuilegiis gaudere permittit: hæc quædam iura maieſtatis ad omnes pertinere vult. Vel ipſis igitur, qui acerrimè mixtionem Rerump. ſimplicium impugnant, ducibus mixtas eſſe Reſpub. ſtatuimus, vel quamuis ab authoritate horum deſtitueremur, tot ac tam multæ Reſpub. quæ vel ab Hiſtoricis deſcriptæ ſunt, vel noſtra hac ætate ob oculos verſantur, formarum mixturam ſimplicium ſuadere videntur. Vt enim breuiter attingamus hoc loco ſtatus regnorum & Rerumpub. quarundam, reſponderi mihi velim quorſumnam regnum Poloniæ, Daniæ, quorſum Rempub. Venetorum referet Bodinus, & ii qui cum ipſo ſentiunt? Ad Ariſtocratiam, inquit ille, ſimplicem. At regibus ſumma iniuria infertur, cum ipſis iura maieſtatis nonnulla, quæ penes eos integra manent, à Bodino detrahuntur. Nam regna hęc ad Ariſtocratias referre, nihil aliud eſt, quam reges dignitate & maieſtate regiâ ſpoliare. Eligitur quidem Rex, & circumſcribuntur imperia Electo, attamen regnat; quamuis non abſolutè, nec ex ſuo ſenſu regnet. Sunt quædam peculiaria, quæ maieſtatem regiam concernunt. Hæc igitur in cauſa ſunt, quo minus rex pari ſit cum Ariſtocraticis poteſtate. Nã definita poteſtas, & moderata imperia, imperia tamen ſunt. Quomodo itaque ad Ariſtocratiam commodè referri poterit Polonici regni adminiſtratio, in quo Regis quædam peculiaria ſunt, nec ipſi detrahi ſine crimine læſæ maieſtatis poſſunt; pauciſſima Senatus; maxima Nobilitatis. Idem de Daniæ regno ſentiendum. ac magis miror, vnde Danica Ariſtocratia in mentem Bodino venerit, in qua reges etiam ſucceſſionem habent. De Venetorum Repub. variè diſputatur à Bodino. In libris enim de Republica *Ariſtocratiam* eſſe vult, in Methodo hiſtoriarum *Democratiam*. Id credo accidiſſe Bodino, viro aliàs prudentiſſimo, ex malè determinatis Reipub. formis. Quem quidem crediderim ad id reſpexiſſe, quod iſta mixtio & temperies ſtatuum, ſiue formarum diuerſarum difficilis ſit, & talis, quæ ita exactè & accu-

ratè

ratè fieri non poteſt, vt mixtio in natura. Non miſcet ita accuratè, ita probè & commodè humana prudentia, vt miſcet naturæ prouidentia. In mixtione & temperie, quam efficit natura, nulla planè eſt confuſio; at in iis, quæ ab humano ingenio temperatur, imperfectio quædam ac confuſio tam diu remanebit, donec ipſum ingenium manebit imperfectum & imbecille. Qua de cauſa etiam fieri non poteſt, vt vlla Reſpub. in humano genere ab hominibus ita conſtituatur, vt δυσκρασία & confuſio ei non adhæreat ordini. " Reliqua regna ſtant ordine, dixit Italus quidam, ſolum regnum Poloniç ſtat confuſione. " Ita iudicaſſe debebat; omnia regna ſtant partim ordine, partim confuſione, non mirum ergò, ſi etiam regnum Poloniæ.

9 Vtrum ſtatus mixtus ex Monarchia & Ariſtocratia pro omnium perfectiſſimo dicendus?

Sunt Politici aliquot præſtantes, qui ſtatuunt perfectiſſimam Reipub. formam eſſe eam, in qua Monarchia cum Ariſtocratia contemperatur. Quam ſententiam recenſens Richterus ad axiom. Politic. 57. inquit: " Forma Reipub. mixta ex Monarchia & Ariſtocratia mutationibus minimè obnoxia eſt, cum in ea non modo vigilantiſſimi regis cura aſſidua & paterna tuetur tranquillitatem ſtatus, ſed etiam indefeſſa & fidelis induſtria eorum, quos populus miniſtros ſuos conſtituit, & in quos authoritatem & poteſtatem ſuam contulit, regibuſque adiunxit, vt ſartam tectam conſeruarent Rempub. quibus id negocii demandatum eſt, vt & populum à furore, & regias manus à vi & iniuria prohiberent; ſubditos in obſequio, reges in moderato imperio continerent: quibus cura Reipub. non minus ac regibus, quibus cuſtodia regum, quibus tutela & procuratio commiſſa. Nec itaque rex ſibi à ſubditis quicquam periculorum & inſidiarum, nec ſubditi à rege violentiam & tyrannidem metuere poſſunt. " Hinc nimirum factum, quod nonnulli Politici omnia principalia præcepta Politica ad hunc ſtatum accommodauerint, tanquam ad normam & regulam omnium ſtatuum. Quod impingit in ipſa principia & formam Politicæ diſciplinæ, & methodum

atque ordinem eius penè totum conuellit. Regimen ſiue magiſtratus, ſiue ſtatus publicus, ſiue Reſpub. ſiue quocunq; alio nomine appelles, non eſt res vniuerſalis, ſiue genus perfectum, quod primâ quoq; diſputatione Politicâ annotatum fuit; ſed eſt genus imperfectum, quod nempe imperfecta & diſpari ratione ſeſe communicat ſpeciebus ſuis: Ita vt regimen vnius ſit perfectè, ac potiſſimum regimen, reliquæ omnes formæ ſiue ſpecies regiminis ſunt regimina per ac propter Monarchiam, ſiue eatenus, quatenus ad Monarchiam certâ analogiâ, ſimilitudine ac proportione reducuntur. Adeo vt ſolus Monarcha ſeu Princeps ſit perfecta ratione magiſtratus. Reliqui magiſtratus ſunt magiſtratus, quatenus Principis ſiue Monarchæ rationem ac ſimilitudinem habent. Sic Ethicus de triplici amicitia tractat, Honeſtâ, Iucundâ, Vtili. Verum hæ duæ poſteriores ſpecies, iucunda nempe & vtilis amicitia, id totum quod ſunt & amicitiæ nomen obtinent, ferunt acceptum amicitiæ honeſtæ: niſi enim ad hanc referantur, amicitiæ rationem amittunt. De amicitia ergo honeſta primarium opus eſt Ethici pertractare, de reliquis duabus ſecundarium. Sic ſe habet res in præceptis de regimine Politico adumbrandis. Polyarchia nunquam regimen Politicum dici poſſet, niſi per & propter ſolam Monarchiam, ad quam niſi referatur, regimen eſſe deſinit. Eius itaque etiam erit, qui diſciplinam Politicam cum fructu profiteri velit, vt primariò non de aliqua ſpecie Polyarchici ſtatus præcepta inſtituat, ſed de perfectiſſima ſpecie, nempe de Monarchia. Quod cum in diſciplinæ Politicæ conſtitutione obſeruatum non fuerit, idcirco præceptorum Politicorum Methodus perturbata admodum fuit, & plurimos à generalibus Politicæ præceptis abſterruit, & ad ſpecialia tantum (quæ ſine generalioribus benè cognoſci non poſſunt) inueſtiganda & ſcrutanda compulit. Hi deinde in ſpeciali praxi eruditi præcepta Politicæ generalia tradere aggreſſi ſunt: in quibus non ſpecialia ſecundum generalia, ſed generalia ſecundum ſpecialia metiri voluerunt, deque generalib. ex ratione ſpecialium iudicium ferre conati ſunt. Hinc in practica Philoſophia tanta ſententiarum ac iudiciorum

varietas.

varietas. Aliud est iudicium Itali, aliud Galli, Hispani de Rerump. formis, earumque dignitate & præstantia. Cur aliud atque aliud? Quia alius status apud Gallos, alius apud Hispanos, Italos & alios. Et quamuis alius, suus cuique tamen pulcherrimus, optatissimus. Variæ sunt Rerump. formæ, & variæ in populis administrationes; at vnicam de his disciplinam oportet esse, quæ sic agat, vt non modò circumstantiarum aliquam rationem, & specialium accidẽtium ducat, sed & vniuersa illa, à quibus specialia pendent, rectè expediat. Porro hoc concedendum omnino est; post Monarchiam & inter mixtas formas Reip. præstantissimam formam esse eam, quæ ex monarchia & Aristocratia tẽperatur. Aristocratia enim magis ad vnitatem accedit, atq; adeo Monarchiæ similior. Sed distinximus antea sollicitè inter optimum, quod interdum sumitur pro perfecto ac præstanti absolutè, interdum vero pro magis optãdo & vtili. An ergo temperatura illa Monarchiæ & Aristocratiæ solius, exclusã penitus Democratiâ sit respectu omnium circumstantiarum, gentium, locorum, temporum vtilissima, id hîc quæritur. Ipse quidem inclinarem in partem negatiuam, tanquam in liberiori gente natus, & inclinarent mecum Belgæ, Heluetii; imò omnes illi, qui statum Reip. Romanæ, qualis post reges & ante Imperatores fuit, posteritati commendarunt.

10 *Quid sint Ephori, & quod eorum officium; atque adeo, an superiores sint Regibus?*

Quemadmodum tribunorũ plebis officium erat, plebem Romanam à potentia Patriciorum, & vi ac iniuria nobilium vindicare & defendere: Sic *Ephororum*, qui Latinè *Inspectores* dici possunt, munus fuit apud Lacedæmonios reges, ne in populum sæuirent, vel iniustè populo dominarentur, cohibere, & populum aduersus regum potentiam tueri, insolentiamque eorum reprimere. Id quod annotat Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. cap. 24. Instituti autem fuerunt tempore Theopompi Lacedæmoniorum regis, qui primus populum, vel potius deputatos eius, qui *Ephori* vocabantur, ad imperium admisit, annis post Lycurgum 130. vt nonnulli computant: cum ante-

hac reges Spartani cum viginti octo Senatoribus summæ rerum præessent, teste Plutarcho in vita Lycurgi. Lycurgus quidem sic informauerat Remp. vt ducos reges gubernaculis præfecerit, regibus viginti octo Senatores addiderit, vt assiderent regibus, populari principatui repugnantes; tum verò populo fauentes, ne tyrãni ex regibus fierent. Addit Plutarchus ibidem, quoties conuentus & comitia reges cum Senatu celebrabant, ex reliqua coacta multitudine sententiam nemini dicere permittebatur; sed quam seniores regesque tulissent, decernendi ius populus habebat. Sic vt iura maiestatis Lycurgus inter populum & regẽ, optimatesq; qui erant viginti octo, diuisisse videatur. Quamuis autem hoc pacto institutionem ciuilem Lycurgus miscuisset (verba sunt Plutarchi) tamen qui post eum secuti sunt, effrenem adhuc & validam nimis Oligarchiam (ea verò est, in qua pauci dominantur) ferocem atque feruidam viderent, vt ait Plato, quasi frenum iniecerunt ei Ephororum potestatem, qui imbellis plebis causam contra optimates agerent. Hi Ephori & reges simul, vt Xenophon tradit lib. de Repub. Lacedæm. & ex eo Tholos. lib. 7. c. 19. Althusius c. 14. Polit. Alex. ab Alex. citato loco singulis mensibus iurare consueuerant; Ephori quidem pro ciuitate & populo, reges pro seipsis. Regum iusiurandum fuit, *se ex legum præscripto regnaturos:* Ephororum & populi, *se regnum firmum & stabile effecturos, si rex iusiurandum seruauerit.* Atq; hi Ephori populum repræsentabant; Senatores viginti octo optimates. Quod etiam legere licet apud Polybium lib. 6. de militari ac domestica Romanorum disciplina. Politici quidem nonnulli recẽtes Ephororum appellationem aliter vsurpant. Volunt enim dici eos, qui optimatum loco sint, & cum rege eam constituant Reip. formam, quæ mixta est ex Aristocratia & Monarchia. Quiq; adeo repræsentant quidem populum, sed non tanquam deputati populi, verum vt optimates, qui populi curam gerunt, vt tutores & Patroni populi, non vt ministri eius. Sic dictos Ephoros varii variè appellarunt; quidam *Patritios*, quidam *seniores*, *principes*, *ordines regni*, *status*, *vindices*, *custodes*, *defensores*, *inspectores* denique; quas appellationes recen-

sce

ſet Althuſius dicto cap. 14. Polit. De his itaque Ephoris, quorum conſideratio in regno Poloniæ verſantibus vtiliſſima eſt, tria nobis videnda; primò quidem de eorũ cõſtitutione, poteſtate & electione: ſecundò de ipſorum numero, & denique de officio. Conſtituuntur itaque Ephori à populo quibus ſe totum concredit populus, ſuumque ius ac poteſtatem, actioneſque omnes in eos transfert, vt quicquid ii faciunt, ciues facere videantur: eorumque ſuffragia eo loco cenſenda ſunt, quo omniũ ciuium conſenſus. Sic Danæus lib. 1. Polit. c. 1. Alth. dictò cap. Couarruuias lib. 1. quæſt. pract. c. 1. Qui authores id etiam addunt, in conſtitutione eorum ſingulos ciues & regnicolas eſſe inſtar pupillorum, ipſos verò Ephoros inſtar tutorum. Nam ſicuti pupillus, licèt rerum ſuarum dominus, tamen quia eas tutori adminiſtrandas dedit, non poteſt de iis diſpenſare, aut obligare ſeſe abſq; conſenſu & authoritate tutoris: ita quoque ciues ſiuè reliqui ſubditi, quia Ephoros tacito vel aperto conſenſu tutores ſuos conſtituerunt; ideo nil ſine eorum authoritate agere poſſunt. Et Ephori meritò id ius ſibi vſurpant in populo, quod tutores ſibi vſurpant in perſona & rebus pupilli. Ac non modò à populo conſtituuntur & eliguntur Ephori, ſed etiam regis vel principis arbitrio ſumuntur, ſi nempe talis eſt hæc Reip. forma, in quâ Monarchia præualet: vel ſuccedunt filii parentibus, vt fit in Imperio Romano, in quo Electoribus (quos vicẽ quodam reſpectu obtinere Ephororum dicimus) filii maiores natu ſuccedũt, in regimine principatus, ac officio & munere Electorali. Sed hæc conſtitutio Ephororum pro exigentia cuiuſque gentis fieri debet, & cuiuſque regni natura. Numerus Ephororum certus & definitus non eſt, ſed pro amplitudine regni & Reip. vel maior vel minor eſſe poteſt. Exẽpla tamẽ Rerump. id requirũt, vt hic numerus ad pauciſſimos contrahatur. Graius lib. 2. de Rep. Lacedæmoniorum c. 4. quinque fuiſſe Ephoros annotat, Althuſ. & alii Politici tres Ephoros regi adiungunt. Sed vt conſtitutio Ephororum, ſic numerus generaliter determinari non poteſt, cum pendeat à circumſtantia & conditione particulari cuiuſque Reip. De officio Ephororum ſequitur vt agamus. quod duplex

est; aliud tempore pacato regni & tranquillo, aliud in statu turbato. In statu pacato regni officium Ephororum est, vt inspectores sint & obseruatores principis. Tenentur enim Ephori simul cum principe tutelam Reip. gerere, & imputatur eis tutelæ malè administratę culpa, quando Principi nimium conniuentes, id quod ex vsu Reipub. est, negligunt. Quare videat quilibet Ephorus, ne se tacente Resp. aliquid detrimenti capiat, inquit Iunius Brutus Quæst. 3. Vindic. cont. Tyrannos, Hotomannus de antiquo iure Regni Galliæ lib. 2. cap. 11. & 27. Est & hoc officium Ephororum, consilium in maioribus & grauioribus negotiis Reipub. dare: cum sint consiliarii summi magistratus, sine quorum consensu in rebus ad Remp. pertinentibus nil facere potest. Danæus lib. 6. Polit. Christia. cap. 3. Althusius citato capite 14. Politic. Ius tamen conuocandi & exequendi ea, quæ consultationibus eorum conclusa sunt, integrum relinquant penes regem, vt vult Danæus & Althusius citato loco. Officium Ephororum est, vt conscii sint literarum regis ad exteros scriptarũ in magnis negotiis, nec patiantur eas sigillo obsignari, nisi id probent, quod in iis scriptum est. Itaque Hotomannus & Brutus in dictis locis referunt, tantam Ephororum authoritatem esse in regno Galliæ, vt literæ Regis, nisi à secretario subscribantur, & à Cancellario obsignentur, nullam habeant authoritatem. Et alia negotia concernentia regnum, nõ nisi consultis Ephoris & approbantibus valeant. Ex quo intelligi facilè potest, vt etiam colligit Althusius contra Bodinum, an ita penitus absoluta sit Monarchia in Galliæ regno. Officium Ephororum in statu turbato Reipub. tum sese maximè exerit, cum rex vel princeps incipit degenerare in tyrannum. Habent enim Ephori ius principem inter officii limites continendi, commonendi, corrigendi, refrænandi. Habent ius gladii ad expediendum ius sibi commissum. Iunius Brutus d. quæst. 3. Hotomannus lib. 1. de antiquo iure regni Galliæ, cap. 12. & sequentib. Obrechtus in Thesibus de bello, Thes. 76. Vrsinus part. 3. dispos. 4. Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2. & 3. Casman. cap. 10. Politic. Ephororũ est subditis indicare, *Vtrum princeps rectè suo munere fungatur, nec ne: vtrum leges regni*

regni fundamentales seruet: vtrum pactis conuentis & promissis satisfaciat. Ad extremum si princeps legitimè imperare desinat, & tyrannus euadat, possunt ei resistere Ephori, obseruatis illis Politicis cautelis, cui sit resistendum, quando, quomodo, quamdiu; de quibus prolixius in Systemate Politico adornato per clarissimum virum D. *Bartholomæum Keckermannum.* Hinc ergo resultat quæstio: *Vtrum Ephori, quorum tanta sit authoritas, superiores sint principibus ac regibus?* Affirmant Hotomannus de antiquo iure regni Galliæ lib.1.cap.12. Iunius Brutus quæst.3. Vindiciarum contra tyrannos. Et adducunt rationes: Synodus, inquiunt, concilium, capitulum, vniuersitas superior est Episcopo, Pontifice, Actore & Syndico: Et Ephori itaque erunt superiores principe. Secũdò his, inquiunt, Ephoris data est potestas, priusquam principi Reipub. summa est commissa. Quod igitur in tales Ephoros est collatum, hoc postea alteri magistratui dari non potuit. Althusius addit limitationem: Ephoros vniuersos magistratu summo esse superiores, quatenus repræsentantes populum, eius nomine aliqua agunt; singulos vero separatos, isto magistratu esse inferiores. Sed & inprimis fuerit distinguendum inter id, quod suâ natura est tale, & id, quod speciali pacto & cõditione receptum est. Per naturam princeps etiam caput est Ephororum: Speciali autem pacto Ephori superiores censentur principe, quatenus eius inspectionem & regni custodiam habent.

II *Quid statuendum sit de statu mixto ex tribus formis, nempe Monarchia, Aristocratia, & Democratia?*

Hunc statum quis eo nomine commendet, quod contineat vt omnes Reip. formas, ita etiam omnium formarũ effecta; quodque adeo vna forma alteram velut frangat & temperet. Sic vt status Monarchicus contineat in officio statũ Aristocraticum & Democraticum; status Aristocraticus & Democraticus contineat in officio statum Monarchicum; & denique duo status inferiores se mutuo contineant. Contarenus lib.1. de Repub. Venetorum: Præclarissimi, inquit, Philosophi rempub. tempe-

ratam extollunt, & Lacedæmoniorum formam summopere laudāt, in qua Reges, Senatus, Ephori fecerunt mixtionem quandam, vt benè dignosci nequeat, sub quanam gubernationis specie fuerit ea Respub. collocanda. Tradunt autem Politici, statum hunc in Rebuspub. oriri potissimum ex eo, quando subditi pertæsi sunt puræ & absolutæ Monarchię, aut etiam puræ Aristocratię, quod probari potest exemplo Rerumpub. quarundam. De Repub. sanè Lacedæmoniorum obscurum non est, eam primò purè Monarchicam fuisse, in qua reges, qui ortum ab Hercule ducebant, imperabant, postea factam esse Aristocratiam, cum Senatus XXVIII. virorum à Lycurgo institutus esset; tandem Theopompus populo partes Reipub. administrādæ per Ephoros concessit. Probari hoc idem potest exemplo Reipub. Polonæ, quæ cum initio purè monarchica fuisset; aliquando etiam purè Aristocratica, tum cum à XII. Palatinis administraretur, primò post decessum Lechianæ prolis, secundò post obitum Vendæ Reginæ Poloniæ, donec tandem ex omnibus tribus mixta est, vt ostendit Cromerus in libris de magistratu & repub. Polonorum. Vt & hinc appareat commoditas, & quasi quædam reformatio & medicina contra Monarchiæ & Aristocratiæ enormitates videatur in hoc statu ex tribus mixto cōstituta. Caspari Contareni locus memorabilis huc accommodari possit è citato lib. de Repub. Venetorum: Quamuis, inquit, multorum sententia regis dominatus habeatur aliis præstantior, crediderim tamen ego, tametsi vnius principatus, qui verè regiā dignitatē, ac iure sibi vendicaret, si res per se consideretur, optimus omnium est: nihilominus propter sæpius in deteriorem partem labile ingenium hominis ac vitæ breuitatem, optimum omnium statum minimè esse sub regio principatu; sed multitudinis gubernationem ciuili societati maximè conuenire, id experientia rerum omnium magistra luculenter docet. Nam nullum regium principatum apud exteros extitisse vnquam legimus; neque nostra tempestate conspeximus, qui non breui in tyrannidem lapsus sit, contrà plurimas Respub. multis sæculis perdurasse & pace ac bello floruisse. Hactenus Contarenus. Porro status isto

iste ex tribus mixtis est vel æquabilis, vel cum prædominio. Æquabilis status est, in quo æquabiliter omnes tres formæ mixtæ sunt, vt non possis dicere, hanc vel illam prædominari. Status verò cum prædominio duplex est; vel enim vna tantum forma prædominatur aliis, vel duæ formæ prædominantur tertiæ. Prædominatur autem vel Monarchia, vel Aristocratia, vel Democratia. Prædominium status Democratici plerumque originẽ trahit ex virtute bellica, quando nempe Monarchæ eguerunt ordine Nobilium, siue ordine equestri ad defensionem regni. Ita in Polonia prædominium nactus est ordo equestris, vsque adeo vt propter virtutem bellicam à Sigismundo Rege primus ordo in regno Poloniæ appelletur *Ordo equestris*, sicut disertè videre licet in statutis regni. Sed distinguenda diligenter Democratia nobilis siue eminentior ab ignobili & plebea. Nobilis Democratia est eminentioris Democratię status, in quo præter Monarcham & Aristocraticos regiminis partem habet populus, sed non omnis, verum pars solummodo populi eminentior, & genere ac possessionibus præstantior, vel vt cum Contareno loquamur, in quo ciuium plenorum tantum imperia elucent, in quorum numero opifices, mercenarii, & reliqua plebs non censetur. Sic & Aristoteles 3. Polit. cap. 5. tres esse dicit Reipub. formas, nempe *Regnum*, *Aristocratiam*, & *Timocratiam*; rursus vero cap. eodem, vt & 7. tria itidem vitia Rerumpub. ponit, nempe *Tyrannidem*, *Oligarchiam* & *Democratiam*. Hæc loca sic explicantur, & cum aliis, in quibus Democratiam refert ad rectas Reipub. formas, conciliantur: quod per Timocratiam in isto capite intelligatur eiusmodi popularis status, in quo non promiscua plebs, sed melior & honoratior pars populi imperat; sicuti expresse in isto cap. 5. definit Timocratiam, quod sit imperium legitimum populi (subintelligendum honoratioris) ad vtilitatem communem spectans: quasi diceret, honoratiores in populo spectãt bonum commune Reipub. reliqua plebs priuata manet. Maximè autem cauẽdum, ne nobilium Democraticorum numerus nimium crescat, neve ius nobilitatis facilè in isto statu tribuatur cuiquam. Certum enim periculum imminet isti statui,

qui nimia multitudine Democraticorum eminentium oneratur. Concludam hoc problema, vbi asscripsero axioma Politicum, quod tale est: *Democratiæ, quæ Monarchicis & Aristocraticis rationibus per officia & magistratus sunt temperatæ, feliciores & diuturniores esse solent.* Sic nempe apud Romanos Democratiæ per Dictaturam Monarchicè, per Cos. & Senatum Aristocraticè temperabatur: Vt inter alios Polyb. lib. 6. tradidit. Officia maxima Patriciis & antiquis familiis solent committere Bernates & Tigurini; in Senatum verò etiam opifices cooptare. Sed hîc studiosè cauendum, ne ea ratione popularia imperia in Aristocratias aut Oligarchias temporis tractu vertantur, vt Lucensibus & Rhagusianis contigit, nemine ferè illud sentiente. Ideoq; Argentinensium more & lege summi magistratus plebeis commendantur. Nihil autem populari imperio tam inimicum, quàm diuturnos honores adipisci. Bodinus lib. 3. n. 385.

12 *Imperium Romanum, atq; adeo Germaniæ regnum quomodo sit Monarchicum?*

Annis ab hinc mille & centum alia rerum facies in Germania extitit, & alius Reipub. status. A propriis namque ea regebatur dominis & principibus, in gentes & nationes distributa. Regebatur tamen ex arbitrio magis populi quàm principum. Anno demum Christi plus minusve quingentesimo Clodoueus seu Ludouicus Galliarum Rex, Allemanorum regem quendam deuicit, eiusque possessiones vsurpauit. Sebast. Munsterus in Cosmograph. Germaniæ. Nec dubium, quin aliam quoq; formam Reipub. instituerit in ea Germaniæ parte, quã subiugârat. Mansit autem ea pars Germaniæ sub imperio Clodouei posteritatis, penes quam erat regia potestas in Galliis ad Hildericum Tertium, qui procurante Zacharia Pontif. Romano, regiâ dignitate exutus est. Exinde Pipinus curam regni suscepit, dum tandem regia dignitas Carolo M. obtigit. Ad cuius vsque tempora reliquæ partes & regiones Germaniæ non agnoscebant eundem cum Gallis regem, sed quædam, vt Saxonia & aliæ, domesticis parebant dominis, non exteris. Primus Carolus M. fuit, qui Germaniã totam penè imperio suo

suo adiecit, ac tandem cum Imperator Occidentis creatus fuisset, retinuit. Fuit itaque gubernata Germania à Regibus illis, qui simul & Galliæ reges erant, & post etiam Imperatores Romani, quoad ista duo regna familiæ erciscundæ iudicio diuulsa fuerunt. Post mortem enim Ludouici Pii Imperatoris filii eius Carolus quidem Caluus in Imperio & regno Galliæ; Ludouicus autem in regno Germaniæ successerunt. Hic Germaniæ, vt & posteritas eius, Monarchicè & absolutè imperabat, ac successione & iure hæreditario regnum Germaniæ obtinebat, cui interdum Imperium adiungebatur, quòd iam ad Francos, iam ad Germanos migrabat. Deficiente verò posteritate Caroli Magni in Germania, res ad Electionem deuenit. Primus Conradus Franconiæ Dux post Caroli Magni sublatam stirpem designatus est à populo Proceribusque Germanorum Augustus. Pòst Henricus, *Auceps* cognominatus, Dux Saxoniæ omnium consensu Imperator creatus est; quamuis in eo Historici valdè varient. Quidam enim Arnolphum Ludouici Germanorum regis filium Imperatorem appellant. De Henrico tradunt nonnulli, electum & creatum fuisse non populi, sed quinquaginta quatuor principum suffragiis. Quicquid sit, consentiunt tamen in eo, hisce Imperatoribus creatis, successionis legem euanuisse, & electitium Regnum & Imperium esse cœpisse. Nam & Ottho Primus, licèt patri Henrico successisset, non vt hæres successit, sed suffragiis primorum Germaniæ principum electus. Successit & huic filius Ottho Secundus, sed electionis iure. Et cum hic in viuis desiisset esse, filiumque puerum adhuc, Otthonem III. reliquisset, ad interregnum ventum fuit. Huic tamen Imperium principes Germaniæ electo concesserunt. Hic inprimis cum Hugone Capeto Principe Galliarum de imperii Romani axiomate, quod iterum Germanis ereptum cupiebat Franci, controuersiam composuit. Ac Hugo quidem Capetus, dum sibi ob amotos legitimos regni Galliæ hæredes, & vsurpatum regnum ab Otthone metuit, Otthoni Axioma latens concedit. Supererat adhuc lis & contentio de eodē Imperio cum Italis & Romanis. Nam hi duce Crescentio cos. Rom. Imperium ad se transferre

moliebantur, sed Ottho instinctu & auxilio Gregorii Pontif. natione Saxonis, quem ille ad Pontificatum promouerat, omne ius Imperii ab Italis ad Germanos facilè transtulit, nec vllam spem Imperii Italis reliquit. Legem enim fundamentalem ab Otthone Magno sancitam seuerius vrsit & confirmauit, vt nec aliis quam Germanis, nec aliunde, quam ex Germanicis familiis Imperatorem creare liceret. Nec desunt qui tradant hunc primum fuisse, qui septem Electores Imperatoris instituerit; de quo inter scriptores non constat. Et meritò, inquit Henningus Arnisæus cap. 8. Politic. cum Carione & Philippo dolendum est, quod primam originem Electorum ignorare cogamur, vnde coniecturam facere queamus quo tempore Monarchia simplex temperari cœperit. Illud certum est, quod Carolus IV. in Aur. Bulla, & Innocentius III. c. Venerab. de Elect. rationem eligendi Imperatoris vocant *inueteratam consuetudinem*: quam idem Carolus IV. in eadem Aur. Bulla confirmat & ordinat. Status itaque Imperii Romani est, in quo Princeps summus suffragiis quorundam principum eligitur: in quo *electus Princeps siue Imperator Electoribus obligatur, vt, priusquam Imperium adeat, iuret, se omnia priuilegia & honores statibus seruaturum*, vt tradit Lauterbachius libro 1. de Repub. cap. decimoquinto, & Sleidanus lib. 1. Histor. De hoc quæritur, *ad quamnam Reipub. formam referri possit.* Bodinus quidem Imperium Romanum, sicuti iam est ab Otthone III. institutum, à Carolo IV. confirmatum, & succedente tempore lentâ mutatione conformatum, ad Aristocratiam refert: quandoquidem sensim & electionem & iura imperatoria in se transtulerunt principes, donec ea propria sibi facerent. Sed hoc ipso non docet Bodinus sublatam esse Monarchiam Germanorum, sed tantum temperatam & mixtam; siquidem ab ipso probari non potest, omnia iura ab Imperatoribus translata esse, sed quædam tãtum: & multa remansisse, facilè monstrari potest. Nam addit ipse paulò post: Principes Germanorum & Legati ciuitatum ad conuentus seu comitia coëunt. Itaque penes conuentus iura maiestatis manent. Si penes comitia, etiam penes Imperatorem. Requiritur enim, vt ad comitia legitima

tima omnes ordines conueniant, in quorum numero Imperator quoque censetur. Nam sine eius præsentia vel in propria, vel in substituta persona comitia nec haberi, aut si maximè habeantur, ad effectum deduci nequeant. Hinc apud Sleidanum legitur, Carolum V. acriter obiurgasse Principes, *quod in Comitiis Norinbergensibus se inscio in causa Lutheri decreuissent*. Adde quod in iisdem comitiis votum Imperatoris colophonium sit, cæterorumq; suffragia compleat. Vnde illa solennis formula, inquit Arnis. *De Imperialis potestatis plenitudine decernimus*. Pertinent ergo iura maiestatis ad Imperatorem, tanquam ad caput imperii, cuius potissima ratio vtique habetur. Et vt Imperator sine ordinum scitu, sic ordines sine Imperatoris consensu decernere quicquam non possunt. Quæ mutua reflexio inter status hos non planè tollit Monarchiam; vel si in Imperio Romano tollit, in regno Galliæ tollat etiam necesse est. Nam id sunt in Galliæ regno *Senatus Parlamenti*, & *Principes pares*, consanguinei Regis (sine quorum consilio non ita omnia facilè audet Galliæ Rex) quod sunt in Imperio Romano *Electores* & alii *Principes*, nisi quod hi in Imperio maius prædominium obtinent. Quod tamen prædominium cum sit gradus seu modus rei, non tollit essentiam eius, sed tantum aliter atque aliter afficit. Eodem modo & ad illud responderi potest, quod citat Bodinus in Methodo Histor. ex Sleidano, Moguntini Episcopi dictum in electione Caroli V. *Aristocratia*, inquit Moguntinus, *nobis tuenda est*. Si pura & simplex intelligenda est, vt vult Bodinus, quorsum tanta sollicitudo de electione Imperatoris? Apparet ergo, non de simplici, sed quæ præualet Aristocratiâ, locutum fuisse Moguntinũ; atq; adeo illud voluisse eum & procurasse diligenter, ne nimirum præualeret Monarchia, & opprimeretur Aristocratia. Duplex itaque apparet forma Reipub. in statu Imperii Romani; *Monarchica* & *Aristocratica*: Monarchica consistit in persona Imperatoris: Aristocratica in ordine Electorum, Principum & Legatorum ciuitatum: Imperatoris absolutam potestatem non esse, testimonio est, inquit Arnisæus, quod in Senatu Principũ iudicari possit, & iam olim coram Palatino conueni-

ri potuit, prout in Aurea Bulla memorat Carolus. Imò Adolphum Nassouium, & Wenceslaum Bohemum remouerunt Electores ab Imperio, quòd illud malè administrarent. Quamuis, quod ad Adolphum Nassouium attinet, non obscura sint argumenta, eum Moguntini præsulis, & aliorum Episcoporum odio, atque iniuriâ potius, quàm iure depositum esse. Potestate ferendarum & abrogandarum legum, quod summum ius esse ait Innocent. de Electione, priuant se Imperatores, dum ex cōstit. Aur. Bullæ immunitates, iura & omnia priuilegia se omnibus seruaturos iurant. Carolo itaque V. inter cæteros exhibiti hi fuerunt articuli: *Leges omnes Imperii, & imprimis auream Bullam non modò confirmet, sed & de Electorum consilio, cum res ita feret, amplificet.* Item, *de rebus Imperii fœdus & pactum nullum faciat cum externis, nisi cum Septemuirorum assensu.* Sleidanus lib. 1. *Neque vectigal, neque tributum imperet, nisi de consensu Electorum* Verba formalia legis Imperii. Potestatem creandi magistratus, caput maiestatis recenset Aristoteles & Polyb. libro 6. Sed eam quoque potestatem in Carolo certis conditionibus circumscripserunt Electores. Verùm vt non postremæ partes Imperii communicatæ sunt cum Electoribus; sic plurima arbitrio Imperatoris commissa sunt, quæ solus Imperator sine scitu Aristocraticorum peragit, ex quibus maiestas Imperatoris arguitur. Potestatem enim conferendi feuda, & mandandi honores, Carolo V. Principes non ademerunt. Et cùm apud Sleidanum libro 17. Landgrauio a Granuellano obiiceretur: *Cæsarem è Germania, ne tantillum quidē accipere*; respondit Landgrauius: *Etiamsi fortè non ita multum ad Cæsarem ex Imperio redit, tamen quod & in Turcam & Galliæ Regem, & in alios ei dantur auxilia, quod Imperii dignitas, authoritatem ei summam apud cæteros reges conciliat, quod copias perpetuò, & exercitus maximos in Germania conscribere potest, cum id cæteris non liceat, quanti id esse putabitur?* Ipsi insuper Electores, Principes, & ciuitates Aquisgrani Imperatori fidem dant, quos ille non tantum Imperii, vt scribit Bodinus lib. 2. c. 6. sed & *suos fideles subditos* vocat. Ad intelligendam autem Aristocratiæ formam in Imperio Germanico Romano illud attendendum est, *Ephoros* etiam

iam

iam vocari *Aristocraticos* in hoc statu. Hi autem, vt à Politicis generaliter, sic hîc quoque speciatim duplices considerari debent. Generales nempe & speciales. Generales Ephori sunt septem illi Electores, quibus facultas delata est, vt ait Couarruuias, & ex eo Althus. c. 14. Politic. Christiani orbis Imperatorem eligendi, qui principalem locum obtinent inter status & ordines Reipub. Germanæ. Speciales Ephori sunt Duces, Principes, qui non sunt Electores, Marchiones, Comites, Barones, Prælati, Nobiles, & denique ciuitates Monarchiæ seu Imperii. Hi ordines & Ephori comitiorum rationem tripartito inire solent, vt partem quidem ferāt Septemuiri cum Imperatore, partim cæteri Principes, partim Legati, qui à liberis ciuitatibus mitti consueuerunt. Ab his Imperii ordinibus leges ac decreta omnia sanciri, confirmari & infirmari solent, sic vt penes Imperatorem executio decretorum maneat. Decernuntur autem & sanciuntur decreta, vel si omnia omnium suffragia sint eadem, vel si Septemuiri cum cæteris Principibus, vel Principes cum Legatis, vel Legati cum Septemuiris conueniant, sicut quidem annotauit Bodinus citato lib. & cap. Habentur & alii conuentus, qui solos Ephoros spectāt, in singulis Imperii prouinciis aut districtibus, quos *Circulos* appellant, quorum rogationes ac decreta ad vniuersos totius Imperii conuentus referuntur. Et tantum quidem de Imperio Romano ex Politicorum & Historicorum scriptis obseruare licuit. Nunc ad Venetos visum est transire.

13 *Qualis sit forma Reipub. Venetæ?*

Venetorum Rempub. vt multi sunt qui descripserunt, ita paucissimi, qui inter sese de forma eius per omnia conueniant. Henningus Arnisæus cap. 5. doctrin. Polit. cum Patritio lib. 3. de Rep. tit. 2. Ianotto de Repub. Venetorum, Piccol. gr. 10. cap. 9. Aristocraticam formam esse vult. Cum his etiam Bodinus sentit lib. 2. de Repub. c. 1. Ratio eorum potissima est, quod à *Nobilitate* seu *Patriciis*, quos vocant Veneti, Respub. administretur. Sed id non confirmat Aristocratiam, verum Democratiam potius instituit. Nam qui admittuntur ad concilium magnum,

ex quo illi iudicium ferunt de statu Reipub. Venetæ, ii omnes ciues sunt, seu ciuium iure censentur. Vbi igitur ad Rempub. omnibus ciuibus patet aditus, ea Aristocratia nullo modo dici potest. Nam Aristocratia secundum eos ea est, in qua minor pars ciuium imperat: at in Veneta Repub. omnes ciues. Hinc factum esse videtur, quod ipse Bodinus in Methodo Histor. apertè scribat *Rempub. Venetorum esse Democratiam*; Contarenus auté in descriptione Reip. Venetæ, *mixtum statum esse ait ex tribus simplicibus.* Quā sententiā sequutus est Paulus Palczowski de Palczowice in lib. suo de statu Veneto. Et sanè si Ducem, Senatum, M. Concilium spectemus, obuia mixtio est. Mixtio autem talis, in qua Aristocratia & Democratia valeat plurimum, Monarchia minimum. Quod tamen non impedit temperiem; ad eam enim sufficit vel minimum vestigium alterutrius formæ. Siquidem mixtio & temperies etiam fieri potest, vbi plus vnius materiæ, minus alterius immiscetur. Sed apparebit id planius, postquam tres hos ordines, qui cōstituunt Rempub. Venetam, explicuerimus. Tres igitur sunt: Primò *Dux*, vt Monarcha: *Senatus*, vt Aristocraticus: *Concilium Magnum*, vt Democraticum. Ad hoc enim omnes
» admittuntur ciues. Ciuium autem iure censentur omnes
» qui Patricii sunt & Nobiles, nec vllus incola ciuitatis
» Venetæ ius eius obtinet, qui non sit Patricius. Sic enim
» Cōtarenus lib. 1. Illud, inquit, probè à maioribus nostris
» cautum est, ne plebs admitteretur in cōuentum ciuium,
» & ne queri possit se excludi, non minore, inquit pru-
» dentia facta fuit ciuium definitio, generis nobilitate po-
» tius, quam facultatum censu. Admittuntur autem ad
» Concilium Magnum ii demum, qui annum vicesimum
» quintum excessere. Ab hoc Concilio Magno Senatus &
» omnes magistratus creantur, & ius potestatemque acci-
» piunt. Sic Contarenus. Arnisæus autem ex Ianotto quatuor summa potestatis capita Cōcilio Magno attribuit: Creationem magistratuum, Deliberationem de bello ac pace, Introductionem legum, & Prouocationem. Sed in eo Contarenus ab Arnisæo dissentit, qui prius tantū, id est, creationē magistratuum, tribuit Concilio M. Et salua authoritate Arnisæi, Contareno Veneto Senatori

si non

ſi non maior fides dãda, experientia tamen & notitia paternæ Reipub. accuratior concedenda. Alter ordo Reipub. Venetæ, qui Ariſtocratiæ formam præ ſe fert, eſt Senatorius. De cuius authoritate, poteſtate Contaren. li. 3. Ad Senatum, inquit, vniuerſa Reip. gubernãdæ ratio pertinet: quicquid Senatus authoritate decretum fuerit, id ſanctum ac ratum habetur; eo diſceptante & decernente, & paces fiunt, & bella ſuſcipiuntur: pecunia Reipub. eius iuſſu exigitur & impẽditur: ſi res poſtulat, noua etiã tributa & decimæ ex decreto Senatus imponuntur ciuibus: Si quando viſum ſit è Repub. eſſe, vt nouus quiſpiam magiſtratus pro tẽpore inſtituatur, is à Senatu eligitur. Præterea Senatus quibuſcunque temporibus perpetuò ius obtinuit eligendi oratores, qui ad principes exteros à Repub. deſtinantur. Eorum etiam collegium creandi, qui ius habent & cogẽdi Senatum, & ad ipſum de omnibus Reipub. negotiis referendi. Hi ab Ariſtotele *Præconſultores*, a Venetis *Sapientes* vocantur. Dux deinde ſequitur Monarchiæ ſpeciẽ, dignitatem & authoritatem obtinens, qui licèt minimum, quoad imperium in Repub. Veneta poſſit; tamen quod tam diu Reſpub. illa ſteterit, & feliciter gubernata fuerit, id totum Monarchicæ formæ tribuit Contarenus. Omnem, inquit, ſocietatem vnitate quadam contineri, quis ambigat? contra verò diſtractione ſolui? Vnitas verò commodè contineri non poteſt, niſi ab vno, qui multitudini ciuium ac vniuerſis Magiſtratibus, quibus certæ quædã functiones ſint demandatæ, præſit, atque multitudinẽ quodammodo diffluentem colligat, & in vnum conciliet. Et omnis multitudo ciuium ita fuerit inſtituenda, vt vnũ quempiã præſidem velit, cui bonũ commune omniũ, ac vnionis ciuilis cura præcipuè incumbat, quo vniuſcuiuſq; ciuis, tũ priuati, tum magiſtratu fungentis actiones, tanquã ad vltimum finem & præcipuũ referri debent. Ideo, inquit, à noſtra ciuitate ſapientiſſimè conſtitutum fuit, vt in hac Repub. conſtitueretur quædam ſpecies regiæ gubernationis, adeo legibus temperata, vt quouis incõmodo ac periculo, quod Reip. imminere poſſit, amoto; vtilitate & cõmodo, quod regia gubernatio habere ſolet, aſcito; nil relictum eſſe videretur, quod eſſet deſiderandũ: ac

„ ſimul Rempub. liberrimam & Regem Præſidem habere-
„ mus. Vnus itaque, inquit, Princeps eligitur, qui etiam
„ habet *Ducis* nomen : is quoad vixerit, Reipub. præeſt;
„ præcipuè curâ boni communis habet, cum vnumquem-
„ que priuatum tum etiam quoſcunque magiſtratus ita
„ debet in officio continere, atque ita moderari, vt veluti
„ quadam Harmoniâ omnia conſonent communi bono,
„ atque ad vnionem ciuilem referantur, ne qua fieret fun-
„ ctio, aut nimia ſedulitate, magis quam opus ſit intenta,
„ aut negligentia remiſſa, vtilitati communi officiat, vt
„ tanquam in quadam ſpecula Reipub. poſitus conſpiciat
„ quid vnusquisque agat ; præſertim qui publica autho-
„ ritate ornati fuerint, ac ſi quem perſpiciat, qui officio
„ ſuo deſit, accerſitum coram vniuerſo collegio verbis pri-
„ mò caſtiget, ac ſi res ita tulerit, adhibitis aduocatoribus
„ ſiue Decemuirum præfectis mandet culpam eius digno-
ſci, ac de conſilii ſententia puniri. Sic deſcribit munus ac
officium Principis Cõtarenus ; vnde apparet, quam ma-
turo & prudenti conſilio temperies illa inſtituta fuerit,
& quàm feliciter. Regit quidem, ſed amicè regit, non
imperat. Ac ſic regit, vt omnis ei adempta ſit facultas
principatu abutendi, regendi autem facultas nequa-
„ quam. Vbique, inquit Contarenus, regis ſpeciem in-
„ tueri poſſis, poteſtatem nuſquam : quæ ſic legibus con-
„ tracta eſt, vt ſolus nil poſſit adiũctus magiſtratibus aliis,
„ non amplius authoritatis obtineat, quàm aliquis eo-
rum, qui eo magiſtratu funguntur. Atque ſic collectim
conſiderati ſtatus hi temperiem manifeſtam indicant;
ſed ſi & ſingulos ſpectes, eandem deprehendes. In Con-
cilio magno dum creantur magiſtratus, ſorte agitur &
ſuffragiis. In omni namque creatione miſcentur ſuffra-
giis ſortes. At hæ maximè ſunt populares, ſuffragia au-
tem & electio optimatum ſtatum attinent. Magiſtratus
electi, atque adeo ipſi Senatores non ſunt perpetui, ſed
annui ; reliqui Magiſtratus aut octo, aut ſex menſium
tãtum, quæ mutatio magiſtratuum popularis eſt ; Iuriſ-
dictio, quam magiſtratus exercent, Ariſtocratica. Viſum
eſt, antequã hinc abeam, adſcribere verba Petri Marty-
ris Mediolanenſis, qui lib. 1. Legationis Babylonicæ, de
„ ſtatu Veneto ita breuiter diſſerit ; Cum primum Dux
corum

eorum hominem exuit comitia, ad quæ Nobiles omnes ab anno trigesimo conueniunt, per præcones cõuocantur. Neque enim de populo, inter eos ad imperii habenas quisquam admittitur. Nobiles autem circiter quingentorum supra mille numerum attingunt. His aggregatis deargentati globuli intra pyxidem clausi numero totidem quot ipsi astant, afferunt, quibus triginta tantum deaurati commiscentur; ita agmine benè composito pro cuiusq; ætate (honos enim inter ipsos veterum Romanorum more senibus exhibetur) ad pyxidem procedunt, manuq; propria singulos globulos latẽtes ex obscuro singuli extrahũt. Triginta verò hi, nouem inter se per suamet suffragia sortiuntur, reliqui abeunt. Nouem his itaque electis, de quibuscunque nobilibus absentibus vel præsentibus quadraginta per sua suffragia liberum est præponere. Ab his quadraginta duodecim iterum de suomet numero deliguntur. Quibus duodecim, cæteris domum redeuntibus, alios extra se quinque & viginti nominandi potestas præbetur. Hi quinque & viginti de seipsis nouem iterum per suffragia deligunt. Extra suum collegium hi nouem iterum quinque & quadraginta, quoscunq; libet, sortiuntur. Ex horum turba iterum vndecim, qui cæteris discedentibus, alios vnum & quadraginta deligunt. Hi vnus & quadraginta iam tandem vndecim Electoribus suis domum dimissis, in prætorio permanentes, post tanta ac tam varia scrutinia de nouem sancti Marci procuratoribus, eum, quem iureiurando adhibito ad Reipub. gubernaculum aptiorem fore crediderint, Ducem sibi retinendum, qui in suffragiorum vnius & quadraginta benigna cessione quinque & viginti ad se directa suffragia comperietur. Ducis autem Venetorum ita electi potestas paulo [a] maior est mea sentẽtia, quam eius, qui apud Romanos *Princeps Senatus* appellabatur. Neque enim is habet sine decemuiratus, qui ipsi semper assidet in rebus pertractandis, consilio, non modò vitæ aut necis, sed neque in re vlla solus aliquam potestatem. Monetæ tamen huius charactere signatæ cuduntur, ipsiusque nomine literæ conscribuntur. Hactenus Martyr.

[a] *Ita Exẽplar habet; sed cõtextus indicat* minor *legendum esse.*

14 *Polonia quâ regiminis formâ gubernetur?*

De ſtatu & regimine dulciſſimæ patriæ meæ breuiſſimè aliquid his Politicis Diſcurſibus annectam, neque id tam meis, quàm aliorum authorum verbis. Sic ergo vt exteros prius citem, Boterus in lib. De imperiis, inquit: Regimen Poloniæ potius Reip. quam regni eſt: quod Nobiles, qui magnam authoritatem in comitiis regni obtinent, Regem eligunt, dantque illi authoritatem, quam volunt: ita vt ipſorum poteſtas maior ſit. Cromerus lib. 2. de Magiſtr. & Repub. Polon. ſtatum regni Poloniæ mixtum eſſe tradit ex tribus ſimplicibus, eumque „ cum ſtatu Lacedæmoniorum comparat: Laudabile, in- „ quit, & ſalutare inprimis Polonæ gentis inſtitutum Le- „ gatorum ſeu nunciorum terreſtrium, & ad optimè olim „ conſtitutarũ Rerumpub. Romanæ & Lacedæmoniæ mo- „ res accedens, quarum in altera Ephori, in altera Tribuni „ plebis, principum & potentum libidini, inertique & in- „ utili adminiſtrationi obiecti erant. Iohannes Ianuſowski accuratus concinnator ſtatutorum regni, in præfatiõne ad Lectorẽ hæc memorabilia de ſtatu regni Po- „ loniæ habet: Forma, inquit, Reipubl. noſtræ, vt à ſe, per „ ſe & ſuo nixu conſiſtit, ſic ab aliis moribus, conſuetudi- „ nibus, legibus ac regimine inſuper ipſo, toto cœlo diſ- „ crepat. Legislatores, cuſtodes Reip. noſtræ non alii „ quàm Rex, Senatus & Equeſtris ordo. Ex his enim tribus „ ſtatibus & ordinibus, tota forma Reipub. conſtat, ſine „ his nil decernitur. Non aliquis horum aliquid ſine alte- „ rius cõſenſu. Vnus eſt, qui proponit, alter, qui dignoſcit; „ tertius, qui vtroſque cuſtodt. Omnes concorditer ſtatu- „ unt, omnes approbant, omnes improbant. Tu cuſtodiã „ mei habes, ego tui, tertius noſtri. Arma tu pro me ſu- „ mis, ego pro te, omnes pro Principe. Par pari ſum: hic me „ nullo modo ſuperior, hic tamen potentior. Iudicia ex- „ erces, nec impedit quicquam, quo minus exerceam & „ ego, iudicium tamen ſuperius eſt. Iniurius mihi es, an „ ego tibi? iure experiamur. In ſumma, ſtatus hic, ſtatus vnicus, cui non ſimilis alter. Temperiem igitur ex tribus formis oſtendunt authores hi, & inprimis Ianuſſouius, temperiem, inquam, Monarchiæ, Ariſtocratiæ & Democratiæ,

cratiæ. Cur autem Nobilitatem cum aliis Politicis non referat ad Ariſtocratiam, illud in cauſa eſt, quod non pars aliqua Nobilium, ſed omnes ad Rempub. aditum habeant. Omnes autem Nobiles ciues ſunt. Ciues igitur omnes admitti, non Ariſtocraticum eſt, ſed Democraticum. De hac temperie ibidem Ianuſſou. Vtrum, inquit, benè conſtituta, nec ne? non meum eſt iudicium. In hac tamen, vt quidam volunt, ἀταξίᾳ, aliquot ſæculis ſtetit Reſpub. hæc, ſæpius quidem inclinari viſa eſt ad interitum. Verum eſt: Eſt tamen Dominus, qui ſupponit manum ſuam, ne labefactata concidat. Quibus Ianuſſouii verbis & voto meo pro patriæ ſalute & tranquillitate ardenter concepto, tum DISCVRSVS hos meos, tum etiam reliquas omnes primi Curſus Philoſophici DISPVTATIONES velut piâ coronide concludo.

Finis Diſputationum.

AD NOBILISSIMVM RESPONDENTEM Dn. NICOLAVM SIENNICKI DE SIENNICA.

ODE.

NON *Hydra, secto corpore, firmior*
Vinci, dolentem creuit in Herculem
Tantum; nec immensis repugnat
Ponderibus sacra palma; quantum
Subtiliores mille tribulium
Creuisse iam te fas sit in impetus
SIENNICIDE; *dum pertinacis*
Nititur ingenii cupido ex-
plorare mens quid ritè, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus,
Possit, reluctantis cateruæ
Oppositus feriere telis;
Spectabis in certamine classico
Contrariorum spicula pectorum.
Sed quid? retundes obloquentum
Vimque dolosque potente VERO.
Non auspicatos iam feret impetus,
Qui te sagaci cunque petet modo,
Vinces, & argutos Elenchos
Expedies per acuta sensa.
Nam seu retundas spicula robore,
Siue arte, vinces; vtraque strenui
Sectantur vltrò, queis opimus
Vincere in hoc stadio est triumphus.

MATTHIAS MAKOVIVS Polonus.

FINIS

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029812